37
35 C
21

ARA 2657

Digitized by Google

Digitized by Google

PETRI MARCELLINI
CORRADINI
S. R. E. CARDINALIS
DE
PRIMIS ANTIQUI LATII POPULIS,
Urbibus, Regibus, Moribus, & Feſtis;

QUIBUS ACCESSIT

SETINA, ET CIRCEJENSIS HISTORIA

LIBRI TRES

In duos Tomos diſtincti.

TOMUS PRIMUS.



ROMÆ, MDCCXLVIII.

Ex Typographia Bernabò, & Lazzarini prope Fontem Trivii.

EX PRÆSIDUM PERMISSU.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

Cap. I.	*De primis antiqui Latii Colonis.*	pag. 1
Cap. II.	*De Populis, & Urbibus veterum Latinorum.*	9
Cap. III.	*De Jano, & Saturno antiquiſſimis Latinorum Regibus.*	19
Cap. IV.	*De Pico, & Fauno Latinorum Regibus, eorumque Oraculis in Agro Laurenti, & de Evandri, & Herculis in Latium appluſu.*	26
Cap. V.	*De Latino, & Ænea Latinorum Regibus, illorumque Templis, & de Æneæ Comitibus, ex quibus Romanorum nobiliſſimæ Familiæ prognatæ ſunt.*	35
Cap. VI.	*De Aſcanio, & aliis Albanorum, ac Latinorum Regibus.*	49
Cap. VII.	*De ornatu Regio, & comptu Albanorum Principum.*	65
Cap. VIII.	*De Republica Latinorum, & communibus eorum conventibus, ac fœderibus cum Romanis, & de Luco Ferentinæ ſub Albano monte.*	69
Cap. IX.	*De publicis Latinorum ſacris conventibus.*	88
Cap. X.	*De Latinorum Legibus.*	101
Cap. XI.	*De Ritibus Latinorum in Nuptiis.*	118
Cap. XII.	*De priſcorum Latinorum cœnis, & victu.*	127
Cap. XIII.	*De Latinorum moribus quum Mulieres prægnantes eſſent, ac filii naſcerentur, & adolerent.*	143
Cap. XIV.	*De Latinorum Faſtis.*	164
Cap. XV.	*De Calendario Latinorum, & Feſtis menſis Martii.*	181
Cap. XVI.	*De menſe Aprilis, & ejuſdem diebus Feſtis apud Latinos veteres.*	198
Cap. XVII.	*De Majo menſe, ejuſque diebus Feſtis.*	216
Cap. XVIII.	*De Junio menſe ejuſque diebus Feſtis.*	235

Cap. XIX.

Digitized by Google

Cap. XIX. *De Feſtis menſis Quintilis, qui nunc Julius dicitur.* 250
Cap. XX. *De Feſtis Sextilis menſis, ſive Auguſti.* 264
Cap. XXI. *De menſe Septembri, ejuſque diebus Feſtis.* 279
Cap. XXII. *De Feſtis diebus menſis Octobris.* 285
Cap. XXIII. *De Feſtis diebus menſis Novembris.* 307
Cap. XXIV. *De Feſtis diebus menſis Decembris.* 311
Cap. XXV. *De Feſtis diebus menſis Januarii.* 329
Cap. XXVI. *De Feſtis diebus menſis Februarii.* 358
Cap. XXVII. *De Feſtis, ſtatis ſed incertis diebus in Latio agitatis.* 375

REIMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Archiep. Tarſi Vicesgerens.

REIMPRIMATUR.

Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

VE-

VETUS LATIUM PROFANUM

PETRI MARCELLINI CORRADINI

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De primis antiqui Latii Colonis.

LATII antiqui Regio ea eſt, in qua, ut ait Theophraſtus hiſtoriæ Plantarum lib. 5., totius Italiæ verſata fuerunt incunabula; quæ Genitrix, altrixque inſignium Heroum, ſummorumque ingeniorum, fuit; totiuſque Mundi ſuſtinuit Arcem. Hæc Regio Romanæ Gentis, & familiarum triumphalium, ac Conſularium extitit Parens. Si religioſos ritus, Numinum ſuperſtitiones, Templa, & Delubra; ſi mores, Triumphos, Nobilitatem ſpectes, & Magiſtratus Romanorum; omnia, atque his maxima ſcias è priſcis Latinis propagata fuiſſe. De hac itaque Regione verba facturus, primum ejuſdem terminos, Gentes, & Populos, qui eam incoluerunt deſcribere aggrediar.

Latium duplex conſiderari debet; antiquum, & novum; illud à Tiberi Circæjos uſque quinquaginta mille paſſuum longitudine; novum ad Lirim fluvium protendebatur, teſtimonio Plinii lib. 3. cap. 5. aut ex aliorum computatione, cap. 9. *Latium antiquum à Tiberi Circæjos ſervatum eſt mille paſſuum quinquaginta longitudine, inde proceſſit ad Lirim amnem*: quod refert etiam Strabo lib. 5. *Nunc quidem ora maritima ab Oſtia Sinueſſam uſque Latium appellatur, prius uſque ad Circæjum, non tantum crevit*: Ita ſentit & Beroaldus ad Suetonium in Aulo Vitellio, Sigonius de Jure Antiquo Italiæ lib. 1. cap. 3. aliique, licet Servius ad lib. 1. Æneidos referat, antiquum, Fundos, novum Volturnum uſque pertigiſſe; quæ ſanè opinio mendoſa eſt.

Itaque Latium vetus, cujus Urbes, populos, & populorum geſta exponam, his finibus fuit circumſcriptum: ab Occaſu ferè Tiberi, & Etruſcis; à Septentrione Aniene, & Sabinis; ab Ortu Ufente fluvio, & Volſcis, à Meridie verò Tyrrheno mari, ut refert doctiſſimus Sigonius lib. 1. cap. 3. de antiquo Jure Italiæ, quem mox laudavi. Populi, qui antiquo Latio primi inſederunt, ſunt Aborigines; Palaſgi; Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli, & ultra Circæjos, Volſci, Oſci, & Auſones teſte Plinio lib. 3. cap. 9. unde patet Volſcos, Oſcos, & Auſones ultra limites veteris Latii fuiſſe, quod tamen ſequenti Capite clarius & fuſius explanare contendam.

Verumtamen Dionyſius lib. 1. præ cæteris hanc rem dilucidam facit; ait enim: *Latium primi in omni memoria tenuiſſe dicuntur Barbari Siculi, Gens indigena, ſuperiore verò tempore alioſne Colonos habuerit, an inculta ea Regio fuerit, nemo poteſt certè dicere; Aliquanto poſt pulſis longo bello antiquis Dominis, Aborigines eam occuparunt, qui primum in montibus paſſim ſine mœnibus vicatim habitaverunt, ſed poſtquam Pelaſgi, & cæterorum Græcorum nonnulli ipſis admiſti, opem in debellandis finitimis tulerunt, exacta inde Sicula Gente Oppida crebra muniverunt, ſubegeruntque ſibi totum id Terrarum ſpatium, quod Amnes duo Liris, & Tiberis terminant, qui orti ex imis Apenninis montibus, Italiam quàm longa eſt ſecantibus mediam, erumpunt in Tyrrhenum pelagus; Eas ſedes deinde perpetuo tenuit idem genus hominum, mutatis tantùm appellationibus, vetus Aboriginum nomen ſervantes uſque ad Trojani belli tempora, quando à Latino Rege denominati ſunt.*

Et infra pag. 9. de Aboriginibus loquens, hæc habet: *Sed Scriptorum Romanorum doctiſſimi, & in his Porcius Cato, qui diligentiſſimè ſcripſit de originibus Italicarum Urbium, Cajuſque Sempronius & aliquot alii, Græcos eos eſſe affirmant profectos ex Achaja, multis ante bellum Trojanum ætatibus, nec tamen diſertè tradunt ex qua Natione Græca, quave Urbe migraverint; Itaque rei veritas quomodo habeat incertum eſt. Quod ſi iſtorum ſana eſt narratio, non poſſunt eſſe Coloni alterius generis, quam Arcadici; nam hi primi Græcorum trajecto Sinu Jonio domicilium in Italia ſtatuerunt deducti ab Oenotro Lycaonis filio; migravit autem Oenotrus è Græ-*

cia non contentus portione ſui patrimonii. Cum enim eſſent Lycaoni vigintiduo filii, opus erat in totidem ſortes dividi Arcadiam, pervenitque in ſinum, qui alluit occidentale latus Italiæ. Is tunc propter accolentes Auſonas dicebatur Auſonius, deinde Tyrrhenis maris imperio potitis, mutavit nomen, quod nunc obtinet. Hic nactus multos agros cum repurgaſſet eos ex parte quadam à Barbaris, condidit Oppida parva, & contigua in montibus, ut tum erat mos veterum; Id totum quantum agri obtinuit (fuit autem illud non exiguum) Oenotria vocata eſt, Oenotrique ditionis ejus homines: Et infra pag.10. *Antiochus Xenophanis è vetuſtis Monumentis hæc,quę fide digniſſima, & certiſſima viſa ſunt, de Italia conſcripſit. Terram hanc quæ nunc Italia dicitur olim tenuerunt Oenotri, deinde, quod Regnum tandem Italo delatum ſit, dicti ſint Itali, Morgetemque huic ſucceſſiſſe, à quo Morgetes ſunt vocati, & quod Siculus à Morgete hoſpitio exceptus, proprium Principatum in ea Gente conſtituerit.* Poſtea hæc verba ſubiicit: *Sic facti ſunt Siculi,& Morgetes, & Itali cum eſſent Oenotri*: & paulò poſt pag.11. *Aboriginum Natio revera fuit Græcanica, credo eam Oenotrorum iſtorum fuiſſe Progeniem; Pelaſgos enim, & Cretenſes, & id genus alios, quotquot in Italiam deducti ſunt, invenio poſterioribus eò veniſſe temporibus, antiquiorem autem hac migratione è Græcia in partes Europæ occiduas reperire nequeo.*

Pagina vero 14. tradit Pelaſgorum quoſdam Theſſaliam patriam linquere coactos, ab Aboriginibus præfatis receptos fuiſſe, & infra pag.24.ait: *Ergo Pelaſgica Natio inter Aborigines degens, in his reſedit locis, ubi poſtea Romam illorum Poſteri cum aliis condidere, atque hæc ſunt, quæ de Pelaſgis produnt fabulæ. Non multo poſt alia claſſis Græcorum in eam Italiæ partem appulit LX. fermè annis ante bellum Trojanum, ut ipſi Romani auctores ſunt, profecta à Palantio Urbe Arcadica, eam Coloniam deduxit Evander Mercurii filius, & Nimphæ cujuſdam Arcadicæ, quam Græci Themin fuiſſe dicunt, & divino afflatu inſtinctam. Romanarum antiquitatum Scriptores, Carmentam patria lingua nominant, id eſt fatidicam, hanc mulierem affirmant Dæmonis ſpiritu correptam, futura carmine multitudini prædicere ſolitam; ea claſſis, non con-*

ſenſu Civitatis emiſſa eſt, ſed orta in Populo ſeditione, inferior factio ſua ſponte ſeceſſit. Forte tum apud Aborigines Regnum à Majoribus acceptum tenebat Faunus, à Marte, ut ferunt oriundus, Vir gnavus, ac prudens, à Romanis poſt, tanquam unus Indigetum, ſacris honoratus, & carminibus. Is paucos illos Arcadas comiter exceptos donavit Agrorum quanta ipſi vellent portione; Dicuntur etiam Græcarum literarum uſum Arcadicæ Genti recens oſtenſum primi in Italiam tranſvexiſſe, inſtrumenta quoque muſica, Lyram, Trigona, & Lydos, cum ad id temporis non niſi paſtoralibus Fiſtulis uſi fuiſſent; Leges etiam tuliſſe, & vitam antea ferinam majori ex parte mitem, & manſuetam reddidiſſe.

Demum pag.26. ſic ſcribit: *Hæc ſecunda Gens Græca poſt Pelaſgos delata in Italiam, communes cum Aboriginibus ſedes habuit, eaſque in præcipuo Romæ loco conſtitutas. Poſt Arcadum adventum, paucis aliquot annis elapſis, alia manus Græcorum in Italiam venit ductu Herculis, qui tum Hiſpaniam, & quidquid Terrarum uſque ad Occidentem Solem protenditur domuerat, horum quidem miſſione ab Hercule impetrata circa hæc loca hæſerunt & nacti opportunum Tumulum tribus fermè ſtadiis diſtantem à Palantio, redegerunt eum in formam Oppidi, is nunc Capitolinus nominatur, ab illius ſæculi hominibus dicebatur Saturnius.*

Hæc Dionyſius, qui tamen Latium novum, & antiquum confundit, quod ætate, qua, Adriano imperante ſcripſit, Campania quoque Latium diceretur. Hanc tamen Dionyſii ſeriem Romani Auctores partim veram, partim mendoſam evincunt. Quod enim Siculi Latium tenuerint, notant etiam Plinius ſupra laudatus, & Servius libro 3. Æneidos ad illud

Si quando Tibrin vicinaque Tibridis Arva,

quo loci memoriæ prodit Siculam gentem in Italiam profectam, eam incoluiſſe Regionem, ubi nunc Roma eſt ad Rutulos, & Ardeam uſque, fluviumque Albulam ad imaginem foſſæ Syracuſanæ Tibrin nuncupaſſe. Macrobius Saturnalium lib.1.cap.7.10.& 11. ac Donatus ad lib.1. Æneidos, Italum Regem Siculorum è Sicilia profectum veniſſe ad loca, quæ ſunt juxta Tiberim tradiderunt eamque partem ubi Lauro Lavinium eſt, coluiſſe.

Hinc Virgilius dum bellum Æneæ deſcribit contra Latinos ſic canit,

Agmina denſantur campis, Argivaque pubes
Auruncæque manus, Rutuli, vetereſque Sicani,

ubi Servius ita commentatur: *Ubi nunc Roma eſt, ibi veteres fuere Sicani, qui poſtea ab Aboriginibus pulſi*, & Thucydides lib. 6. *Licet non deſint, qui referunt Sicanos ſedibus pulſos Siciliam trajeciſſe.*

Evandrum quoque cum Arcadum Colonia Latium antiquum incoluiſſe tradunt Livius lib. 1. Strabo lib. 5. & Poëtæ omnes antiqui, quam rem palàm teſtabantur Domus in Latio antiquo, ac Romæ initiis Romanæ Reipublicæ ea forma conſtructæ, ut januæ illarum non foris, ſed intus eſſent; Id enim Arcadum opus fuit, qui ita januas domorum diſpoſitas habuerunt, quod putarent, ante domum ſtantes facilè è loco receſſuros, quum januam aperiri audirent, teſtimonio Plutarchi in Poplicola, quo loci tradit M. Poplicolæ honoris gratia conceſſum à Senatu fuiſſe, januam domus ſuæ foris habere.

Pelaſgos etiam antequam Arcades latina litora appellerent Latium tenuiſſe ſcribit Plinius lib. 7. cap. 56., qui tamen, non Arcadas, ut Dionyſius, ſed Pelaſgos literas in Latium tranſvexiſſe perhibet, & iterum lib. 3. cap. 9. Macrobius etiam Saturnalium lib. 1. cap. 7. 10. & 11. ubi refert Saturni ætate Pelaſgos Latii Colonos fuiſſe. Auruncos itidem Latio inſediſſe tradunt Virgilius, & Plinius ſuperius laudati, ac Aulus Gellius lib. 1. cap. 10.

Verumtamen Lacones ævo Lycurgi, qui ſeveras leges edidit, Latium tenuiſſe, & Pometinos agros incoluiſſe ſatis dilucidum eſt; Id enim teſtatur his verbis Dionyſius lib. 2: *Quin & alia in Sabinorum hiſtoriis domeſticis extat narratio, Laconicam eò veniſſe Coloniam, quo tempore Lycurgus tutor ſui nepotis Eunomi, Spartanis leges condidit, quarum ſeveritate pertæſos quoſdam, ſeceſſione à cæteris facta, Urbem prorſus deſeruiſſe, deinde enavigato longo maris tractu, qualiſcumque Terræ deſiderio votum Diis feciſſe quocunque Terrarum primum appellerent, id poſthac fore domicilium; cumque delati eſſent ad Pometinos Italiæ Campos, agrum, quo primum appulerant vocaſſe Feroniam, memores quod eos huc illuc per mare ferri contigerat; Templum quoque conſtruxiſſe Divæ Feroniæ, cui vota* fece-

fecerant, quam nunc una litera mutata Faroniam nominant; Horum quoſdam ex eo loco profectos, ſedes cum Sabinis conjunxiſſe, ideoque multa apud eos eſſe inſtituta Laconica, præcipuè quantum ad belli ſtudia, frugalitatem, vitæque omnibus in rebus duritiem attinet.

Hi autem Lacedæmones in Latium laudabilem morem tranſvexerunt, quem diu Latini, Romanique cuſtodierunt, ſcilicet majores natu colendi obſequio propè divino, parentumque vice, & omni in loco priores, potioreſque habendi; quinimmo eoſdem è convivio redeuntes, domum uſque aſſociandi, ut teſtes ſunt Scholiaſtes Satyræ 13. Juvenalis ad illud

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum
Si Juvenis Vetulo non aſſurrexerat, & ſi
Barbato cuicumque Puer &c.

atque idem teſtatur Aulus Gellius Noctium Atticarum lib. 2. cap. 15. Servitium quoque in Latium eoſdem invexiſſe & ſervorum conditionem teſtatur Silius Italicus lib. 2. de Bello Punico quod Commentatores, & præ cæteris Petrus Marſus ibidem animadvertunt.

Cæterum Macrobius Saturnalium lib. 1. cap. 5. ſcribit, incertum Romanis fuiſſe, an Aurunci, an Sicani, vel potius Palaſgi Latium priſcum primi incoluerint. Varro de lingua latina lib. 4. putat Palatinos, qui & Aborigines ex Agro Reatino, quem Palatium vocabant, primum in Latium veniſſe. Servius autem ad illud libri 7. Æneidos:

Et Sacranæ Acies, & priſci ſcuta Labici,

refert, non defuiſſe Romanos Scriptores, qui memoriæ prodiderunt, quendam Corybantem, Latium, eaque loca, quæ Romæ vicina ſunt, Ardeam præſertim, primum incoluiſſe, ejuſque ſucceſſores, ſubjectoſque populos, Sacranos nuncupatos fuiſſe, quod ex Sacerdote Matri Deum ſacrato nati eſſent; ferunt enim Corybantes Cybeles Sacerdotes ſacro correptos furore, capitaque ſaltando jactantes, Jovem Infantem apud Idam Montem aluiſſe, & tympana jugiter pulſaſſe, ne Saturnus Puerum vagientem audiret; quo factum eſt, ut Latini putaverint, quod ante Saturnum, ex iis Sacerdotibus unus in Latio conſediſſet.

Præva-

Prævaluit verò apud Romanos Scriptores, Sicanos, qui & Siculi, Aborigines, & Auruncos primos Latii antiqui Colonos fuiſſe, quæ etiam incerta ſunt. Palàm tamen eſt, Trojanos Ilio everſo Ænea Duce, Laurentum appulſos fuiſſe, & Latinorum Regionem tenuiſſe; Id enim omnes Romani Scriptores, omneſque Poëtæ teſtantur, quorum nomina libenter prætereo ne in re vulgari tempus teram, ſatiſque ſit Livius lib. 1. & Dionyſius lib. 1. ambo rerum Romanarum peritiſſimi; ille enim ait: *Troja capta Æneam abſimili clade domo profugum, ſed ad majora rerum ducentibus fatis, primo in Macedoniam veniſſe, inde in Siciliam, quærentem Sedes, delatum ab Sicilia, claſſe Laurentem agrum tenuiſſe: Troja & huic loco nomen eſt, ibi egreſſi Trojani, ut quibus ab immenſo propè errore, nihil præter arma, & naves ſupereſſet, cum prædam ex agris agerent, Latinus Rex, Aborigeneſque, qui tum ea loca tenebant, ad arcendam vim Advenarum armati ex Urbe, atque agris concurrunt. Duplex exinde fama eſt; Alii prælio victum Latinum, pacem cum Ænea, deinde affinitatem junxiſſe tradunt, alii cum inſtructæ acies conſtitiſſent, prius quam ſigna canerent, proceſſiſſe Latinum inter Primores, Ducemque Advenarum evocaſſe ad colloquium, percontatum deinde qui mortales eſſent, poſtquam audierit, multitudinem Trojanos eſſe, Ducem Æneam filium Anchiſes, & Veneris, cremata Patria, & domo profugos, Sedem, condendæque Urbi locum quærere, & nobilitatem admiratum generis, Virique, dextera data, fidem futuræ amicitiæ ſanxiſſe, ea res utique Trojanis ſpem affirmat tandem ſtabili, certaque ſede finiendi erroris, Oppidum condunt, Æneas ab nomine uxoris Lavinium appellat.*

Dionyſius autem, poſt quam narravit Herculis in Latium adventum hæc habet: *Poſt cujus digreſſum ætate altera circiter annum quintum ſupra quinquageſimum, ut ipſi Romani perhibent, Rex Aboriginum fuit Latinus Fauni filus, ſed Herculis ſatu editus, annum agens Regni ſui quintum, & trigeſimum, per id tempus Trojani cum Ænea poſt captum Ilium profugi appulerunt Laurentum, quod in Aboriginum litore, Tyrrheno mari alluitur non longè ab oſtio Tiberis, acceptoque ab Hoſpitibus ad habitandum Agro, & quidquid petierunt, Oppidum condunt non longè à mari in quo-*

dam

dam colle, nomine Lavinium, nec ita multo poſt, veteri appellatione mutata, una cum Aboriginibus à loci Rege Latino nuncupati ſunt, & relicto Lavinio una cum indigenis, majorem Urbem muniverunt, quam Albam nominarunt, unde alia quoque multa Oppida deduxerunt, quæ priſcorum Latinorum vocantur, & pleraque etiam noſtro tempore habitantur. Deinde ſextadecima poſt captum Ilium ætate miſerunt Coloniam in Palantium & Saturniam, ubi Peloponneſii, & Arcades primas ſedes fixerant, quæque etiam tùm ſcintillas quaſdam priſci generis retinebant, ac Palantium muris cinxerunt, ut Urbis formam tum primum acceperit. Condita Urbi Romæ nomen impoſuerunt, quod Romuli ductu miſſa eſſet Colonia, qui ſeptimus decimus ab Ænea deſcendebat: & pag.43.reiicit Scriptores, qui tradiderunt alium Æneam, non Trojanum, vel ſucceſſores Æneæ in Latium veniſſe. Ex his niſi ego fallor, manifeſto evincitur, Latium antiquum, Siculos, Auruncos, Aborigines, Pelaſgos, Arcades, Rutulos, Lacedæmones, & Trojanos tenuiſſe, Urbemque Romam, quod glorioſiſſimum Latino nomini ſemper erit, Latinorum priſcorum Coloniam fuiſſe, ut teſtatur Dionyſius loco mox indicato, & lib.3., ubi Albam dicit Lavinienſium, & Romam Albanorum, & Latinorum Coloniam, cujus rei præclarum etiam teſtimonium proferunt Varro lib.4. de lingua Latina, & Valerius Maximus lib.1.cap.8.de Miraculis, ubi ait: *Facta mentione Urbis Albæ, è qua primordia Civitas noſtra traxit, Divus Julius fauſta Proles ejus ſe offert.*

Hæc ſufficiat retuliſſe, cum noſtrum non ſit probare ea certa eſſe, ſed pro veris à Romanis, Latiniſque priſcis habita; quamobrem, non ſine ſupercilio legimus apud Caſellam de Antiq. Italiæ Colonis, Voſſium de Idololatria, Cerinum de Urbe Roma, Kircherum de veteri & novo Latio, & ſimiles iſtis Auctores, quos refert Theodorus Ryckius Diſſertatione de primis Italiæ Colonis cap. 1. & ſeqq. Janum, Saturnum, Aborigines, Sicanos, Pelaſgoſque, veros fuiſſe Janigenas, id eſt ex immediata ſtirpe filiorum Sem, Cam, & Japhet, prognatos, Janumque Javan filium Japhet fuiſſe. Legimus etiam ætates eorum appulſus in Latium computatas, nova Urbium, quas condiderunt nomina enunciata, & his ſimilia, quæ Annius Viterbien-

terbienſis Vir alioquin non indoctus, ſed in confingendis Antiquitatibus excellens, revocatis ad vitam Catone, Fabio Pictore, & Sempronio, quorum ſcripta interiere, obtruſit. Atſi Romani Scriptores rerum antiquarum gnari, qui ætate proxima Latinæ Gentis excidio vixerunt, quæ expoſuimus narrarunt, & quæ ſcripſerunt, fama monumentiſque antiquis comprobarunt, quinimmo plura incerta eſſe dixerunt, neque id, quod recentiores tradunt, memoriæ prodiderunt, licet omnes Gentes à Deucalione prognatas eſſe aſſeruerint, palàm eſt eoſdem Auctores, quorum ævo longè poſteriori, nec horum fama ſupererat, neque priſcæ memoriæ quicquam, divinaſſe, aut commenticios fuiſſe.

CAPUT II.

De Populis, & Urbibus veterum Latinorum.

EX Plinii hiſtoria naturali lib. 3. cap. 5. aut ex aliorum comcomputatione cap. 9. habes Priſcorum Latinorum Urbium, & Populorum indicem; Ait enim: *In prima Regione præterea fuere in Latio clara Oppida Satricum, Pometia, Scaptia, Pitulum, Politorium, Tellene, Tiſata, Cænina, Ficana, Cruſtumerium, Ameriola, Medullia, Corniculum, Saturnia, ubi nunc Roma eſt, Antipolis, quod nunc Janiculum in parte Romæ, Antemnæ, Camerium, Collatia, Amitinum, Norbe, Sulmo, & cum his carnem in Monte Albano ſoliti accipere Populi Albenſes, Albani, Æſolani, Acienſes, Abolani, Bubetani, Bolani, Cuſvetani, Coriolani, Fidenates, Foretii, Hortenſes, Latinienſes, Longulani, Manates, Macrales, Mutucumenſes, Munienſes, Numinienſes, Olliculani, Octulani, Pedani, Polluſtini, Querquetulani, Sicani, Siſolenſes, Tolerienſes, Tutienſes, Vimitellarii, Velienſes, Venetulani, Vitellenſes. Ita ex antiquo Latio LIII. Populi interiere ſine veſtigiis.*

Habes præterea ex eodem Plinio Oſtiam Coloniam ab Anco Marcio Romanorum Rege deductam, Oppidum Laurentum, Ardeam à Danae Perſei matre, Antium, Circæjum, Ariciam, Albam

Digitized by Google

Longam, Labicos, Bovillas, Coram à Dardano Trojano conditam, Fabium, unde Fabienſes Populi in Monte Albano, Ficulneam, Forum Appii, Setiam, Gabios, Lavinium, antiquis Iſium Lavinium dictum, Nomentum, Norbam, Præneſtem, Tuſculum, Velitras, Ulubras, Apiolas, Lanuvium, Sueſſam Pometiam, Auruncam, Algidum, Mugillam, Trojam, Corbionem, Artonam, & Tibur omnia Latinorum priſcorum Oppida.

Quod Plinius affirmat, Livius & Dionyſius memoriæ antea prodiderant; Livius quippè lib. 1. referens priſcorum Latinorum Urbes à Romanis Regibus oppugnatas, tradit Laurentum, Lavinium, Antemnas, Cæninam, Fidenas, Albam, Politorium, Tellenas, Ficanam, Medulliam, Collatiam, Corniculum, Ficulneam, veterem Cameriam, Cruſtumerium, Ameriolam, Sueſſam Pometiam, Gabios, Circæjos, Apiolas, Ardeam, & Nomentum Urbes Latinorum priſcorum vel à Tullo Hoſtilio, aut ab Anco Marcio, vel à Tarquiniis oppugnatas fuiſſe. Atque etiam lib. 2. Coram, Præneſtem, Ariciam, Longulam, Coriolos, Antium, Norbam, Velitras, Satricum, Labicos, Veteliam, Polluſtiam, ſeu Poluſcam, Pedum, Corbionem, & Artonam, veterum Latinorum Oppida fuiſſe declarat.

Idem Livius lib. 3. Tuſculum, & Algidum inter Latinorum Oppida quoque recenſet, quibus lib. 4. Lanuvium addit. Verum Dionyſius magis dilucidè Latii Oppida deſcribit; is enim lib. 1. tradit Alborgines priſci Latii incolas præter alias Ciuitates, Antemnas Tellenas, Ficulneam propè montes Corniculos, ac Tibur condidiſſe; teſtatur etiam Saturniam, Auruncam, Palantium, Laurentum, Lavinium, Trojam, Albam Longam, Ardeam, & Antium, antiquas Latinorum Civitates fuiſſe; & lib. 2. 3. 4. & 5. memoriæ prodidit Fidenas, Nomentum, Cruſtumium, Cameriam, Medulliam urbes ab Albanis conditas, Coram, Ficanam, Politorium, Apiolas, Collatiam, Sueſſam Pometiam, Gabios, Circæjos, Tuſculum, Bovillas, Bubetum, Cornu, Lanuvium, Labicos, Norbam, Præneſtem, Pedum, Querquetulum, Satricum, Scaptiam, Setiam, Tibur, Trebiam, Velitres, & Ariciam Latini nominis Civitates fuiſſe. Libro autem 6. 7. & 8. Latinorum Oppidis, Longulam, Poluſcam,

Digitized by Google

luſcam, Coriolos, Albiolam, Mugillam, Bolam, & Tolerios accenſet.

Auctor autem Originis Gentium Romanarum, quem Aurelium Victorem exiſtimat Andreas Schottus, referens Colonias in antiquo Latio ab Albanis regnante Latino Silvio deductas, ait: *Igitur regnante Latino Silvio Coloniæ deductæ ſunt Præneſte, Tibur, Gabii, Tuſculum, Cora, Pometia, Locri, Cruſtumium, Cameria, Rovillæ, ceteraque Oppida circumquaque*: quo fit, ex laudato Scriptore conjici, Locros urbem veterum Latinorum fuiſſe, Rovillas etiam, niſi mendoſam dicas lectionem, & loco Rovillæ, Bovillæ legas. Huic conſonat etiam Virgilius Æneid. lib. 6. ubi exhibet Sibyllam ita vaticinantem, & genus Æneæ proferentem.

Nunc age Dardaniam prolem, quæ deinde ſequetur
Gloria, qui maneant Itala de Gente nepotes
Illuſtres animas, noſtrumque in nomen ituras
Expediam dictis, & te tua fata docebo
Ille (vides) pura juvenis qui nititur haſta
Proxima ſorte tenet lucis loca, primus ad auras
Ætbereas Italo commixtus ſanguine ſurget
Silvius Albanum nomen, tua poſtuma proles
Quem tibi longævo ſerum Lavinia conjux
Educet ſilvis Regem, Regumque Parentem
Unde genus longa noſtrum dominabitur Alba
Proximus ille Procas Trojanæ gloria Gentis
Et Capys, & Numitor, & qui te nomine reddet
Silvius Æneas pariter pietate, vel armis
Egregius, ſi unquam regnandam acceperit Albam
Qui juvenes quantas oſtentant aſpice vires
At qui umbrata gerunt civili tempora quercu
Hi tibi Nomentum, & Gabios, urbemque Fidenam
Hi Collatinas imponent montibus Arces
Pometios, Caſtrumque Inui, Bolamque, Coramque
Hæc tum nomina erunt, nunc ſunt ſine nomine Terræ.

Unde habes Caſtrum *Inui* ab Albanis Regibus conditum in honorem Fauni Latinorum Regis, quem Latini *Inuum*, & Romani *Pana* vocarunt, ut teſtantur Livius lib. 1. & Servius in Virgilium,

licet in vulgatis ejuſdem exemplaribus male *Ino* pro *Inuus* excuſum ſit.

Alexander ab Alexandro Genialium Dierum lib. 5. cap. 7. Latinos Populos enumerans, qui in Albano monte ſacrificabant, & viſcerationem ſumebant, concilioque ſub eodem monte ad Lucum Ferentinæ, ſeu Ferentini conveniebant: *In Albano autem*, inquit, *qui Populi convenirent, & carnem poſcerent hi fermè traduntur Albenſes, Albani, Æſolani, Acienſes, Abolani, Nubetani, Bolantii, Coretii, Ortenſes, Latinienſes, Longani, Manates, Mucrales, Munienſes, Olliculani, Octulani, Pedani, Pelletaurini, Querquetulani, Sicani, Siſolenſes, Tolerenſes, Corniculani, Ficulei, Vetuſcamerii, Amerioli, Tutienſes, Venatulani, Vicellenſes. Præter hos fuere Ardeates, Violanenſes, Bubetani, Corni, Varientani, Gabini, Lavinienſes, Lavinatæ, Lavicani, Nomentani, Bovillani, Præneſtini, Atricani, Scaptemii, adde etiam Laurenſes, cum quibus, & Romanis poſt decimum Latinarum, ſingulis annis fœdus renovatur.*

Hic tamen Latinorum Populorum index, quem Alexander exhibet mutilus eſt, & partim mendoſus, in eo ſiquidem plures Latini Populi omittuntur, qui præter deſcriptos, ad Forum Ferentini ſub Albano monte coibant. Nubatanos addit, quos nemo præter ipſum Latinis accenſet, Bolantios, Coretios, Pelletaurinos, Atricanos, & Laurenſes nominat, cum Bolanos, Foretios, Politorianos, Satricanos, & Laurentes, quorum meminit Plinius, dicere debuiſſet.

Sigonius de Antiquo Jure Italiæ lib. 1. cap. 3.: *Primis*, inquit, *temporibus anguſtiſſima fuit appellatio Latinorum, non enim ſolum Hernici, cæterique, qui in novo erant Latio Latini nominis expertes fuerunt, ſed ne omnes quidem, qui Latium vetus incoluerunt, Latini ſunt vocati, quandoquidem neque Volſci, neque Æqui Latinorum in numero habiti. Ac Volſci quidem ferè mare verſus citra, & ultra Ufentem Oppida tenuerunt, Antium, Circæjos, Anxur, ſive Tarracinam, Ecetram, Velitres, Sueſſam Pometiam, Longulam, Poluſcam, Coriolos, Cenonem, Signiam, Artenam, Satricum, Fabreteriam, Privernum, Fregellas, Arpinum, & Soram. Æqui vero mediterranea ſupra Volſcos tenentes ad Anienem, Algidum,*

dum, Corbionem, Lavicos, Volas, & Vitelliam poſſederunt, quibus adjuncti erant Æquicolæ, quos Diodorus lib. 14. eoſdem eſſe cum Æquis, atque eorum caput Volas fuiſſe memoriæ prodidit. Plinius autem, qui aliquanto quam Diodorus minor natu fuit, inter Æquicolas Cliterninos refert, & Carſeolanos; nam Livius, ut poſt apparebit utriuſque Populi meminit. Quibus ex rebus ſatis apertè cognoſci poteſt reliquos ferè antiqui Latii habitatores, ſolos tum Latinorum nomine inſignitos, Medullinos, Tellenios, Ficanenſes, Ficulnenſes, Politorianos, Corniculanos, Camerinos, Tolerinos, Querquetulanos, Bolanos, Scaptienſes, Bubetanos, Gabinos, Bovillanos, Carventanos, atque bis fama, & rerum geſtarum gloria illuſtriores Tiburtes, Prœneſtinos, Tuſculanos, Albanos, Aricinos, Lanvinos, Laurentes, Ardeates, Setinos, Coranos, Pedanos, Norbanos, & cæteros ejuſdem generis alios. Volſci autem, & Æqui, quamquam veteris Latii finibus ſepti, tamen in Latinis illis temporibus non ſunt numerati, cujus rei facilis eſt, & expedita ratio, neque enim, aut commune Latinorum concilium iniverunt, aut ad Latinas Ferias vocati ſe cum cæteris Latinis, paucis quibuſdam exceptis permiſcuerunt, quod apertè in Græca Dionyſii hiſtoria ſcriptum reperitur.

Verumtamen Sigonio in hoc aſſentiri haud poſſum; nam quamvis ſciam omnes Volſcæ, & Æquæ Gentis Populos in Latinis priſcis haud quaquam numeratos; attamen palam eſt, pleroſque Volſcæ, Sabinæ, & Æquæ Gentis ſolemnes conventus in Albano monte, & apud Ferentini Forum, ſeu Lucum cum Latinis priſcis egiſſe, ejuſque populi meliorem portionem fuiſſe; enimvero Pometini, ſeu Pometii, teſte Strabone lib. 5. Volſcorum agrum tenebant. Antiates, Coriolani, Satricani, Longulani, Veliterni, Poluſcani, Circæjenſes, & Corani itidem, tum teſtimonio ejuſdem Sigonii, tum Livii ſcribentis lib. 2.: *Volſcos conſilii pœnam non metuentes, nec opinata res perculit, armorum immemores obſides dant CCC. Principum à Cora, atque Pometia liberos.*

Labicani quoque, Vitellienſes, & Algidenſes Æquorum finibus ſepti erant, ut Sigonius oſtendit. Ceninenſes, Cruſtumini, & Antemnates Sabinorum agrum incolebant ex Livio lib. 5. ex Feſto lib. 17.

Atta-

Attamen Plinius Pometinos, Satricanos, Vitellienſes, Poluſcanos, Cruſtuminos, Antemnates, & Ceninenſes antiqui Latii incolas, & Latini nominis facit. Dionyſius lib.5., quem laudat Sigonius, Populos enumerans, qui in Ferentino Foro fœderi cum Tarquinio Superbo à Latinis populis icto nomen dederunt, Coranorum, Labicanorum, Satricanorum, & Veliternorum apertè meminit, necnon lib.8. Labicos Urbem priſcorum Latinorum, atque Albanorum Coloniam dicit; & lib.3. tradit Alba everſa, & Tullo Hoſtilio Romanorum Rege Latinæ Gentis imperium vindicare moliente, Latinos Populos indicto apud Ferentinum publico Gentis concilio, decreviſſe, imperio Romanis haud cedendum eſſe, duoſque Imperatores ad id elegiſſe Ancum Publicium Coranum, & Spuſium Vecilium Lavinienſem, quo fit, Coranos dicto concilio adfuiſſe, quod Latinorum antiquorum in numero eſſent. Ita quoque ex Livio lib.8. palàm fit, ultimo Latinorum bello Latinos Populos in ſolemni conventu Ferentini habito, Prætores duos Latinæ Gentis L. Annium Setinum, & L. Numicium Circæjenſem, ambos ex Coloniis Romanis, feciſſe, ex quo apparet Circæjenſes Latinorum populis adſcriptos, quorum conciliis adeſſe ſolebant. Feneſtella, ſive is eſt Andreas Dominicus Floccus, quanquam hoc neget Simon Leewius de Origine Juris Civilis pag.85.; Feneſtella inquam de Magiſtratibus lib.2. cap.8. tradere videtur triginta Populos Latini nominis in concilio fœderi icto cum Tarquinio Superbo nomen dediſſe, inter quos Livius lib.2. Antiates ponit; quinimmo ex Dionyſio lib.2. & 3. habes, Antium Latinorum priſcorum Urbem fuiſſe, quod illam Albani Reges condiderunt, aut Coloniam Albanorum deduxerunt teſte Solino lib.2. Algidenſes etiam, & Trebanos eidem concilio Latinorum, in quo Tarquinius Superbus Latinæ Gentis imperator factus eſt, adfuiſſe teſtantur Lucius Florus lib.1. cap.11., & Dionyſius lib.5. qui Trebanorum meminit. Ex his apertum fit, Volſcos, qui Pometinum Agrum incolebant mare verſus citra Ufentem, & uſque ad Circæjenſis Agri limites, Latini nominis expertes fuiſſe, illos verò, qui ultra Ufentem, Tarracinam verſus Oppida tenuerunt, Latinorum priſcorum conventibus non adfuiſſe, ex Plinio lib.3. cap.5., qui vetus Latium à novo diſtinguens tradit, antiquum à Tiberi Circæjos uſque

inco-

incoluiſſe Albanos, Rutulos, & Volſcos; citra tamen, non ultra Circæjos, quod ipſe etiam Sigonius affirmat, dum ait: *Vetus Latium Albanos, Volſcos, & Æquos, novum Oſcos, Auſones, & Hernicos à ſolitudine vindicaſſe.*

Hinc faciiè Latinos Populos, qui antiquum Latium incoluerunt numerare poteris, quorum indicem etiam Ligorius in MSS. Otthobonianis verbo *Latini* exhibet, etſi in pluribus mendoſum, nam licet ille Latium novum ab antiquo diſtinguat, plures tamen Populos Latii novi Latinis antiquis accenſet; hæc enim habet: *Latini ſono detti tutti li Popoli del Latio, e ſi dicono Latini uecchi, e Latini novi dall'uſo Latino* Latium vetus, & Latium novum, *che ſecondo quello che ſcrive Servio, ſi eſtende dall'Oſtia Tiberina ſino a Fundi Città, e da Fundi al fiume Liri, ch'hora è detto il Garigliano era il novo Latio; ma in queſto ſi gabba, perche l'eſtenſione della Foce Latina ſi ſtende ſino alli termini del Contado Capuano; Perciochè, come ſi è detto per cauſa delle Colonie Latine, il Latio novo toccava il Volturno; Perciochè da Latini ſotto il Rè Capis fu fatta Capua, Sidicino, Sinueſſa, Arunca, Fregelle, Minturno, Literno, & altre Città, che ſono diſcoſte dal Latio antico poſſeduto da Latino Re, che riſedeva in Laurento, figliolo di Fauno, ſotto del quale furono ſoggiogate molte Terre colla parentela fatta con Enea, donde venne quella Signoria dei Re Latini Albani, li quali governavano inſino a Capua. Ma li Popoli Latini più antichi ſono queſti: Satrico colli Satrini, Pometia colli Pometini, Pitulon colli Pitulani, Tellene colli Tellenii, Tifata colli Tifatenſi, Cenina colli Ceninenſi, Ficana colli Ficanenſi, Cruſtumerion colli Cruſtumerii, Ameriola colli Ameriolani, Medullia colli Medullini, Saturnia, dove fù Roma edificata, Antipoli hoggi detta Anticoli, Antenna colli Antennati, Camerio colli Camerienſi, Collatia colli Collatini, Amiterno colli Amiternenſi, Norba colli Norbani, Sulmo hoggi detta Sarmoneta colli Sulmini. Gli Albani d'Alba Longa, altrimenti detti Albenſi, Eſolani, Acienſi, Abolani, Eubetani, Cuſuetani, Coriolani, Apiolani, Fidenati, Foretii, Hortenſi, Longulani, Manati, Macrali, Numinienſi, Olliculani, Octulani, Pedani, Polluſtini, Querquetulani, Sicani, Aurunci, Siſolenſi, Tolerienſi, Tutienſi, Vimitellarii, Velienſi, Venatulani, Vitel-*

Digitized by Google

Vitellenſi, li quali Popoli nell'inteſtine guerre Latine furono ſpenti affatto, come ſcrive Plinio al lib.3. cap.5. Ma quelli, che reſtarono d'eſſo antico Latio ſono, Oſtienſi, Afrodiſii, Lavinienſi, Anziati, Auſcurani, Fundani, Setini, Segnini, Lavici, Tuſculani, Albani, Corani, Bellitrani, Lanvini, Ardeatini, Preneſtini, Gabbini, Trebiani, Tiburtini, Aricini, Antigulani, Equi, Aletrini, Fiorentinati, Novani, Compitani, Sinueſſani, Aquinati, Caſſinati, Volſci, e Privernati, Sulmonenſi, Cliternini, Anagnini, Lavicani, & Hernici.

Si demas ex iſto Ligoriano indice Hernicos, Anagninos, Cliterninos, Privernates, Caſſinates, Aquinates, Sinueſſanos, Compitanos, Novanos, Ferentinos, Aletrinos, Anxures, & Fundanos, & loco *Ortenſium*, Artonenſes legas, quorum Urbem Latinæ Gentis Livius lib.2. Artonam dicit, & diſtinguas Albanos ab Albenſibus Populis, qui pariter Latini priſci erant, & *Antipolim*, non *Anticolim*, neque *Anticulanos* Populos cum Ligorio dicas, ſed Urbem Latinorum, ubi Janiculum, & Roma ſita eſt poſitam affirmes, falſam etiam lectionem ejuſdem Ligorii, qui ab Albanis Regibus Capuam, Liternum, Minturnam, cæteraque Oppida circumquaque condita ſcribit, Latiumque antiquum ultra Circæjenſes fines non extendas, facilè Ligorium ab Antiquis haud diſſonare ſtatim intelliges.

Fuere præterea in antiquo Latio tres illuſtres Pagi, ſeu Caſtra, Pagus ſcilicet Papirius, & alter Pupinius, uterque in Tuſculano Agro, qui Papiriæ, & Papiniæ Tribubus nomen dederunt teſte Feſto de verborum ſignificatione lib.14. verbo *Papiria*, quo loci addit, laudatos Pagos de finibus aliquando bella ſuſcepiſſe quamvis non deſint, qui Papiriam Tribum à Papiria Gente dictam affirment. Extitit etiam Pagus Lemonius ſitus via Latina non procul à Capena Urbis Romæ Porta, à quo Lemoniam Tribum nuncuparunt eodem Feſto lib.10. auctore.

Inter vias publicas, præclaræ in Latio fuerunt, & principes Appia, & Latina, inter fluvios Tiber, Numicius, Ufens, Aſtura, quæ etiam Inſula, Oppidumque fuit, & Nymphæum, & demum inter loca poſteris memoranda, Cloſtra Romana, Turni Lacus, Templum, Lucus, & Lacus Feroniæ, Aphrodiſium, Nemus, & Lacus Dianæ Arici-

by Google

Aricinæ, Ægeriæ Antrum, Albanus Mons, Juturnæ Fons, Pometina Palus, Neronis Foſſa, Lucus Jovis Indigetis, Æneæ ſcilicet, cui Latini Templum Jovis Indigetis cognomento dicarunt, & Ferentini Lucus, ac Forum, præter Templa Numinum, quorum appellationes ſuis locis referemus.

Ex hactenus dictis palàm fit, Latinorum priſcorum Populos iſtos fuiſſe; Albanos ſcilicet, Aricinos, Ardeates, Antiates, Algidenſes, Acienſes, Albenſes, Apiolanos, Amitinos, Antipolitanos, Antemnates, Abolanos, Ameriolos, Auruncos, Bolanos, Bovillanos, Bubetanos, quos alii Bubentanos dicunt, Coranos, Cornos, quos Cornetanos quidam ſcribunt, Circæjenſes, Coriolanos, Camerinos, Corniculanos, Collatinos, Cæninenſes, Corbionenſes, Cruſtuminos, Cuſuetanos, quos Sigonius Carventanos vocat, Eſolanos, Ficanenſes, Ficulnenſes, Fidenates, Foretios, Gabinos, Hortenſes, fortaſſe Artonenſes, quos Livius nominat, Labicanos, Laurentes, Lanuinos, Lavinienſes, Longulanos, quos Longanos quidam appellant, Locrenſes, Latinienſes, Medullinos, Macrales, Manates, Mugillanos, Mutucumenſes, Munienſes, Norbanos, Nomentanos, Numinienſes, Olliculanos, Octulanos, Præneſtinos, Pedanos, Politorianos, Poluſtinos, quos Poluſcanos plures dicunt, Pometinos, Pitulinos, Quærquetulanos, Setinos, Satricanos, Scaptinos, ſeu Scaptenſes, Sulmonenſes, Siſolenſes, Sicanos, Saturnios, Trebanos, Tifatenſes, Tuſculanos, Tiburtinos, Tellenios, Tolerinos, Trojanos, Tutienſes, Veliternos, Vetellenſes, Velienſes, Venetulanos, quos quidam Venantulanos appellant, & Vimitellarios.

Præterea Populi, qui Romanorum ævo Latinorum veterum Agrum incoluerunt, neque Albanorum Regum ætate erant, hi ſunt, Signini, Fabienſes in Monte Albano, Ulubrenſes non procul à Velitris, Foroappienſes, Oſtienſes, Triumtabernenſes. Neque dicas, plura prædictorum Oppidorum nomina, Urbibus, quæ ſunt extra limites Latii antiqui à Plinio deſcriptos convenire; quandoquidem licet nomina conveniant, diſſonat tamen ſitus; omnia namque laudata Oppida intra Anienem, Tiberim, & Circæjos poſita erant teſtimonio Plinii, Dionyſii, & aliorum, quo fit, Urbes, quæ idem nomen ſortitæ ſunt, extra fines enunciatos ſitas, aliàs fuiſſe ab illis, quæ ad Lati-

nos priſcos pertinebant, & quarum indicem expoſuimus; plures enim illarum ante Romam conditam deletæ, quædam in Pomœrio Urbis Romæ incluſæ, pluresque Romanorum Regum fortitudine everſæ jacuerunt, quorum nomina cum ipſis Oppidis interiiſſent, niſi Plinius ea indicaſſet. Quinimmo partem ejuſdem Latinorum priſcorum Agri arctis circumſcripti finibus, Sabini, Æqui, & Volſci occuparunt, quo fit confuſos fuiſſe limites, & Scriptores quamplures erraſſe, putantes quædam Latinæ Gentis Oppida ab jiſdem Populis ſubjugata, ac dein novis Coloniis ab Albanis Regibus exculta Sabinorum, Æquorum, aut Volſcorum juriſdictioni acceſſiſſe, ac Volſcæ, Æquæ, aut Sabinæ Gentis fuiſſe, cum tamen dilucidum ſit, illa à Sicanis, vel Aboriginibus condita in Latini, ſeu Albanorum Regum ditione manſiſſe, ut jam diximus, & animadvertit Athanaſius Kircherus de Veteri, & Novo Latio cap.7., cujus tamen ſcripta aliquibus mendis obſita ſunt, quæ ſine magna rerum antiquarum obumbratione probare non poſſumus.

Expediti à nominibus Populorum, & Urbium veterum Latinorum, eorumque finibus, dicendum ſupereſt, qua de cauſa Romani, totum id Terrarum ſpatium, quod ſuperius deſcripſimus antiquum Latium nuncupaverint, finitimaſque Urbes in novo, ſeu adiecto Latio poſitas aſſeruerint. Feſtus verbo *Latini priſci* ait: *Priſci Latini propriè appellati ſunt ii, qui prius quam Roma conderetur fuerunt.* Varro de lingua Latina lib.4. hæc habet: *Qua Regnum fuit Latini univerſus Ager dictus Latium.*

Livius lib.1., quem doctiſſimus Scaliger ad Feſtum laudat, memoriæ prodidit, Colonias à Latino Silvio Albanorum Rege deductus, priſcorum Latinorum Urbes dictas fuiſſe. At idem Scaliger Conject. in Varronem de lingua Latina lib.6. pag.76. antiqui Poëtæ carmen ſic interpretatur:

Quam primum Caſci populi genuere Latini

Caſcos Latinos interpretor eos, qui ante Romam conditam in Colonias deducti ſunt à Latino Silvio Albanorum Rege, quæ à Romanis poſtea priſcæ dictæ ſunt; unde fit, Caſcos Latinos dictos fuiſſe ante Romam conditam Populos Latinos, quos in Colonias Latinus Silvius Albanorum Rex deduxerat; quo exemplo palàm eſt, Ro-

manos,

manos, eoſdem Latinos priſcos nuncupaſſe; quod verum eſt, quandoquidem lectio Feſti nimis latè patet, omnes enim Populi, quos ante Romam conditam fuiſſe memorant, priſcorum Latinorum numero accenſere oporteret; dictum etiam Varronis minus verum deprehenditur; quoniam Cæninenſes & Ardeates, qui Latini ætate ſuis regebantur ducibus è numero priſcorum Latinorum delendi eſſent.

Puto tamen Scaligerum ſupplendam eſſe ex Dionyſio lib. 1. qui tradit, omnes Colonias ab Albanorum Regibus, prius quam Roma conderetur, deductas, omnemque Regionem, qua Regnum Latini protendebatur, Latinorum priſcorum Urbes à Romanis nuncupatas fuiſſe; enimvero Virgilius, Solinus, & alii memoriæ produnt, Aſcanium & ſequentes Albanorum Reges, plures Latinorum Colonias deduxiſſe, quas ideo fas non eſſet inter Latinos priſcos numerare, ſi illi tantum Populi, quos Latinus Silvius in Colonias deduxit, Latini priſci dicendi eſſent.

Quare habes omnia Oppida quorum Populos enumeravimus ab Albanorum Regibus Colonias deductas fuiſſe, id quod ſatis apertè innuit Auctor Origin. Gent. Roman., qui poſtquam plures Colonias regnante Latino Silvio deductas retulit, addidit: *cæteraque Oppida circumquaque*.

CAPUT III.

De Jano, & Saturno antiquiſſimis Latinorum Regibus.

IAM diximus Aborigenes, Sicanos, & Auruncos primos antiqui Latii incolas fuiſſe, nunc dicendum ſupereſt de Sicanorum, & Aboriginum Regibus. Virgilius lib. 12. Æneid. referens prælium inter Æneam, Latinum, & Turnum Rutulorum Regem commiſſum, ſic canit:

Murranum hic atavos, & avorum antiqua ſonantem
Nomina, per Regeſque actum genus omne Latinos
Præcipitem ſcopulo, atque ingentis turbine ſaxi
Excutit, effunditque ſolo . . . . .

quo loci Servius prodit omnes Reges priſcorum Latinorum, Murra-

nos dictos à Murrano primo eorum Rege; quippè, ut ſcribit Alexander ab Alexandro Genial. lib. 1. cap. 2. ſicuti ab Auguſto omnes Romani Imperatores Auguſti, & à Silvio Aſcanii filio Albanorum Rege, quotquot Albæ Regnum adminiſtrarunt Silvii dicti ſunt, ita à Murrano, qui primus in Latio antiquo regnavit, omnibus priſcis Latii Regibus Murrani cognomen inditum fuiſſe ferunt; idem Virgilius lib. 7. Sabinum Regem Latinorum antiquiſſimum nominat.

Alii putant Oenotrum primum in Latio regnaſſe, huic ſucceſſiſſe tradunt Italum, Italo Morgetem, Morgeti Siculum, ſive Sicanum, ut auctor eſt Dionyſius lib. 1., cujus verba ſuperius cap. 1. retulimus; Sicano vero ſucceſſiſſe ajunt Oſirim, quem referunt Gigantes oppugnaſſe; poſt hunc regnaſſe produnt Leſtrygonem Gigantem ex filio Neptuno nepotem, quem Hercules Oſiridis filius, qui monſtra ubique Terrarum perdomuerat, debellaſſe dicunt. Herculem vero Tuſcum filium ex Arana conjuge ſuſceptum Latinis præfeciſſe, ejuſque ſucceſſores Morgetem Kithis filium, qui haſtatus Juppiter, & Jaſium, qui Soſpitator Juppiter dictus eſt, fuiſſe narrant; poſt hos regnaſſe Romam, à qua conditam Urbem ferunt, & poſt eam Romaneſſum; hunc Veſtinis, & Aboriginibus imperaſſe, & primum, qui Saturnus, ideſt Pontifex Maximus conſtitutus ſit, fuiſſe, ac ſucceſſoribus Pontificatus inſignia tradidiſſe perhibent, ut referunt Caſella de primis Italiæ Colonis pag. 40. & ſeqq., Voſſius de Idololatria, & alii.

Verum hæc, quæ Caſella aſſerit incerta ſunt, & priſcis Latinis, Romaniſque etiam ignota; quippe Annius Viterbienſis apocryphorum Scriptorum commentator, & mango, prædicta, & his majora poſteris prodidit, quæ nauſeam movent. Quare ea, quæ Latini, Romanique palam dixerunt, publiciſque monumentis teſtati ſunt, referre ſufficiat. Auctor Originis Gent. Romanar. primos, & antiquos Latii Reges referens, hæc memoriæ prodidit: *Primus in Italiam creditur veniſſe Saturnus, ut etiam Maronis Muſa teſtatur; tanta autem uſque id tempus antiquorum hominum traditur fuiſſe ſimplicitas, ut venientes ad ſe advenas, qui ad inſtruendam vitam, formandoſque mores aliquid conferrent, quod eorum parentes, atque originem ignorabant, Cœlo, & Terra editos non ſolum ipſi crederent,*

derent, verum etiam poſteris affirmarent, veluti hunc ipſum Saturnum, quem Cœli, & Terræ filium eſſe dixerunt. Quod cum ita exiſtimetur, certum tamen eſt, priorem Janum in Italiam deveniſſe, ab eoque poſtea venientem exceptum eſſe Saturnum; unde intelligendum eſt, Virgilium quoque, non ignoratione veteris hiſtoriæ, ſed ſuo more primum dixiſſe Saturnum, non ante quem nemo, ſed Principem, ut Trojæ qui primus ab oris, cum procul dubio conſtet, ante Æneam, priorem Antenorem in Italiam eſſe pervectum &c., ſed, ut ad propoſitum revertamur, ferunt Creuſam Erechthei Regis Athenienſium filiam ſpecioſiſſimam, ſtupratam ab Apolline, enixam puerum, eumque Delphos olim educandum eſſe miſſum, ipſam vero à patre ipſarum rerum neſcio Xuto cuidam comiti copulatam, ex qua cum ille pater non poſſet exiſtere, Delphos eum petiiſſe ad conſulendum Oraculum, quomodo pater fieri poſſet; tum illi Deum reſpondiſſe, ut quem poſtero die obviam habuiſset, eum ſibi adoptaret. Itaque ſupradictum puerum, qui ex Apolline genitus erat obviam illi fuiſſe, eumque adoptatum cum adoleviſſet, non contentum patrio Regno, cum magna claſſe in Italiam deveniſſe, occupatoque monte, Urbem ibidem conſtituiſſe, eamque ex ſuo nomine Janiculum cognominaſſe. Igitur Jano regnante apud Indigenas rudes, incultoſque, Saturnus Regno profugus, cum in Italiam veniſſet, benignè exceptus hoſpitio eſt, ibique haud procul à Janiculo, Arcem ſuo nomine Saturniam conſtituit, iſque primus agriculturam edocuit, feroſque homines, & rapto vivere aſſuetos, ad compoſitam vitam traduxit &c. Iſte etiam uſum ſignandi æris, ac monetæ in formam incutiendæ, oſtendiſſe traditur, in qua ab una parte caput ejus imprimeretur, altera navis, qua vectus ille erat. Ædes quoque ſub Clivo Capitolino, in quo pecuniam conditam habebat, Ærarium Saturni hodieque dicitur; verum quia, ut ſupra diximus prior illuc Janus advenerat, cum eos poſt obitum divinis honoribus cumulandos cenſuiſſent in ſacris omnibus primum locum Jano detulerunt uſque eo, ut etiam cum aliis Diis ſacrificium fit, dato Thure in Altaria, Janus prior nominetur, cognomento quoque addito Pater. . . .

Sed Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 7. Cameſen una cum Jano regnaſſe tradit: *Regionem iſtam, quæ vocatur Italia Regno Janus obti-*

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

obtinuit, qui ut Hyginus tradit, cum Cameſe æquè Indigena Terram hanc ita participata potentia poſſidebat, ut Regio Cameſene, Oppidum Janiculum vocitaretur, poſtea ad Janum ſolum Regnum redactum eſt, qui creditur geminam faciem prætuliſſe, ut quæ ante, quæque poſt tergum eſſent intueretur, quod procul dubio ad prudentiam Regis, ſolertiamque referendum eſt, qui & præterita noſſet, & futura reſpiceret; hic igitur Janus, cum Saturnum claſſe pervectum excepiſſet hoſpitio, & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum, & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegiſſet, Regni eum ſocietate muneravit, hos una, concordeſque regnaſſe, vicinaque Oppida communi opera condidiſſe prodit hiſtoria.

Unde habes ex Auctore Originis Gent. Romanar., Jani ortum, quem Romanorum nemo palam fecerat, paucis exceptis, qui prodiderunt eundem Cœli, & Hecatis filium, teſte Roſino Antiquit. Romanæ lib.4. cap. 17. ex Macrobio vero, Cameſen ante Saturni appulſum, cum Jano regnaſſe, cujus rei alii Romanæ hiſtoriæ Commentatores non meminerunt. Ferunt autem Janum, & Saturnum triginta tribus annis in Latio regnaſſe, cum enim teſte Euſebio in Chronico editionis Pontaci pag.69. *Ante Æneam Janus, Saturnus, Picus, Faunus, & Latinus in Italia regnaverint circiter annis centum quinquaginta*, & ſint qui Pico annos triginta ſeptem, Fauno quatuor & quadraginta, Latino ſex & triginta tribuant juxta computationem Syncelli pag.171. editionis Regiæ, meritò Jano, & Saturno annos tres & triginta Regni, ad explendos centum quinquaginta ab Euſebio memoratos aſſignant, ut refert Theodorus Ryckius Diſſert. de primis Italiæ Colonis cap.5. quæ porro incertiſſima ſunt.

Non tamen deſunt, qui affirmant, aut Saturnum nunquam in Latio fuiſſe, aut ſi fuit, diù ante Janum regnaſſe, quod Theophilus lib.3. ad Autolycum inter Opera S.Juſtini Martyris pag.139. aſſerat Belum, & Cronum, quem Latini Saturnum vocant annis trecentis uno, & viginti, Trojano bello ſuperiores fuiſſe, unde fit longè ante Jani in Latium appulſum, Saturnum vixiſſe, ſi Euſebianæ computationi credendum eſt. Hinc Ryckius dicto cap.5. putat Janum à Sterce Pici patre in partem agri Latini, & Regni receptum, illi mortuo, ſub Saturni nomine, divinos conſtituiſſe honores, Latinoſque

hac

Digitized by Google

hac de cauſa Stercen, Saturnum nuncupaſſe; & quidem D. Auguſtinus de Civitate Dei lib. 18. cap. 15. hæc tradit: *De Pici patre Saturno viderint quid ſentiant talium Deorum cultores, qui eum negant hominem fuiſſe, de quo alii ſcripſerunt, quod ante Picum ſuum filium in Italia regnaverit, & Virgilius notioribus literis dedit; ſed hæc poetica opinentur eſſe figmenta, & Pici patrem Stercen potius fuiſſe aſſeverent, à quo peritiſſimo Agricola inventum ferunt, ut fimo animalium agri fœcundarentur, quod ab ejus nomine Stercus dictum eſt, unde & hunc quidam Stercutium vocatum ferunt. Qualibet autem ex cauſa eum Saturnum appellare voluerint, certum eſt tamen, hunc fuiſſe Stercen, ſive Stercutium, quem merito agriculturæ ferunt Deum.*

Hæc D. Auguſtinus, cujus ævo antiquiſſimi Romanorum Codices rerum adhuc extabant; verum prædicta hiſtoricam veritatem confundunt, adverſantur etiam antiquis Scriptoribus, qui non Janum à Saturno, ſed Saturnum à Jano exceptum teſtantur, & qui Latium dictum fuiſſe produnt, quod Saturnus Jovis iram fugiens, primum in hac ora delituiſſet, ut fuſius dicemus ſuo loco. Neque annorum computationes quas Ryckius refert, aut D. Auguſtini opinio, vetuſtiſſima rerum geſtarum monumenta obumbrare poſſunt; quandoquidem, tam ipſi Græci, quam ipſi Latini Hiſtorici, qui priſcorum ſæculorum mentionem faciunt, falſa veris, atque vera fabulis commiſcent, uſque adeo, ut neque Deos, neque eorum cultus, ætates Deorum, aut nomina, & ritus aſſequi valeas; ſi enim legas Macrobium, & Lactantium, quinimmo Plutarchum, Varronem, Feſtum, & ſimiles, Poëtaſque præſertim, videbis uni Numini plura nomina, plures ætates, plureſque potentias tributas fuiſſe, cum alii Janum Apollinem, & Solem eumdem faciant, & Faunum eumdem eſſe, & Panem, ac Silvanum affirment; cum enim tota Gentilium Religio fabulis, & figmentis innixa eſſet, facilè unicuique datum erat ex fabula hiſtoriam componere.

Itaque, ut alibi diximus, noſtrum non eſt referre ea, quæ vera ſunt, cum Scriptores primas illas ætates erroribus fœdaverint, ſed ea, quæ Latini priſci, & Gentes vera exiſtimarunt; unde evenit non poſſe Saturni originem diverſam dici ab illa, quam Latina Gens credidit,

didit, ſcriptiſque commendavit, ut teſtis eſt Herodianus hiſtor. lib. 1. in Commodo cap. 18., qui Saturnalium dierum hoc modo meminit: *Quem diem Romani Feſtum agunt, ad Janum vetuſtiſſimum Italiæ Deum referentes, cujus etiam Saturnum ipſum ab Jove filio pulſum quum in Terram deſcendiſſet, fuiſſe hoſpitem prædicant, & quod filii potentiam metuens ibi latuiſſet, quo circa etiam nunc Romani Saturnalia Deo, qui latuit concelebrant.*

Fatemur tamen Saturnum *Stercutium* quoque dictum à Latinis, non quod Stercen Pici patrem eum putaverint, ſed quod ſtercorandi agri uſum reperiſſet, ut prodit Macrobius Saturnalium lib. 1. cap. 7. *Huic Deo* (Saturno ſcilicet) *inſertiones Surculorum, pomorumque educationes, & omnium bujuſcemodi fertilium tribuunt diſciplinas; Cirenenſes etiam cum rem divinam ei faciunt, ficis recentibus coronantur, placentaſque mutuo miſſitant, mellis, & fructuum repertorem Saturnum æſtimantes. Hunc etiam Stercutium vocant, quod primus Stercore fœcunditatem agris comparaverit.* Cæterum Lactantius de Falſa Religione lib. 1. cap. 22. editionis Batavicæ 1660. pag. 127. ait: *Sed ut Pompilius apud Romanos inſtitutor ineptarum Religionum fuit, ſic ante Pompilium Faunus in Latio, qui & Saturno avo nefaria ſacra conſtituit, & Picum patrem inter Deos bonoravit, & ſororem ſuam fatuam, Faunam, eamque conjugem conſecravit*; quo fit Saturnum, non Stercen, patrem Pici, avumque Fauni fuiſſe teſtimonio Lactantii, cujus ætate Romanæ hiſtoriæ monumenta, quorum copiam non habemus, haud adhuc perierant.

His poſitis, facilè eſt errorem illorum refellere, qui memoriæ prodiderunt, Janum nunquam in Latio regnaſſe, Janiculum vero ita dictum, quod olim in Jani tutela fuerit; ajunt enim Voſſius de Idololatria lib. 1. cap. 18., & alii, quos ſuperius cap. 2. retulimus, Janum fuiſſe Javan Japeti Europæorum parentis filium, & Græcos originem à Javan ducentes, Colonos Latii factos in Tuſciam, & Latium Jani nomen, & Numen invexiſſe, quod omnibus probatæ fidei Scriptoribus, & quidem antiquis adverſatur. Ferunt itaque Janum in Latio primum Diis Templa, Aras, & Pomœria feciſſe, & ritus inſtituiſſe ſacrorum, vinum, & Far Latinos ad ſacrificia, & Religionem magis,

Digitized by Google

magis, quam ad eſum, & potum, docuiſſe, propterea in Sacrificiis omnibus præfationem meruiſſe perpetuam, ut referunt Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 9., Ovidius lib. 1. 2. & 3. Faſtor., & alii. Ferunt etiam Jani uxorem fuiſſe Veſtam, quæ prima ſacrorum Regina, ſempiternum ſacrificiorum ignem Virginibus credidit, ut ex Fabio Pictore notat Alexander Genial. loco mox laudato; ſed Ovidius lib. 3. Faſtor., & Commentatores ibidem Veſtam Jani matrem faciunt, ejuſque juſſu Deam factam; Lactantius etiam de Falſa Religione loco adducto, non Janum, ſed Faunum in Latio Deorum ritum inſtituiſſe docet. Caſella vero de primis Italiæ Colonis pag. 39. ſcribit, poſt Saturni, ac Sabli Saturni filii, & Carnæ ætatem nefaria ſacra in Latio fuiſſe inſtituta; verum ex more vetuſtiſſimo Sacerdotum Romanorum, & Latinorum, Janum in quocumque ſacrificio invocandi, & patrem aſſerendi, ac ſacrificiorum parentem, quinimmo ex indigitamentis ipſis, ſatis dilucidum fit, Latinos, Romanoſque putaſſe, Janum Diis primum ſacrificia offerre docuiſſe, ut tradit Macrobius.

Sunt quoque, qui referunt, Janum communi omnium Aboriginum conſenſu, Carnam Helernam cum ſceptro, haſta ſcilicet pura, & faſcibus duodecim, Aboriginibus præfeciſſe, & Latinos hanc Deam ſub nomine Cardeæ, & Cardineæ coluiſſe, quod eidem Colonias deducendi jus datum, & omnis ſacrorum cura à Jano commiſſa eſſet, ut tradunt Caſella loco laudato pag. 13., & Voſſius de Idololatria: quod Annii Viterbienſis figmentum facilè refellitur, ſi conſideres, Macrobium Saturnal. lib. 1. cap. 12. teſtari Carnam Deam Jani uxorem fuiſſe, ita enim loquitur: *Carnæ Deæ quoque adorationem præſtabant, quæ Jani uxor fuiſſe, & vitalibus humanis præeſſe credebatur, cui fabacia Pulte, & larido ſacrificari in uſu fuit*; unde Cœlius Rhodiginus lib. 8. cap. 9. Carnam, non Latii Reginam, ſed Jani uxorem fuiſſe ſcribit. Hæc de Jano, & Saturno antiquiſſimis Latinorum Regibus nunc dixiſſe ſufficiat, plura enim, quæ ad Saturni cultum pertinent habebis infra, ubi de Setinorum Templo Saturni Profugi verba faciemus.

CAPUT IV.

De Pico, & Fauno Latinorum Regibus, eorumque Oraculis in Agro Laurenti, & de Evandri, & Herculis in Latium appulſu.

SAturni filium Picum fuiſſe teſtantur Lactantius de Falſa Religione lib. 1. pag. 127., Feſtus verbo *Picus*, & Virgilius lib. 7. Æneidos non longè à principio ubi Latini genealogiam referens, ſic canit:

. . . . Rex arva Latinus, & Urbes
Jam ſenior longa placidas in pace regebat
Hunc Fauno, & Nympha genitum Laurente Marica
Accipimus, Fauno Picus pater, iſque parentem
Te Saturne refert . . . . . .

ubi Servius, & alii Commentatores id ipſum affirmant. Hunc Latini, juſſu Fauni coluerunt, Deumque putarunt, qui Oracula ederet, & interrogantibus reſponderet ut diſertè teſtatur Lactantius.

Plutarchus autem in Problematibus cap. 20. memoriæ prodidit Latinos aſſeruiſſe, Picum uxoris Canentis veneficio mutatum, Avem deinde factum, Oracula in Latio edidiſſe, quod miraculum Ovidius lib. 13. Metamorphoſeon, & Virgilius loco laudato, Circes veneficio tribuunt; ſed Feſtus commemorat, eundem Pico Ave uſum in auſpiciis, augurio ſumpto, quod ſic dictus eſſet; & Plinius lib. 10. cap. 18. *Pici*, inquit, *principales in Latio ſunt in augariis à Rege, qui nomen huic avi dedit*, Servius etiam ad Virgilium lib. 7. Æneidos ait: *Picus augur fuit, domique habuit Picum, per quem futura noſcebat*, quem locum Turnebus Adverſ. lib. 23. cap. 25. explicans, ſcribit Latinos Gryphos, Picos nuncupaſſe, quod Picus illorum Rex hac ave in auguriis uteretur.

Quo fit Latinos hanc avem tanquam Martis ſymbolum, in Pici Templo exhibuiſſe, reſponſa Sacerdotali fraude rudi populo dantem, ut tradit Voſſius de Idololatria lib. 9. cap 20. Idipſum teſtatur

by Google

ſtatur Dionyſius lib. 1. qui ait: *Rurſum à Reate verſus Latinam viam euntibus occurrit ad trigeſimum ſtadium Vatia, ad quadrageſimum Tiora, quæ dicitur Matiena. In hac ajunt fuiſſe Oraculum Martis antiquiſſimum non abſimile illi Dodonæo celebrato in fabulis, niſi quod illic in ſacra quercu ſedentem columbam dicunt vaticinari ſolitam. Apud Aborigines avis divinitus miſſa, quam ipſi Picum nominant, idem faciebat in columna lignea.*

Hinc ſcimus avem hanc in Pici æde, quæ Laurenti viſebatur ſupra columnam ligneam poſitam oracula edidiſſe; tegebatur autem avis galea ornata plumis, penniſque diverſorum colorum, ſi credimus Ligorio in MSS. Otthobonianis, verbo *Faunii*. Et quanvis Voſſius fabuloſum Pici Latinorum Regis cultum, & Regnum exiſtimet, & Plutarchus Problem. cap. 20. ejuſdem Oraculum fabulare credat, Romani tamen Scriptores palàm quæ diximus faciunt, quinimmo Romæ in monte Aventino fuiſſe Antrum cum fonte à Numa Pompilio, Pico, & Fauno Latinorum Regibus ſacratum prodit Ligorius verbo *Antro Aventino*, ubi lapidem effoſſum teſtatur cum epigraphe:

SILVANO SANCTO FAVNO ET PICO
SACRVM
L. POMPONIVS L. F. CALPHVRNIANVS
FRVG. AEDIL. CVR. L. D. D.

Addit Auctor Originis Gentis Romanæ Regem hunc Aborigines in Latium advenientes excepiſſe; alii verò narrant, non hunc, ſed Janum Aboriginibus primum imperata feciſſe, ut diximus. Pici Regiam Laurenti ſic deſcribit Virgilius lib. 7. Æneidos:

Tectum auguſtum ingens, centum ſublime columnis
Urbe fuit ſumma Laurentis Regia Pici
Horrendum ſilvis, & religione parentum
Hinc ſceptro accipere, & primos attollere faſces
Regibus omen erat, hoc illis curia templum,
Hæ ſacris ſedes epulis, hic Ariete cæſo
Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis

 Quin

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua ex cedro, Italuſque, paterque Sabinus
Vitiſator curvam ſervans ſub imagine falcem
Saturnuſque ſenex, Janique bifrontis imago
Veſtibulo adſtabant, aliique ab origine Reges.

Poſt Picum regnavit in Latio Faunus Pici filius, ut Auctor Originis Gentis Romanæ, Lactantius, Virgilius, aliique Scriptores perhibent. Sunt tamen, qui referunt, duos Faunos Latinorum Reges fuiſſe, primum Senem, quem Aboriginum Regem faciunt, & quem Dionyſius lib. 1. ex Marte oriundum affirmat; ſecundum, quem juniorem dicunt Pici filium, à quo Fana ſunt dicta, quod is primum Pico patri, & Saturno avo loca, & lucos dicaſſet, teſte Roſino Antiquit. Roman. lib.2. cap.17., quod tamen falſum eſt, ſi conſideres, præter Manethonem Ægyptium, cujus Roſinus meminit, neminem, Faunum alterum Aboriginum Regem aſſerere. Dionyſius quippè lib. 1. ſolius Fauni meminit, qui Evandrum Arcadum ducem hoſpitio excepit, quem omnes tradunt Pici filium fuiſſe; & quamvis Dionyſius, hunc Martis filium, & Plutarchus in Pararellis cap.73. Mercurii prolem affirment, idem tamen eſt Pici filius, quem à Marte deſcendere Latini ferebant, quod Picum Martium Martis ſymbolum in Pici Regis templo colerent, Regiſque perſonam exhibere putarent, uti ex laudatis Auctoribus patuit. Hic etiam apud Plutarchum mendoſe Mercurii filius traditur; quandoquidem Plutarchus eo loci loquitur de Hercule quem Evander Mercurio genitus, non autem Faunus hoſpitio accepit, ut Auctores ſunt Livius lib. 1., & Dionyſius lib. 1. Ab hoc Latinos populos Faunios dictos teſtatur Lucilius apud Lactantium loco laudato, necnon Sempronius de Latinis Antiquitatibus in MSS. apud Ligorium verbo *Faunii*, ſi tamen fragmenta Sempronii adhuc ſuperſunt.

Fauno autem Latinos priſcos, & Romanos divinos præſtitiſſe honores palàm eſt; quippe Dionyſius lib. 1. ait hunc tanquam unum Indigetum ſacris à Latinis, & Romanis honoratum, & carminibus. Lactantius etiam lib. 1. de Falſa Religione pag. 81. ait hunc Deum Latinorum præcipuum fuiſſe, & Auctor Originis Gentis Romanæ hæc de eo habet: *Poſt Picum regnavit in Italia Faunus, quem à*

Fando

Digitized by Google

Fando dictum volunt, quod is ſoleret futura præcinere verſibus, quos Saturnios dicimus, quod genus metri in vaticinatione Saturnia primum proditum eſt: ejus rei Ennius teſtis eſt, cum ait: Verſibus quos olim Fauni, vateſque canebant. Hunc Faunum plerique eundem Silvanum à ſilvis, Inuum Deum, quidam etiam Pana, vel Pan eſſe dixerunt, quod etiam prodit Servius ad lib.6. Æneidos, referens Virgilium omnia Oppida à Latinis Regibus condita deſcribentem, inter quæ Pometiam, Coram, Bolam, & Caſtrum Inui recenſet, *Inuus*, inquit, *latinè* appellatur *Incubus, item Faunus, item Fatuus; dicitur autem Inuus ab ineundo paſſim cum omnibus animalibus, unde etiam Incubus dicitur*, hujus etiam meminerunt Livius lib.1., & Commentatores libri de Origine Gentis Romanæ, ac Maronis loco indicato, qui hoc Caſtrum ſitum fuiſſe tradunt in Agro Laurenti, quamvis Cluverius lib.3.cap.5. illud in Agro Ardeati ponat. Itaque in Laurentino Agro erat Templum Fauni,quod ideo Caſtrum Inui dixerunt, quod ædes formam Caſtri exhiberet,eratque Templum Luco Deo ſacro ſeptum, in quo oleaſter viſebatur, ubi Nautæ ex undis, & naufragio ſervati donaria figere ſolebant, teſte Virgilio lib. 12. Æneidos:

Forte ſacer Fauni foliis oleaſter amaris
Hic ſteterat Nautis olim venerabile lignum
Servati ex undis, ubi figere dona ſolebant
Laurenti Divo, & votas ſuſpendere veſtes,

ubi Servius idipſum comprobat.

Hic ferunt Faunum oracula Saturniis verſibus reddere ſolitum, ut præter Auctorem Originis Gentis Romanæ teſtatur Varro de Re Ruſtica apud Roſinum Antiquit. Roman. lib.2. cap.17., & Ligorius verbo *Faunii*, & ſatis dilucidè Virgilius dicto lib. 7. Æneidos, qui de Latino loquens, ſic canit:

At Rex ſollicitus monſtris, oracula Fauni
Fatidici genitoris adit, lucoſque ſub alta
Conſulit Albunea nemorum, quæ maxima ſacro
Fonte ſonat, ſævamque exhalat opaca Mephitim
Hinc Italæ Gentes, omniſque Oenotria tellus
In dubiis reſponſa petunt.

ubi

ubi Servius videtur dubitare Maronem loqui de Templo, & Oraculo Fauni apud Tiburtes, & Martius Hiſtor. Tiburtin. initio lib.3., & Athanaſius Kircherus Veteris & Novi Latii lib.3. cap.3., Templum, & Oraculum Fauni in Agro Tiburtino fuiſſe opinantur, ſed (quod pace Grammatici illius dictum velim) ſatis inepte, & contra Poëtæ mentem, Oraculum Fauni ex Agro Laurenti in Tiburtinum transfert, cum Poëta duo, & diſtincta oracula Latinum conſulviſſe præcinat, illud ſcilicet Albuneæ, & ſic Tiburtinæ Sibyllæ, cujus ſitum deſcribit, aliud vero Fauni patris, cujus ſitum non indicat. Itaque cum Templum, & Fauni Oraculum Laurenti, non Tiburi fuiſſe conſtet, ex malè interpretato loco Virgilii, Martius, & Kircherus mendum dixiſſe dilucidum eſt. Quem locum ſcimus tanto in honore habitum, ut non eſſet, qui ex toto Latio, ad illum, conſulendi oraculi cauſa, in neceſſitatibus conſtitutus non concurreret, tantus cæcæ Gentilitatis Sathanicæ calliditatis technis ſeductæ, error inhæſerat.

Neque dicas Inui Caſtrum non Fauno, ſed Pani dicatum, & Evandrum cultum Panos Arcadum Dei in Latium invexiſſe, ut teſtatur Dionyſius lib.1.: *Arcades*, inquit, *in Colle Palatino firmati, cum ædificia alia more patrio exornaſſent, Templa quoque conſtruxere, ac primum quidem Pani Licæo, admonente eos Carmenta (eſt enim apud Arcadas Pan vetuſtiſſimus plurimumque in honore habitus) loco congruo invento, quem Romani Lupercal vocant, Græci Licæum dicunt; erat enim antiquitus antrum magnum ſub colle arbuſto denſo contectum, & fontes ſub petris profundi, adhærenſque rupibus ſaltus, crebris arboribus, & quidem magnis opacus, ubi Ara Deo conſtructa ſacrificia perficiebant*; quod etiam Livius lib.1., Varro de lingua Latina lib.4., Juſtinus lib.43. referunt.

Et præcæteris Macrobius Saturnalium lib.1. cap.22.: *Pan*, inquit, *ipſe quem vocant Inuum; hunc Deum Arcades colunt appellantes non Silvarum Dominum, ſed univerſæ ſubſtantiæ materialis dominatorem, ergo Inui cornua, barbæque prolixa dimiſſio ſignificant naturam lucis ſolaris, unde Solem Arcades crediderunt, quod fiſtula, vel virga ſignificat, quod in capræ pedes deſinit*. Hæc Macrobius, qui eundem Inuum & Panem Arcadum Numen facit, quo fit Voſſium de Idololatria lib.1. cap.12. pro certo habere Evandrum, cul-

cultum Fauni Arcadum Numinis in Latium invexiſſe, & Faunum Latinorum Regem fabuloſum fuiſſe.

Quandoquidem nos Voſſii narrationem fabularem, & Faunum Latinorum Regem fuiſſe, & inter Deos à Latinis priſcis relatum, diximus, uti ex mox adductis Scriptoribus patuit, id etiam Ligoriano lapide confirmare non abs re erit:

SILVANO SANCTO FAVNO
ET PICO
SACRVM.

qui cippus oſtendit Fauno, & Pico Latinorum Regibus locum, ubi lapis effoſſus fuit dicatum fuiſſe, & Faunum à Latinis Silvanum, & Inuum nuncupatum, ut præter lapidem Auctor Originis Gentis Romanæ teſtatur; & Calpurnius, qui Faunum ita loquentem fingit, Ecloga 1. v.33.

Qui juga, qui ſilvas tueor, ſatus æthere Faunus.

Id ipſum probatur ex Templo Fauni, quod Albana, & Latina gens à Tullo Hoſtilio poſt Albam everſam in Urbem traducta, condidit in Cœlio Monte, Regione ſcilicet Albanis Romæ ab eodem Hoſtilio aſſignata, quod Templum Latinos, & Albanos Fauno vetuſtiſſimo eorum Regi devoviſſe omnes conſentiunt, ut videre eſt apud Roſinum Roman. Antiquit. lib. 2. cap. 17., Alexandrum Genial. lib. 6. cap. 11., Marlianum Topographiæ Urbis Romæ lib.4. cap.9., qui addit id Templum ſitum fuiſſe, ubi nunc ædes circulari forma multis per ambitum columnis adornata ſacra Divo Stephano viſitur. Quinimmo Albani Cœlium incolentes, plura Fana Latii Diis ibidem conſtruxerunt, inter quæ illud Fauni, & Sacellum Carnæ Jani uxori ſacratum effulgebant, ut notat idem Alexander Genial. lib. 6. cap. 11. Et cum Faunum hunc Gentilitas crederet Satyrorum, Silvanorum, & reliquorum Agreſtium Numinum parentem, & Panos virtutes eidem tribueret, ut Virgilii, Calpurnii, & Varronis auctoritate probat Roſinus laudatus, hinc eundem Inuum dixit, ſicuti Inuum, Pana & Silvanum vocabant teſte Auctore Origin. Gent. Roman. loco quo ſupra.

Compe-

Comperimus etiam eundem Regem ſororem ſuam Faunam, ſeu Fatuam, quam in uxorem duxerat conſecraſſe; Lactantius quippè de Falſa Relig. lib. 1. hujus Faunæ conſecrationem hoc modo narrat: *Sed Faunus in Latio ſororem ſuam Fatuam Faunam, eamque conjugem conſecravit, quam C. Baſſus Fatuam nominatam tradit, quod mulieribus Fata canere conſueviſſet, ut Faunus viris, eamque Varro ſcribit tantæ pudicitiæ fuiſſe, ut nemo eam quoad vixerit præter virum ſuum mas viderit, aut nomen ejus audiverit; idcirco illi mulieres in operto ſacrificant, & Bonam Deam nominant, & Sextus Clodius in eo libro, quem græcè ſcripſit refert Fauni hanc uxorem fuiſſe, quæ quia contra morem, decuſque regium clam vini ollam ebiberat, & ebria facta erat, virgis myrteis à viro uſque ad mortem cæſa, poſtea vero cum facti ſui pœniteret, ac deſiderium ejus ferre non poſſet, divinum illi honorem detuliſſe.*

Hinc factum eſſe dicunt in memoriam veteris mulctæ, myrtum in ejus Deæ ædem nunquam inferri, & vinum, quod mulieres in illius Templo bibebant, vel effundebant, non vinum, ſed lac appellatum, amphoramque vini in ſacris obvolutam apponi ſolitam, mellеariam dictam fuiſſe, teſtibus Plutarcho Problem. cap. 19., Macrobio Saturnalium lib. 1. cap. 12., quinimmo, cum Majo menſe ejus ſacra fierent, quidquid eſſet maſculum Templo arcebatur, ita ut non modo extra conſpectum ſubmoverentur viri, ſed maſculæ quoque picturæ tegerentur, ejuſque propterea Templum virum ingredi ejuſque ſacris maſculos intereſſe piaculum, nominare etiam Deæ nomen in ſacrificio nefandum erat, unde pampinis tentoria feſtum diem agitantes mulieres contegebant, & putabant ſacrum Draconem ad ædes Deæ jacere, ut produnt Plutarchus in Cæſare, Cicero Oratione in P. Clodium, Alexander Genial. lib. 6. cap. 8. Quod etiam canunt Poëtæ; nam Tibullus lib. 1. Eleg. 7. hæc habet:

> *Exibit quam ſæpè, time: ſeu viſere dicet*
> *Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.*

Et Propertius lib. 4. Elegia 10.

> *Fœmineæ loca clauſa Deæ fonteſque piandos*
> *Impunè, & nullis ſacra retecta viris.*

Et

Et Juvenalis Satyra 6.

. . . . *velari pictura jubetur*
Quæcunque alterius ſexus imitata figuram eſt.

Hanc tamen Macrobius Saturnalium lib. 1. cap. 12. Fauni filiam, non ſororem, aut conjugem affirmat; alii vero Floram Flavii Divinatoris uxorem putant ex Plutarcho Problem. cap. 19.; alii Opim matrem Deorum, Ideam, Cybelem, Rheam, & Phrygiam nuncupant, ut videre eſt apud Alexandrum loco ſuperius adducto. Verum Macrobius, Lactantius, Clodius apud Lactantium, Varro lib. 1. cap. 22., Feſtus verbo *Picus Rex*, Roſinus Antiquitatis Romanæ lib. 3. cap. 26., Arnobius lib. 1. & 5., & alii, eam Faunam Fauni uxorem faciunt, quod verius eſt. Alteram, & ſecundam Fauni uxorem Vitelliam refert Suetonius in Vitellio, quo loci ait: *Extat Q. Eulogii libellus ad Q. Vitellium Divi Auguſti Quæſtorem, quo continetur Vitellios Fauno Aboriginum Rege, & Vitellia, quæ multis locis pro Numine coleretur, ortos, toti Latio imperaſſe, &c. Indicia ſtirpis diu manſiſſe, viam Vitelliam ad Janiculum ad mare uſque, item Coloniam ejuſdem nominis &c.*

Regnante Fauno, Evandrum, & Herculem Latina ad litora appulſos fuiſſe palàm eſt; quippè Evander ſexaginta annis, antequam Troja expugnaretur, ab Arcadiæ Urbe Pallantio cum Arcadum Colonia in Latium venit. Et quoniam vir gravis, & literarum gnarus erat, eum Faunus comiter excepit, & agris donavit; elegit autem Evander agros, ubi Romà nunc eſt, & mons, qui Palatinus dicitur, ubi Oppidulum condidit, cui Pallantium à veteri Patria Arcadiæ nomen impoſuit, atque hic Pani Licæo, jubente Matre, Victoriæ, Neptuno, Hyppio, aliiſque Arcadiæ Numinibus Templa conſtruxit. Græcarum etiam literarum uſum Arcadicæ Genti recens oſtenſum in Italiam tranſvexit, inſtrumenta quoque muſica, Lyram, Trigonam, & Lydos, terræque excolendæ gratia primus Boves in Latio junxit, ut memoriæ produnt Livius lib. 1., Dionyſius lib. 1., Auctor Originis Gentis Romanæ, & omnes Romanæ hiſtoriæ Commentatores.

Patrem autem Evandri Dionyſius Mercurium facit, Servius ad lib. 8. Æneid. Echemum; matrem fuiſſe ferunt Nympham fatidi-

cam, quam Dionyſius Themin à Græcis, Carmentam à Romanis dictam refert; Plutarchus vero in Romulo ait hanc Nicoſtratam nuncupatam, & Carmentam dictam à Latinis, quod Phœbo dicata verſibus oracula daret, furiiſque agitata quaſi inſaniens futura prædiceret, & Auctor Originis Gentis Romanæ eam primùm Carmentam, poſt Nicoſtraten vocatam, & carmina ab hac Carmenta, dicta fuiſſe putat.

Itaque Evandro, & Carmentæ Latini, & Romani quotannis aris, Templiſque conſtructis, ſacra facere conſueverunt, quinimmo Roma condita, Latinos omnes ad Trigeminam Evandro veluti Deo, & matronas Carmentæ ad Carmentalem Portam ſacrificaſſe ſatis perſpicuum eſt teſtimonio ejuſdem Dionyſii lib. 1., Plutarchi Problem. cap. 56., & in Romulo, Gyraldi ſyntagm. 15., Alexandri Genialium lib. 4. cap. 16. Hunc Latinis imperaſſe Fauno etiam vivente, aut eo defuncto omnes conſentiunt; Livius enim lib. 1. id refert, & plures apud Voſſium de Idololatria lib. 1. cap. 12., immo cum eodem Regnum Latinorum tenuiſſe ferunt Patronem quendam Evandri ſocium, à quo Patronorum nomen, & morem, ſcilicet conſtituendi Principes Reipublicæ, qui Populorum jura tuerentur, inſtitutum fuiſſe, ſunt qui commemorant, ut videre eſt apud Commentatores Ovidii ad lib. 1. Faſtorum, & præ cæteris Paulus Marſus, & Plutarchus in Romulo Patronem non Regem, ſed Evandri ſocium fuiſſe refert.

Verum conſtat, Faunum, eoque defuncto Latinum ejus filium Latinis imperata feciſſe, unde fit Evandrum Regulum in Latio, non autem univerſi Latii Regem fuiſſe; ſicuti enim comperimus Turnum Ardeatium Latinæ Gentis Regulum, ſic Evandrum Pallantii Oppidi in Latio ſiti, & vicinorum Oppidulorum Regulum fuiſſe dicimus, quod dilucidum fit ex eodem Livio dicto lib. 1., qui referens appulſum Herculis in Latium, Evandrum Agri, ubi Roma ſita eſt Dominum affirmat. Dynam Evandri filiam, à qua, & Hercule Palantem natum, & nomen Palantio, nunc Palatino Monti inditum fuiſſe, quod ibi in Collis vertice is ſepultus eſſet, refert Polybius, quem Dionyſius lib. 1. mendum aſſerere ſcribit, putans Palantem Evandri filiam, quam Lavinam ſunt qui nominant, ex Hercule filios procreaſſe,

ſe, & Palatino monti nomen dediſſe, quod Euſtathius confirmat. Paucis poſt Evandri adventum annis, Herculem ex Hiſpania reducem ad Latina litora appulſum Pontificales libri prodiderunt; hunc monitu Carmentæ matris, Evander comiter excepit, quinimmo ferunt cognita Herois virtute, Faunum Agrum ubi Capitolinus mons nunc eſt, Coloniæ, quam ille ſecum ex Hiſpania duxerat, dediſſe, ut ſcribunt Dionyſius lib. 1., Livius lib. 1., & Auctor Originis Gentium Romanarum, de quibus & conſule locum, ubi de Templo Herculis Setini plura diſcutiuntur.

Narrant etiam Herculem quandam Hyperboream puellam, quam obſidem à patre habuerat, & ſecum circumducebat, gravidam in Latio reddidiſſe, atque abiturum Argos nuptui dediſſe Fauno Regi; ex ea natum perhibent Latinum Herculis filium, quem Latini Fauni prolem dixerunt, quod Hercule abſente ex laudata Puella uxore Fauni natus eſſet teſte Dionyſio dicto lib. 1.; hanc Feſtus Palanto fuiſſe putat, & eamdem, quam Dionyſius Palantem nominat, & Evandri filiam facit; Juſtinus vero lib. 43. Latinum ſtupro conceptum aſſerit ex Hercule, & Fauni filia. Ex quibus deceptum dicimus Plutarchum in Pararellis cap. 73., ubi prodit Faunum Mercurio natum, Herculem hoſpitem invadere molientem, quod Patri hoſpites immolare conſueviſſet, ab eodem Hercule interemptum fuiſſe; cum enim Faunus Pico patre genitus eſſet, Evander autem Mercurii proles diceretur, hunc, non Faunum ab Hercule mactatum fuiſſe ex Plutarcho conjicitur.

Unde habes errorem eorum, qui Evandri, & Herculis in Latium appulſum regnante Fauno fabuloſum tradiderunt; quippe ſi conſideres Dionyſii ævo tot Romæ, & in Latio extitiſſe indubitata hujus rei indicia, ſcilicet Evandri Templa, Numina Arcadum, ſacrificia Arcadico ritu facta, Carmentalem portam, & Carmentæ ædem, necnon Aram Saturni in Colle Capitolino ab Hercule erectam, Caci Speluncam, & prope, Aram Jovi Inventori ab Hercule poſitam apud portam Trigeminam, Aram ipſius Herculis ab Evandro erectam, quam Maximam appellabant prope Forum Bovarium, necnon Templa in pluribus Latii Coloniis huic Deo dicata, & Colonias quæ palàm lapidibus inſcriptis Herculem Conditorem, & Parentem efferebant,

bant, facilè intelliges Evandri, & Herculis adventum in Latium negare, idem eſſe, ac omnibus rerum præteritarum memoriis fidem abrogare, ut probat Theodorus Rickius de primis Italiæ Coloniis cap.7. & 8.

CAPUT V.

De Latino, & Ænea Latinorum Regibus, illorumque Templis, & de Ænea Comitibus, ex quibus Romanorum nobiliſſima Familiæ prognatæ ſunt.

DIximus ſupra Fauni Regis filium Latinum fuiſſe, nunc ejuſdem geſta narrare exordiamur. Hunc ferunt ſtupro Herculis genitum ex Hyperborea Puella, quam Hercules ſecum è Græcia duxerat, & quam ut Feſtus ait Palanto vocant, quamvis alio loco Feſtus de Pico Latini avo agens, Regem hunc ex Fauno, & Fatua, ſeu Fauna ejuſdem ſorore, & uxore genitum prodat. Tres tradunt ei fuiſſe uxores, Maricam ſcilicet, Palatiam, & Amatam: Maricam Nympham Laurentem facit Virgilius lib.7. Æneidos, cujus carmina ſuperiori Capite retulimus, Servius etiam ad eum locum, & Strabo lib.5., qui commemorat huic Minturnenſes divinos præſtitiſſe honores, luco propè Urbem ei dicato, quod & teſtantur Livius lib.7., Horatius lib.3. Carmin. ode 17.

Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Litoribus tenuiſſe Lirim
Late Tyrannus.

ubi Porphyrion interpres: *Maricam autem*, inquit, *Minturnenſes maximè colunt, cujus etiam lucus in ipſa Minturnenſi Civitate eſt*: Lucanus lib.2.

. . . . Et umbroſæ Liris per Regna Maricæ,

atque Voſſius de Idololatria lib.1. cap.40., qui eam uxorem Latini appellat. Verum hanc Fauni uxorem Virgilius aſſerit, Servius etiam, qui

qui eam Fauni uxorem facit, & Minturnenſium litoris Deam; Lactantius autem lib. 1. de Falſa Religione cap. 21. pag. 118. ait Circen Maricam fuiſſe dictam, unde potius Pici quam Fauni uxorem eam dicere fas eſſet, cum Circen Pici ævo vixiſſe ferant; quamobrem in re tam vetuſta antiquorum potiùs ſententiam ſequimur, & eam Fauni, non Latini uxorem fuiſſe dicimus; an verò mater Latini fuerit, incertum eſt, quum Dionyſius, Feſtus, & alii ſuperiori Capite adducti, Hyperboream Puellam ab Hercule vitiatam matrem Latini, & hanc fuiſſe Latinorum opinionem teſtentur. Et quamvis Stephanus, ſeu potius ejus Epitomator Hermolaus de Præneſte loquens, Latinum Ulyſſis, & Circes filium faciat, alii ex Fauni filia, & Hercule prognatum tradant, ſicuti Juſtinus Pompei Trogi breviator lib. 43., alij demum parentes Latino Solem, atque Circen attribuant, ut putat Bartholinus lib. 1. Auſtriados, & ibi Spiegel: attamen Latini, & Romani in ea fuerunt ſententia, quod is Herculis ſatu genitus ex Fauni uxore ab Hercule, ut diximus, conſtuprata natus eſſet.

Altera fertur Latini uxor cognomento Palatia, cujus meminit Varro de lingua Latina lib. 4. & 6. referens Latinos, & Romanos huic in Dearum numerum relatæ, Palatualia feſta dicaſſe, cui ſubſcribit Scaliger in Feſtum, qui hanc non Latini matrem, ſed uxorem appellat, quamvis alii Palanto matrem Latini, & Palatiam eandem faciant. Tertiam perhibent fuiſſe Amatam, & Turni Rutulorum Regis conſobrinam, vel matruelem, ut auctor eſt Virgilius lib. 7. Æneidos, ubi Servius, & Commentatores omnes idipſum affirmant, & tradunt Dionyſius lib. 1., Livius lib. 1., & Auctor Originis Gent. Roman. Latini filios ex Amata Laviniam, & Præneſtum, ſeu Præneſten fuiſſe comperimus teſtimonio Solini cap. 8., Martiani Cappellæ de Nupt. Philol. cap. 6., & Stephani de Urbib., qui hunc Præneſte conditorem appellant, quæ tamen dicta ſint non ad aſſerendum hujus Urbis parentem, ſed ad Latini prolem indicandam.

Ejuſdem Latini fratrem Lavinum ſunt, qui putent, à quo Lavinium primum Lavinum dictum, inde Laurentum à Lauro inventa à Latino quum adepto Imperio poſt fratris obitum Civitatem augeret, demum Lavinium à Lavinia uxore Æneæ autumant, ut videre eſt apud Donatum lib. 1. Æneidos. Ego vero palàm eſſe affirmo, Lavi-

Lavinium, & Laurentum duas fuiſſe finitimas Urbes, quarum alteram, Laurentum ſcilicet, Picum condidiſſe omnes conſentiunt præter Annium Viterbienſem, & illius Sectatores, narrantes Lariſſam Aboriginum Metropolim Laurentum vocitatam fuiſſe à Lauro ibidem inventa, alteram vero Æneam conſtruxiſſe, & Lavinium nominaſſe à Lavinia Latini filia, omnes Romani Hiſtorici teſtantur, uti ex infra dicendis, & ex lapidibus priſcis, quos ſuo loco referam, patebit.

Quinimmo ſunt, qui dicant, Lavinium à Lavinia Anii Deliorum Regis filia eo loci ſepulta nominatum, aut Lavinam Evandri filiam ab Hercule vitiatam Oppido nomen dediſſe, quorum tamen narratio fabuloſa eſt; Auctorem quippe hujus opinionis ii produnt Dionyſium lib. 1., qui tantum hæc habet: *Sunt, qui dicant eum etiam (ideſt Herculem) filios iis in locis, quæ nunc Romani habitant reliquiſſe ſuſceptos è duabus fœminis: Palantam ex Evandri filia, quam Lavinam nominant, Latinum ex quadam Hyperborea Puella*, immo pag. 48. addit verum non eſſe Anii Deliorum Regis filiam in eo loco, ubi Lavinium conditum eſt, fuiſſe ſepultam.

Domum Latini Regis augurato conditam, Curiam, & Templum fuiſſe memoriæ prodit Servius ad lib. 11. Æneidos, ubi refert morem hujus Regis Senatum convocandi ad domum Regiam, illumque mactatis prius Arietibus in atrio domus, quod augurato conditum erat conſulendi, adſtantibus ducibus, quibus cum ſceptris Curiam ingredi conceſſum erat, unde factum putat Servius, Romanos Latinorum Regum exemplo conſueviſſe Senatum convocare, & Curiam conſtituere in Templis augurato conditis, & iis qui ſummum adepti fuerant Magiſtratum Curiam ingredi cum ſceptris dare.

Hoc itaque regnante, anno trigeſimo quinto Imperii, Æneas poſt everſum Ilium, profugus Laurentum appulit, navibuſque egreſſus cum vidiſſet ſuem triginta porculos peperiſſe in eo loco, ubi Lavinium poſtea ædificavit, ibi Urbem condere conſtituit. Metuens autem propter Agri ſterilitatem, per quietem viſis Deorum Penatum ſimulacris adhortantibus, ut perſeveraret in condenda Urbe, eo loci Urbem conſtruxit, quam Lavinium nominavit à Lavinia uxore, Latini filia, ut ſcribit Cato apud Auctorem Originis Gentium Romana-

manarum, & produnt Dionyſius lib. 1., Livius lib. 1., Virgilius, & omnes Romani Hiſtorici, Domitio excepto, qui, ut ait idem Auctor Origin. Gent. Roman., ſcripſit, Æneam navi egreſſum non longè à Laurenti litore, duo ſtagna aquæ ſalſæ conſpicientem, in illorum altero ſe laviſſe, & ibidem Urbem condidiſſe cognomento Lavinum, quod in ſtagno proximo ſe laviſſet.

Sunt etiam, qui ferant, Latinum cum ei nunciatum eſſet multitudinem Advenarum claſſe advectam Agrum Laurentem occupaſſe, adverſus inopinatos hoſtes ſuas copias eduxiſſe, ac prius quam ſignum dimicandi daret, cum cognoviſſet Æneam bello patrio pulſum cum Simulacris Deorum errantem, ſedem quærere, amicitiam fœdere iniiſſe, ut videre eſt apud Livium lib. 1., & Auctorem Origin. Gent. Roman. Alii vero narrant Æneam centum Viros Laurentum miſiſse, qui à Latino Agrum, & amicitiam peterent, ut canit Virgilius lib. 7. & 8. Æneidos. Verum Dionyſius lib. 1., Livii lectionem potius probat, aitque ſtatim colloquio facto, inter Latinum, & Æneam fœdus ictum fuiſse his conditionibus: *ut Aborigines darent Trojanis Agri quantum peterent à Colle quoquo verſus ſtadia circiter quadraginta, Trojani Aboriginibus eſſent in præſenti bello* (cum Rutulis ſcilicet) *ſocii, eorumque auſpiciis, ubicumque uſus poſtulaverit militarent, utrique alteros pro viribus juvarent mutuum tam manu, quam conſilio*.

Deinde Latinus nuptui Æneæ dedit Laviniam filiam jam deſponſatam Turno Rutulorum Regi, quem tamen Dionyſius lib. 1., non Regem, ſed Transfugam appellat, qua injuria Turnus exagitatus, prælium Latino, & Trojanis indixit, quo prælio ferunt Rutulis ab Aboriginibus fuſis, Latinum occubuiſse, & Amatam ſibi mortem conſciviſse, ut produnt Fabius Pictor relatus à Servio ad lib. 12. Æneidos, Livius dicto lib. 1., Auctor Originis Gent. Roman., Dionyſius lib. 1., omneſque Romani Scriptores. Delato itaque jure ſucceſſionis Regno ad Laviniam, tradunt Æneam ejus virum communi Latinorum conſenſu Regem factum, qui ut fœderis leges cuſtodiret, ſeu potius Latini ſoceri nomen, animique virtutem in poſteros propagaret, Aborigines, & Trojanos commixta ex utriſq; Republica, Latinos nuncupari voluit teſte Dionyſio dicto lib. 1., & Auctore Origin.

gin. Gent. Roman., quod Virgilius lib. 12. Æneidos comprobat, hic enim Junonem hoc modo Æneam appellantem exhibet:

Pro Latio obteſtor, pro majeſtate tuorum
Quum jam connubiis pacem felicius (eſto)
Component, quum jam leges, & fœdera jungent
Ne vetus Indigenas nomen mutare Latinos
Neu Troas fieri jubeas, Teucroſque vocari
Aut vocem mutare viros, aut vertere veſtes
Sit Latium, ſint Albani per ſæcula Reges.

cui Æneas hiſce verbis reſpondiſse refert.

Sermonem Auſonii patrium, moreſque tenebunt,
Utque eſt, nomen erit, commixti corpore tantum
Subſident Teucri, morem, rituſque ſacrorum
Adiiciam, faciamque omnes uno ore Latinos,

quæ carmina explicans Donatus ad lib. 1. Æneidos: *Mos*, inquit, *erat in bello, quod victi victorum nomen acciperent, unde ſummæ humanitati Æneæ tributum fuit, quod cum viciſſet Latinos eorumque nomen peremptum eſſet, non ſolum Latiale nomen, quod à Latino eorum Rege ſuſceperant reſtitueret, ſed etiam Trojanis Latinum nomen indiceret*. Allucinatur tamen Donatus, ſeu quiſquis eſt Auctor loco laudato, nam ſequitur eos, qui Æneam prælio Latinum fudiſse narrant, quum Romani Scriptores palàm faciant, nullo commiſso prælio, inter Latinum, & Æneam fœdus ictum fuiſse, uti ex paulò ante adductis Auctoribus patuit.

Ex his dilucidum fit Latinos à prædicto Rege Fauni filio denominatos fuiſse; neque dicas, Latium dictum, quod in ea Regione Saturnus delituiſset, unde coniici videtur Aborigines à Latio longè antequam Latinus Rex genitus eſset, nomen accepiſse; quippe palàm eſt, ante Regem hunc Latinos, Aborigines dictos, ut Dionyſius, Auctor Originis Gent. Roman., & Romani Scriptores teſtantur, quo fit Latium à latebra Saturni prius, quam Latinus Rex eſset, denominari potuiſse, uti Romani Saturnalibus feſtis palàm fecerunt, teſte Herodoto cap. ſuperiori indicato, quamvis gens, non Latina, ſed Aboriginum diceretur; nàm Latinam oram, Saturniam, Oenotriam, Tyrrhenam, & Auſoniam dictam ferunt Dionyſius lib. 1., & alii,

Digitized by Google

alii tametſi uſque ad Latinum ejus Accolæ Aborigines nuncupati ſint.

Porrò non deſunt, qui ſcribant Albanos Reges, Latinum ſub Jovis Latiaris nomine conſecraſſe, unde autumant Templum Jovi Latiali in Albano monte à Tarquinio ſuperbo erectum, Latino Regi, eo cognomento dicatum; quinimmo narrant Ferentini Lucum, ſeu Forum ſub Albano monte, ubi Latini ſacrificio peracto, prius quam Templum in Albano conditum à Superbo eſſet, ſolemnes agebant conventus, huic Regi ſacratum fuiſſe, ut memoriæ prodidit Ligorius in MSS. Bibliothecæ Otthobonianæ verbo *Laurentum*; idque veriſimile puto, licet modo non affirmem, quandoquidem, ut infra dicam, Latini Æneam, Jovem Indigetem, & Aſcanium Albæ Conditorem Jovis filium, & Jovem, ac Jobum dixerunt, & coluerunt, ut ſcripſiſſe Lucium Cæſarem lib. 1., & Catonem refert Auctor Origin. Gent. Roman.; ſolebant enim teſte Lactantio de Falſa Relig. lib. 1. cap. 21. pag. 118.: *Mortuis conſecratis nomina immutare, nequis putaret eos homines fuiſſe, nam & Romulus poſt mortem Quirinus dictus eſt, & Læda Nemeſis, & Marica Circe, & Ino poſtquam ſe precipitavit Leucothoa, materque Matuta, & Melicertes filius ejus Palemon, atque Portumnus*: quò fit poſt conſecrationem facilè Latino Jovis nomen fuiſſe impoſitum, Latiari cognomento addito, quod Latio præſideret, & ab eo Aborigines, Latini, dicti eſſent. Cæterum veriſimile non eſt Latinos Picum, Faunum, & Superiores Reges coluiſſe, Latinum vero non, à quo nomen acceperant, de quo tamen fuſius ſuo loco loquar.

Ut autem Turnus Latinum obiiſſe cognovit, reintegrato prælio, Mezentii, quem alii Etruſcorum, alii Agyllæorum, ſeu Tyrrhenorum Regem vocant, auxilium adſcivit. Hoc prælio perhibent non longè à Lavinio commiſſo, Æneam periiſſe, & quum ejus corpus quæſitum nuſquam compareret, aliis putantibus eum diſceſſiſſe ad Deos, aliis necatum in Numico, ſeu Numicio flumine, apud quod pugnatum erat, Latini in fluvii ripa Heroi dicarunt Sacellum cum inſcriptione hac teſte Dionyſio lib. 1.

PATRI DEO INDIGETI QVI NVMICI AMNIS VNDAS TEMPERAT.

Auctor vero Originis Gent. Roman. prodit id factum à Latinis, quod Aſcanius, & plures teſtarentur Æneam viſum ſupra Numici ripam eo habitu, armiſque, quibus in prælium proceſſerat; Livius vero lib. 1. ait Templum illi fuiſſe dicatum cum epigraphe:

IOVI INDIGETI.

quam lectionem Feſtus, Ovidius lib. 14. Metamor., Tibullus lib. 2. Eleg. 6., Servius, & cæteri comprobant. Hoc Templum ſunt qui putent ab Ænea dicatum Anchiſi Patri, quem ajunt cum Ænea ad Latina litora appuliſſe, & Lavinii defunctum anno proximo antequam Æneas in Deorum numerum relatus eſſet teſte Dionyſio lib. 1., qui tamen falſum id eſſe aſſerit. Erat autem tumulus in eo loco non magnus, & circumcirca in ordinem digeſtæ arbores ſpectatu dignæ, ubi vota, & donaria Deo facta Latini ſuſpendebant, ut teſtantur Feſtus, & Dionyſius loco laudato, qui uſque ad ſuum ævum id Templum fuiſſe ſcribit.

Inter miracula, quæ accidiſſe jactabant Latini antequam Æneæ divinos præſtitiſſent honores, illud præcæteris memoratu dignum fuiſſe ſcribunt, quod ex eo die, quo ille à Troja egreſſus eſt, quotidie Veneris ſtellam eum comitantem viderit, donec ad Agrum Laurentem veniſſet, quare eum cognoviſſe dicunt Terras eſſe fatales teſte Virgilio lib. 1. Æneidos:

Matre Dea monſtrante viam.

ubi Servius, & Donatus id ipſum affirmant, quæ tamen Poëtica opinamur eſſe figmenta, quum nemo Romanæ hiſtoriæ Scriptorum id enunciet. Produnt etiam Æneam fatidicæ vocis oraculo eruditum, ſuem triginta porcellos, ut ſuperius diximus, parituram, fœtu viſo, dixiſſe, triginta pariter poſt annos, Trojanos aliam Urbem clariſſimi nominis conditoros, ſi Catoni credimus apud Auctorem Originis Gent.

Gent. Roman., cui ſubſcripſerunt Dionyſius dicto lib. 1., & Virgilius lib. 8. Æneidos. Propterea Lavinienſes ſuis, & porcorum veſtigia Lavinii ſervarunt uſque ad Varronis ætatem, qui lib. 2. cap. 4. de re ruſtic. ſcribit corpus matris ſale conſperſum Lavinii à Sacerdotibus monſtrari conſueviſſe: *Parere ſcrofam tot oportet porcos, quot mammas habeat. ſi minus pariat, fructuariam idoneam non eſſe, ſi plures pariat, eſſe portentum. in quo illud antiquiſſimum fuiſſe ſcribitur, quod ſus Æneæ Lavinii triginta porcos pepererit albos; itaque quod portenderit, factum triginta annis, ut Lauinienſes condiderint Oppidum Albam. Huius ſuis, ac porcorum etiam nunc veſtigia apparent Lavinii, quod & Simulacra eorum abenea etiam nunc publico poſita, & corpus matris ab Sacerdotibus, quod in ſalſura fuerit, demonſtratur*: Hæc Varro.

Dionyſius eodem lib. 1. addit Æneam in eo ſitu fœtum ſuis vna cum ſcrofa Diis Penatibus immolaſſe, & Caſam ligneam conſtruxiſſe, quam Lavinienſes ſacram exiſtimantes cæteris inacceſſam ſervabant, quo fit Caſam hanc fuiſse extra ædem ſacram, vbi matrem porcorum Sacerdotes religioſiſſimè cuſtodiebant, rudique Populo oſtendebant. Pluribus quoque Templis Lavinium Æneas inſtruxit, quorum pleraque vſque ad Adriani Imperatoris ævum duraſse ſcribit Dionyſius lib. 1., & præ cæteris palàm eſt ibi condidiſſe Templum Veneris genitricis, de quo, ſuo loco dicemus. Ab hac Urbe, & ab hiſce Templis, quæ Æneas condidit ferè omnes religioſi ſacrificiorum ritus, quibus Romani uſi ſunt, derivaſſe commemorat Strabo lib. 5.: *Loca ipſa ſunt nobilitata Æneæ peregrinatione, & ſacrificiorum ritus ab illo uſque tempore traditos ſervari ajunt*; at quoniam hic non eſt locus, in quo eos narrare oporteat, quum de Lavinio verba facturi erimus, illos enunciabimus.

Id ſanè prætereundum non eſt, morem pro parentibus mortuis ſacrificandi, & parentandi, accenſiſque focis quovis anno genio majorum, dona ſolemnia ferendi, in Latium Æneam invexiſſe, qui Deo tutelari loci illius, ubi Pater tumulatus erat anniverſaria ſolemnia fecit teſte Ovidio lib. 2. Faſtor.

Hunc morem Æneas pietatis idoneus Auctor
Attulit in terras juſte Latine tuas:

Ille Patris genio ſolemnia dona ferebat
Hinc Populi ritus edidicere pios.

ubi Commentatores ſcribunt, nefaſtis Februarii diebus morem hunc à Latinis, & dein à Romanis ſervatum fuiſſe. Ab illo quoque, aut Trojana gente introductum eſſe fertur; ut mulieres cognatos ore oſcularentur teſte Plutarcho Problem. cap.6.: *Probabilior hujus rei cauſa eſt, quam ſcripſit Ariſtoteles; Illud enim jam vulgatum, & quod jam pridem heroicis temporibus factum fuiſſe dicitur, in Italia mulieres Trojanæ ut videtur, facere auſæ ſunt; nam quum ad Italiæ litus appuliſſent, ut viri ad unum omnes relictis navibus in terram deſcendiſſent, naves incederunt; metu deinde virorum pavidæ, propinquos, ac domeſticos complexæ oſculando, ac blande appellando, ut cuique occurriſſent, facinoris conſcientia ſalutabant; hoc pacto mitigatis animis, & inter ſe conciliatis, manſit poſtea conſuetudo, ut hac inter ſe comitate uterentur*, quæ conſuetudo Romæ, & in Latio eo uſqe proceſserat, ut officii cauſa uſitatum eſset erga viros oſculis quotidianis in ſalutatione uti, quam quotidianam oſculationem Tiberius edicto ſuſtulit, ut Auctor eſt Suetonius in Tiberio.

Præterea meminiſse juvat, Numici aquas, quibus ſubmerſus tradebatur Æneas, ſacras Latinis, Romaniſque fuiſse; quandoquidem Servius ad hoc Virgilii carmen lib.7. Æneidos:

. . . . . . *Hæc fontis Stagna Numici.*

ſcribit Veſtæ nonniſi de hujus fluvii aqua libari licuiſse, additque Deæ ſacra ſemel intercepta, quod hunc fluvium Æneæ ætate ingentem, in fontem deinde redactum, ſiccatum inveniſsent.

Hæc ſunt quæ Æneas in Latio geſſit; cæterum ejus Comites, qui Lavinium, & quorum dein filii Albam, & Romam incoluerunt plures produntur. Saonem enim narrant ex Samotrhace cum Ænea Deos Penates Lavinium tranſtuliſse, ac ſaliare genus ſaltandi primum Lavinii inſtituiſse, à quo Salii Sacerdotes dicti ſunt, ſi credimus Feſto verbo *Salii*. Nautium quoque Æneæ ſocium perhibent teſte Dionyſio lib.6., qui de Spurio Nautio Conſule loquens: *Familia*, inquit, *natus honeſtiſſima, nam auctor ejus generis unus ex Æneæ ſociis fuerat, qui Sacerdos Minervæ in æde in arce Илienſi conſecrata, Palladium ſecum tranſtulerat, cujus cuſtodia manſit penes ſucceſſores*

res gentis Nautiæ, & idipſum confirmant Servius ad lib.2.& 5.Æneidos, & Feſtus lib.12.; necnon Ægeſtum, cui ſacrorum Deorum Penatium cura ab Ænea data eſt. Hic dicitur Deos è Lavinate Templo Albam bis juſſu Aſcanii tranſtuliſſe, & dein, miraculo, ut ferunt, ſimulacris Lavinium ſemper reverſis, cum ſexcentis Viris, qui ſacrorum curam gererent, antiquam Urbem remigraſſe eodem Dionyſio lib.1. Auctore: Servilium itidem, nam Servilia gens Romæ Conſularis genus ab uno Æneæ comitum ſe ducere oſtentabat, quamobrem Lavinii primum, dein Albæ conſedit, traduxitque eam poſtmodum in Senatorium ordinem Romæ Tullus Hoſtilius Rex Alba everſa, teſtimonio Livii lib.1., Feſti, & Dionyſii lib. 3. Apud hanc gentem Senatus Romanus, pro maximis in Rempublicam collatis beneficiis Trientem, ſeu Tridentem ſacrum, (ut aliquot Codices exhibent) depoſuit, cui ſplendidiſſimè quot annis familia ſacra peragebat, quo die narrant Sacerdotes ſpectante Populo, non incelebri pompa Trientem demetitos, ex illius augmine, vel imminutione gentis Serviliæ felicem, vel adverſam ſortem auſpicari conſueviſſe, ut auctor eſt Plinius lib.34. cap.13. in fine. Pari felicitate Gigania gens à Gia Æneæ ſocio prognata, Albæ manſerat; dein Hoſtilii juſſu Senatum Romanum decoravit, id enim habes ex Servio in eum locum Æneid.lib.5.

Ingentemque Gias ingenti mole chimæram,

necnon ex Dionyſio lib.3. qui addit ad Magiſtratus Romæ gerendos vocatam fuiſſe Giganiam familiam, & Livio lib.2. & 3. Sic Cluentiæ familiæ Romæ illuſtri Cloanthus Æneæ comes prima dedit incunabula, ut canit Virgilius dicto lib.5.Æneidos:

. . . . *Syllaque Cloanthus*

Cærulea, genus unde tibi Romane Cluenti,

& ibi Grammaticus Commentator, Sergeſtus etiam Æneæ ſocius Sergiæ gentis Romæ Senatoriæ auctor dicitur eodem Virgilio teſte loco quo ſupra, ubi ſic ait;

Sergeſtuſque, Domus tenet à quo Sergia nomen,

quod etiam referunt Streynnius, & Fulvius Urſinus de familiis Roman. in *Sergia*. Mneſteus præterea ejuſdem comes Memmiæ Conſulari Genti nomen dedit, ut Virgilius ibidem eſt auctor;

Mox Italus Mneſteus, genus à quo nomine Memmi,

& ibi-

& ibidem Commentatores, & Fulvius in Memmia. Junium itidem ferunt cum Ænea in Latium veniſſe. Hic fuit princeps Juniæ Gentis Brutorum parentis, & Albæ conſenuit, cujus poſteri Romam ad ſummos Magiſtratus capeſſendos migrarunt, ita Dionyſius lib. 4., ubi quum Bruti, qui Tarquinium Superbum propulſavit meminiſſet, ſic ſcribit: *Pater ejus fuit M. Junius ab uno Æneæ ſociorum oriundus inter nobiliſſimos Romanorum ob virtutem habitus*, quod memorant etiam Fulvius Urſinus de familiis Roman. in *Junia Gente*, Streynnius pariter in Junia, qui de Acilia Gente ſcribens notat Aciliam Senatoriam gentem ab Acilio Æneæ ſocio oriundam, Albæ primum, dein Romæ manſiſſe.

Atiam & Gentem, unde mater Octaviani Auguſti genus duxit, Atim qui cum Ænea Lavinium appulit auctorem indicaſſe plures commemorant, quamvis Suetonius in Auguſto, ac Cicero Philippic. 3. referant hanc Gentem Ariciæ ſordidum exercuiſſe miniſterium; Virgilius quippe lib. 5. Æneid. de Ati ſic canit:

Alter Atis, genus unde Atii duxere Latini
Parvus Atis, pueroque Puer dilectus Julo,

quo loci Servius, & alii, necnon Fulvius Urſinus in Atia hunc Æneæ ſocium fuiſſe tradunt. Ab hac ſunt, qui putant Atiliam familiam Conſularem derivaſſe, ut videre eſt apud eundem Fulvium Urſinum in Atilia in fine, licet Panvinius lib. 1. Faſtor. Atiliam Albanam gentem fuiſſe narret. Cluiliam, quam verius Cloeliam dixeris, Metiam, Quintiliam, & Metiliam ex Alba à Tullo Hoſtilio Romam traductas, & in Senatum Romanum cooptatas, facilè ab Æneæ ſociis genus ducere coniicimus ex iis, quæ produnt Dionyſius dicto lib. 1. & 3., Livius lib. 1. Streynnius, & Fulvius locis quibus dictarum familiarum meminerunt, & Panvinius de Antiquit. nominib. Roman. Verum de Quintilia conſulas Livium lib. 1., & Panvinium loco mox adducto, qui ſcribunt Quintilios ad Quintilium Aboriginem, qui Fauni ævo Lupercorum Sacerdos fertur, antiquitatem generis referre.

Hæ ſunt Triumphales, & Conſulares Gentes, quas à ſociis Æneæ ortas commemorant; hinc patet erraſſe quamplures, qui Æneæ adventum fabuloſum prodiderunt, putantes contra monitum Livii lib. 1. de

re

Digitized by Google

re tam veteri ſecus affirmare. Horum quippe lapſum facilè intelliges, ſi conſideres Romanos Scriptores, quorum indicem exhibet Theodorus Ryckius de prim. Ital. Colon. cap. 10., palàm Æneæ appulſum ad latina litora uno ore tradidiſſe: quibus ſi addas Templa Lavinii ab illo condita, quæ Dionyſii ævo extabant, Ædem ſacram ſupra Numicium amnem ei dicatam, quam Livius loco quo ſupra, & Dionyſius lib. 1. ſe inſpexiſſe teſtantur, ejus ſocios, qui, ut præmiſimus, nomen, & meritum tot Conſularibus Romæ familiis dederant; Ritus ſacros ab eo, quum Lavinii maneret, inſtitutos, & Albæ Regnum, quod fuiſſe, atque Æneæ filios tenuiſſe, aut nemo, aut pauci ex criticis ſeverioribus controvertunt, rem ſatis apud antiquos exploratam dices. Quod ſi adhuc omnia hæc perneges; fabuloſa Templa, & Albanorum Regnum, & fabulares Gentes, quas Romani ab Æneæ comitibus prognatas aſſeruerunt, atque ritus ſacros, quorum Romani Æneam auctorem fecerunt, cenſere oportebit.

Ne conſtantem hanc famam aliquis in dubium vocaret, navim Romani oſtendebant qua Æneas vectus Lavinium appulerat, & locum, ubi primum in Laurenti Agro caſtramentatus fuerat. De navi, hæc habet Procopius de Bell. Gotic. lib. 4. cap. 22.: *Romani Urbis ſtudioſi ſuæ, res omnes patrias retinere, & conſervare ſatagunt, ne quid antiqui decoris Romæ depereat. In his navis Æneæ conditoris Urbis etiam num extat, opinione omninò majus ſpectaculum; eam habet navale media in Urbe ad Tiberis ripam conſtructum, jam quæ ſit ipſius forma, ego teſtis oculatus exponam. Agebatur uno remorum ordine navis illa ſanè ingens, pedes longa centum viginti, lata vigintiquinque, alta eatenus, ut remis impelli poſſit, lignis conſtat, quorum nullum coagmentatum eſt à duobus, nec partibus inter ſe ferro nexis compactum, at ſunt omnia ſimplicia, quod quum famam, tùm audientium opinionem excedit, neque alibi, quod equidem ſciam, quam in hoc navigio viſitur. Carina unius truncus arboris ab extrema puppi ad proram uſque pertinet, molli flexu alveum mirificè ſubiens, & inde rurſus aptiſſimè ſubrigens ſeſe ad pluteum; coſtæ vero omnes, ſeu ligna craſſiora carinæ inſerta ejuſmodi ſunt, ut ſingulæ ab uno navis latere pervadant ad alterum, & ipſæ ab utroque margine ſubſidentes concinnam admodum curvaturam efficiunt.*

ciunt. Præterea unaqueque tabula ab extrema puppi ad alteram navigii extremitatem pertingit, ex uno deſecta caudice, eoque ſolum clavos ferreos admiſit, ut coſtis affixa latus componat. Ea navis bujus ſtructura ſpectaculum præbet inenarrabile, illorum autem lignorum nullum eſt putre, nullum cariem ſenſit, tota navis perinde integra, ac ſi modo ab artifice ſuo, quicumque ille fuerit fabricata prodiret, ſtat adhuc mirum valde in modum.

Hactenus Procopius de navi Æneæ, ex quo oculato teſte habes poſt annum Chriſti DLVI., quo ille navim ſe vidiſse ſcribit, Romanos exactis Imperatoribus id Trophæum in memoriam Æneæ erectum religioſè ſervaſse, unde coniicitur hanc navim in ſtagno Lavinienſi primum poſitam, à Latinis, tanquam res ſacra cuſtoditam, & dein Romam, Alba everſa traductam fuiſse eo animo, ut teſtarentur adventum Æneæ publicum Latinis Romaniſque fuiſse, quod ejus ſpolia adhuc illæſa ſervarentur; ex quibus opinio Plutarchi Problem. cap.6. qui narrat Trojanos naves incendiſse, ſtatim ac Laurenti Agrum tenuerunt, minus vera eſse deprehenditur, quum Æneæ navis integra Romæ aliquando monſtraretur.

Locum autem, ubi primum in Laurenti Agro Æneas caſtramentatus eſt, Trojam uſque ad Livii, & Dionyſii ætatem vocarunt. Hujus rei meminit Livius lib. 1.: *Æneam*, inquit, *ſatis conſtat ab ſimili clade domo profugum, ſed ad majora initia rerum ducentibus fatis, primo in Macedoniam veniſſe, inde in Siciliam quærentem ſedes delatum, ab Sicilia Laurentem Agrum tenuiſſe: Trojæ & huic loco nomen eſt*: Dionyſius etiam lib. 1.: *Tandem ad Italiæ Laurentum pervenerunt. Hic invento errorum fine, caſtra vallo munita poſuerunt, & locus, in quo tunc caſtramentati ſunt, ab eo tempore Troja vocatur, & à mari diſtat circiter quatuor ſtadia*: Id ipſum Cato ſcripſit, qui teſte Servio ad lib. 11. Æneidos verſ. 316. ita prodit: *Cato in Originibus dicit Trojanos à Latino accepiſſe Agrum inter Laurentum, & Caſtra Trojana*: licet alibi idem Servius ad lib. 7. Æneidos hæc habeat: *Et ſciendum Civitatem, quam primò fecit Æneas Trojam dictam ſecundum Catonem, & Livium*: ubi tamen improprie Grammaticus Civitatem appellat, quam Livius, Dionyſius, immo ipſe Cato locum Caſtrorum, vel ipſa Caſtra vocant.

Quam-

Quamobrem notandus lapſus Cluverii, qui lib. 3. cap. 5. Ital. Antiq., carmina Virgilii, quibus Caſtri Inui meminit, pleroſque Martialis, & Ovidii verſus referens, in quibus Poëtæ prædicti Caſtra in Agro Laurenti nominant, putat Caſtra, & Caſtrum Inui idem fuiſse; allucinatur porrò, cum Martialis, & Ovidius loci, qui Caſtra Trojana dicebatur, mentionem faciant, quem locum poſt tempora Livii, & Dionyſii nomen vetus Caſtrorum diu retinuiſſe teſtis eſt Appianus apud Photium pag. 50. editionis Rhotomagenſis, ubi ait *Hiſtoriæ totius initium ducit ab Ænea filio Anchiſæ nepote Capys, qui Trojano bello interfuit, Ilioque capto, & everſo fugit, & variis jactatus erroribus ad Italiæ quoddam litus Laurens dictum appulit, ubi, & Caſtra illius oſtenduntur, & ab eo oram illam maritimam Trojam dicunt*. Nemo itaque, ut opinor adeo invenietur durus, qui laudatos teſtes de loci nomine tum obtinente inter eos, à quibus potuiſſent redargui, teſtificantes, temere rejecturus ſit; quod ſi ita eſt, nemo etiam juſtus, & prudens rerum æſtimator, & arbiter, Dionyſii, Livii, Catonis, & aliorum hiſtoricas relationes, & tot monumenta, quibus Latini, & Romani Æneæ adventum aſſeruerunt, revocare in dubium poterit.

CAPUT VI.

De Aſcanio, & aliis Albanorum, ac Latinorum Regibus.

ÆNea ab hominibus exempto, Aſcanium Latinis imperaſſe ſatis conſtat. Hic fertur filius Æneæ ex Creuſa matre, Ilio incolumi natus, Euryleon primum, dein in exilio comes paternæ fugæ Aſcanius dictus, quem Julum eundem Julia gens auctorem nominis ſui nuncupat, Livio lib. 1. teſte. Alii hunc Laviniæ, & Æneæ filium produnt, & putant non adhuc maturum imperio ſub tutela Laviniæ matris ſtetiſſe, ut tradit Roſinus Antiquit. Roman. lib. 1. cap. 1., quem putamus ex Dionyſio lib. 1., & Servio ad lib. 6. Æneidos id accepiſſe. Alii ferunt Aſcanium ex Creuſa Priami filia,

& Ænea prognatum ob inſignem virtutem Jovis filium, & per diminutionem declinato paululum nomine, primo Jobum, poſtea Julum appellatum, ut ſcribunt Cæſar, & Cato, quos laudat Auctor Originis Gent. Roman.. Dionyſius autem lib. 1., Julum affirmat Aſcanii filium ab Imperio excluſum, quod idem Auctor, Valerius Maximus, & plures apud Henricum Glareanum Commentatorem Livii lib. 1. ſequuntur, quamvis Virgilius lib. 6. Æneidos, Aſcanium etiam Julum vocatum, & Ovidius lib. 14. Metamorph., Aſcanium binominem ſcribant.

Is itaque ſive ex Lavinia, aut ex Creuſa (quod veroſimile eſt) genitus, Lavinienſium, & Latinorum Regno potitus eſt, fortaſſe quod Æneæ ex Lavinia proles tunc nata non eſſet teſtimonio Dionyſiii, Livii, & Auctoris Origin. Gent. Roman., atque omnim Romanæ hiſtoriæ Scriptorum. Cum igitur ſummam Imperii Latinorum adeptus eſſet Aſcanius, Mezentius Rex à Rutulis adverſus Trojanos in auxilium adſcitus, Lauſi filii fortitudine collem Laviniæ Arcis occupaverat. Latini, qui Arcem tutabantur Legatos ad Mezentium miſerunt ſciſcitatum, qua conditione in deditionem eos accipere vellet, qui cum inter alia oneroſa, illud quoque adiiceret, ut omne vinum agri Latini aliquot annis ſibi inferretur, Aſcanius vino ex omni vindemia Jovi publicè conſecrato, mori potius, quam ſervitutem ſubire edixit, fuſoque præſidio, interfectoque Lauſo, Mezentium fugam maturare, & pacta accipere coegit, ut memoriæ prodiderunt Lucius Cæſar lib. 1., & Aulus Poſthumius in eo volumine, quod de Æneæ adventu conſcripſit, quorum meminit Auctor prædictus Originis Gentis Romanæ, quod narrat etiam Dionyſius lib. 1. Dies quo id votum ab Aſcanio, & univerſo Latio Jovi conceptum eſt, ſolemnis Latinis ſemper fuit, Romanis etiam, quinimmo perhibent vindemias in Latio à Sacerdotibus publicè factas fuiſſe, ſi credimus Varroni de ling. Latin. lib. 5.: *Vinalia à vino, hic dies Jovis, non Veneris. Hujus rei cura non levis in Latio; nam aliquot locis vindemiæ primum à Sacerdotibus publicè fiebant, ut Romæ etiam nunc; nam flamen Dialis auſpicatur vindemiam, & ut juſſit vinum legere, agna Jovi facit, inter cujus exta cæſa, & porrecta flamen prorſus vinum legit*: unde coniicitur morem hunc ad Varronis ætatem in

Latio

Latio perſtitiſſe; id ipſum comprobat Feſtus: *Ruſtica*, inquit, *vinalia appellantur menſe Auguſto quartodecimo Kalendas Septembris, Jovis dies feſtus, quia Latini bellum gerentes adverſus Mezentium, omnis vini libationem ei Deo dedicaverunt*: Ovidius itidem lib.4. Faſtorum v.875.

Cur igitur feſtum Veneris Vinalia dicant
Quæritis? & quare ſit Jovis iſta dies.

& paulò poſt v.893.

Hoſtica Tyrrheno vota eſt Vindemia Regi,
Juppiter è Latio palmite dona feres.
Vota valent meliora, cadit Mezentius ingens,
Atque indignanti pectore plangit humum.
Venerat Autumnus calcatis ſordidus uvis
Redduntur merito debita vina Jovi....
Dicta dies hinc eſt Vinalia. Juppiter illam
Vendicat, & feſtis gaudet ineſſe ſuis.

Qua in re Feſtus, & Paulus Feſti mutilator pluribus locis verbo *Vinalia*, & *Ruſtica Vinalia*, diem hunc Jovi ſacrum, & alterum Veneri dicatum confundunt, eundemque faciunt; ſed Scaliger caſtigationibus ſuis ad Feſtum, Vinalia Veneris menſe Aprili, Vinalia vero Jovis, quæ & Ruſtica Vinalia appellabant, Auguſto menſe celebrata fuiſſe oſtendit, quem Roſinus Antiquit. Roman. lib.4. cap.12. ſequitur; verum tamen de his ſuo loco fuſius agam; nam ſatis exiſtimo Aſcanii geſtis conveniens, commemoraſſe, prædictum diem Feſtum apud Romanos, & Latinos non incelebrem, quod Aſcanius, & Latini eo die Auguſti menſis vinum Jovi dicaſſent.

Trigeſimo autem anno poſt Lavinium conditum, Aſcanius ex Oraculo Æneæ dato, ſeu ut Laviniæ Oppidum ſuum redderet, aliam Urbem condidit. Hanc Albam nominavit, & Longam, Albam ex colore ſuis, quæ triginta porcellos ediderat, teſte Auctore Originis Gent. Roman., ſive ab Alba fluvio, quem alii Albulam nuncupant, quo nomine tunc vocatus, qui poſtea Tiberis dictus eſt, ſi credimus Diodoro lib.1. apud Syncellum pag.194. & 181.; Longam à ſitus forma, ut diſcerneretur ab altera Urbe Latii ejuſdem nominis, à qua Albenſes Populi nuncupati ſunt, ut cap.2. expoſuimus, & teſtan-

tur Dionyſius lib. 1., Livius lib. 1., Auctor Originis Gent. Roman., & quotquot Romanam hiſtoriam compoſuerunt. In hanc recens conditam Urbem, Aſcanius Lavinienſes, & cæteros Latinos, quos commodius habitandi cupido cæpiſſet, tranſtulit, eodem Dionyſio teſte, qui tamen lib. 2. hæc addit: *Porrò Albanorum genus mixtum erat ex Arcadibus, & Pelaſgis, Epeiſque, Elidenſibus, ac poſtremo Trojanis cum Ænea Veneris, & Anchiſæ filio in Italiam poſt Ilii excidium profectis; ſed veriſimile eſt Barbarici etiam generis reliquias nonnullas è vicinis, aut priſcis Incolis cum Græcis ſe conjunxiſſe.* Sacra etiam, & Deos quos è Troja Æneas Lavinium invexerat transferre conatus eſt, ſed prodigio territus abſtinuit. Rem ſatis dilucidè narrat idem Dionyſius lib. 1. hiſce verbis: *Dum autem conderetur* (Alba ſcilicet) *accidiſſe ferunt mirum prodigium, nam cum Simulacris Deorum, quos Æneas à Troja devectos Lavinii collocaverat, Templum extructum eſſet cum adyto, & Statuæ à Lavinate Templo in hæc penetralia tranſlatæ ſequenti nocte clauſis, ut cum maximè foribus, & inviolatis tecto ſimul, atque parietibus, Simulacra mutata ſtatione in priſtinas baſes tranſiiſſe reperta ſunt, denuoque Lavinio cum votis, & ſacrificiorum placaminibus tranſportata, in eundem locum, rurſus, ut ante ſunt reverſa: dubitatum eſt diù, quidnam facto opus eſſet, quum neque ſine Diis Patriis habitandum cenſerent, neque in ſemel relictas ſedes remigrandum; tandem placuit ſententia, quæ & religioni Deorum, & utilitati hominum ſatisfaceret, viſum eſt Simulacra ſuo loco ſinere, & Viros, qui ſacrorum curam gererent ex Alba ad Lavinium incolendum reducere; fuerunt hi ſexcenti numero, commigraruntque illo cum totis familiis Duce Ægeſto* (Sergeſto fortaſſe, ut plures notant): *Hos Deos Romani Penates vocant*: quod prodit & Auctor Originis Gent. Roman., ubi teſtatur in Annali Pontificum lib. 4. Cincii, & Cæſaris ſecundo id ſcriptum ſe reperiſſe; atque Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. de Miraculis titulo *de Diis Trojanis*.

Tenuit Latinorum Regnum Aſcanius annis triginta octo juxta Euſebium in Chronico, ſed juxta computationem Dionyſii, & Syncelli, quam ſequitur Theodorus Rickius diſſert. de prim. Ital. Colon. cap. 11. annis triginta ſeptem. Duos ei fuiſſe filios tradunt, Julium,

&

Digitized by Google

& Aimilium, ſive Æmilium, à quo Æmiliam gentem Romanam, Scaurorum, Mamertinorum, Lepidorum, & Barbularum parentem prognatam dicunt, teſte Feſto, & Streynnio de Familiis Romanis in *Aimilia* gente. Julius natu major poſtulavit in paternum Regnum ſuccedere, Silvius contra Laviniæ, & Æneæ filius maternum, & auitum Regnum vindicare ſatagebat, quam litem Latinorum Principes, & populus juſto ſuffragio diremerunt Silvio Imperium concedentes, quod is matre natus eſſet, ad quam ſolam univerſa Latini hæreditas pertineret. Julo vero pro Regno ſummi Sacerdotii honor traditus eſt, quod Julia gens laudati Juli proles uſque ad Dionyſii ævum perpetuo tenuit teſtimonio ejuſdem Dionyſii lib. 1., Auctoris Originis Gent. Roman., atque Albani vetuſti Lapidis, quem referunt Gruterus, & alii, ex quo apparet Julios perpetuò Sacerdotium Albæ adminiſtraſſe, de quo ſuo loco plura dicam. Hinc nota dignus eſt Livius, qui lib. 1., Silvium Aſcanii filium facit, quum tamen is Juli frater conſanguineus eſſet, ut produnt etiam Servius ad lib. 6. Æneidos, & Euſebius in Chronico, qui tamen in alia hiſtoria ſe reperiſſe ſcribit, Latinum Silvium Laviniæ, & Melampodis filium, fratrem uterinum fuiſſe hujus Silvii, qui Julum à Regno excluſit.

Silvius itaque natus fertur poſt Æneæ obitum; quippè cum Lavinia prægnans ab Ænea relicta eſſet, timens Aſcanium privignum, qui Regnum occupaverat, ad Paſtorem Tyrrhenum, cui nomen Tyrrhi confugit, apud quem Silvius & natus, & enutritus eſt, atque à Silva ex oblato ſibi caſu nomen invenit, quod deinceps in Albanorum Regum progenie manſit, ut laudati Scriptores narrant, inter quos tamen diſcrimen eſt; quandoquidem Aulus Gellius Noct. Atticar. lib. 2. cap. 16. interpres factus Virgilii Æneidos lib. 6., ubi Silvium poſthumam prolem Æneæ canit, memoriæ prodit, eum non poſt Æneæ mortem, ſed poſtremo loco, ſeròque partu patre vivo natum; Dionyſius vero, Livius, & Auctor Originis Gent. Roman. loco quo ſupra, eum Poſthumum filium fuiſſe affirmant, quod verius eſt. Cauſam vero, qua is inventus, & cognitus eſt à Latinis, atque Æneæ filius conclamatus, habes ex eodem Dionyſio dicto lib. 1., ubi ita ait: *Tempore autem procedente, ut cognovit Latinos diligentes quærere Puellam* (Laviniam ſcilicet), *& ſuſpectum eſſe de ejus nece Aſcanium*,

nium, indicavit Tyrrbus rem totam populo, & ipſam una cum puero produxit è nemore: quam rem aliter narrat Auctor Originis Gent. Roman.: *At vero*, inquit, *vulgus Latinum exiſtimans clam ab Aſcanio Laviniam interfectam, magnam ei invidiam conflaverat, uſque adeo, ut armis quoque ei vim denunciaret; tum Aſcanius jurejurando ſe purgans, cum nibil apud eos proficeret, petita dilatione ad inquirendum, iram præſentem vulgi aliquantulum fregit, pollicituſque eſt ſe ingentibus præmiis cumulaturum eum, qui ſibi Laviniam inveſtigaſſet, mox recuperatam cum filio in Urbem Lavinium reduxit, dilexitque amore materno, ut ſcribunt C. Cæſar, & Sextus Gellius in Origin. Gent. Roman. At vero alii tradunt, quod cum Aſcanius ab univerſo populo ad reſtituendam Laviniam cogeretur, juraretque ſe neque interemiſſe, neque ſciret ubi eſſet, Tyrrhum petito ſilentio in illa concionis frequentia profeſſum indicium, ſi ſibi, Laviniæque, pueroque ex ea nato fides incolumitatis daretur; tumque eum accepta fide, Laviniam in Urbem cum filio reduxiſſe*: quod antequam Alba conderetur factum fuiſſe idem Auctor ſcribit. Regnavit Silvius annis viginti novem juxta computationem Dionyſii, Euſebii, Syncelli, & aliorum.

Poſt hunc ſeries Albanorum Regum multifariam exponitur; Dionyſius enim dicto lib. 1. hiſce verbis Reges enumerat: *Porrò Silvius cum undetriginta annis tenuiſſet Imperium, Æneam filium hæredem reliquit Principatus, quem regno, & vita exemit annus alter à trigeſimo. Poſt hunc quinquaginta, & unum annos regnavit Latinus, poſt quem Alba undequadraginta annos; poſt Albam Capetus viginti ſex annis regnat, Capys deinde annis duodetriginta, Calpetus poſt hunc in Regno annum attigit tredecimum, poſt quem octenni ſpatio regnavit Tiberinus, hunc periiſſe dicunt in commiſſo juxta fluvium prælio, abreptumque rapidis ejus gurgitibus, feciſſe, ut mutato priſco nomine Tiberinus vocaretur pro Albula; Agrippa huic ſucceſſit, regnavitque annis uno & quadraginta, poſt Agrippam undeviginti Alladius, Aventinus poſt eum ſucceſſit, à quo nomen uni ex ſeptem Urbis Collibus, tenuitque Regnum annis triginta ſeptem, & poſt hunc Proca viginti tribus. Hunc proximè ſequutus eſt Amulius, qui Regnum fratri Numitori debitum per injuriam occupavit*,

pavit, & per annos quadraginta duos tenuit. Poſt hunc cæſum à Romulo, & Remo natis Veſtali Virgine, ut mox dicetur, legitimum Regnum ad Numitorem rediit maternum Adoleſcentium avum; altero deinde regnantis Numitoris anno, poſt Ilium Captum CCCCXXXII., Albani Romuli, & Remi ductu Coloniam miſerunt Romam.

Hactenus Dionyſius, ex quo habes Aſcanium triginta ſeptem, Silvium viginti novem, Æneam Silvium triginta & uno, Latinum Silvium quinquaginta & uno, Albam Silvium triginta novem, Capetum Silvium viginti ſex, Capyn Silvium viginti octo, Calpetum Silvium treſdecim, Tiberinum Silvium octo, Agrippam Silvium quadraginta & uno, Alladem Silvium, ſive Alladium decem & novem, Aventinum Silvium triginta ſeptem, Procam Silvium viginti tribus, Amulium Silvium quadraginta duobus, & Numitorem Silvium duobus annis, regnaſſe.

Livius lib. 1. Albanos Reges poſt Aſcanium ita enumerat: *Silvius deinde regnat Aſcanii filius caſu quodam in ſilvis natus, is Æneam Silvium creat, is deinde Latinum Silvium, ab eo Coloniæ aliquot deductæ, Priſci Latini appellati, manſit Silvius poſtea omnibus cognomen, qui Albæ regnarunt, Latino Alba ortus, Alba Atis, Ati Capys, Capi Capetus, Capeto Tiberinus, qui in trajectu Albulæ amnis ſubmerſus, celebre ad poſteros nomen flumini dedit, Agrippa inde Tiberini filius, poſt Agrippam Romulus Silvius à patre accepto Imperio regnat, Aventino fulmine ipſe ictus Regnum per manus tradidit, is ſepultus in eo Colle, qui nunc eſt pars Romanæ Urbis, cognomen Colli fecit, Proca deinde regnat, is Numitorem, & Amulium procreat, Numitori, qui ſtirpis maximus erat Regnum vetuſtum Silviæ gentis legat, plus tamen vis potuit, quam voluntas patris, aut verecundia ætatis, pulſo fratre Amulius regnat, addit ſceleri ſcelus, ſtirpem fratris virilem interimit*: Ita Livius, qui ſtatim exponit quo artificio Romulus, atque Remus Numitorem avum Regem Albanorum fecerint.

Auctor Originis Gent. Roman. hoc modo Reges Albanos refert: *At Aſcanius poſt quam exceſſiſſet è vita inter Julum filium ejus, & Silvium Poſthumum, qui ex Lavinia genitus erat de obtinendo impe-*

imperio orta contentio eſt, cum dubitaretur, an Æneæ filius, aut nepos potior eſſet, permiſſa diſceptatione ejus rei, ab univerſis Rex Silvius declaratus eſt. Ejuſdem poſteri omnes cognomento Silvii uſque ad conditam Romam Albæ regnaverunt, ut eſt ſcriptum Annalium Pontificalium lib. 4. Igitur regnante Latino Silvio Coloniæ deductæ ſunt Præneſte &c. Poſt eum regnavit Tiberius Silvius Silvii filius, qui cum adverſus finitimos bella inferentes copias eduxiſſet inter præliantes depulſus, in Albulam fluvium deperiit, mutandique nominis extitit cauſa, ut ſcribunt Lucius Cincius lib. 1., *Lucatius lib.* 3. *Poſt eum regnavit Aremulus Silvius, qui tantæ ſuperbiæ non adverſum homines modo, ſed etiam Deos fuiſſe traditur, ut prædicaret ſe ſuperiorem eſſe ipſo Jove, ac tonante Cœlo, militibus imperaret, ut telis Clypeos quaterent, dictaretque clariorem ſonum ſe facere, qui tamen præſenti affectus eſt pœna, nam fulmine ictus raptuſque turbine, in Albanum Lacum præcipitatus eſt, ut ſcriptum eſt Annalium lib.*6., *& Epitomatum Piſonis* 2., *Aufidius ſane in Epitomis, & Domitius lib.* 1., *non fulmine ictum ſed terræmotu prolapſum & ſimul cum eo Regiam in Albanum lacum tradunt. Poſt illum regnavit Aventinus Silvius, iſque finitimis bellum inferentibus, in dimicando circumventus, ab hoſtibus proſtratus eſt, ac ſepultus circa radices montis, cui ex ſe nomen dedit, ut ſcribit Julius Cæſar lib.*2. *Poſt eum Silvius Procas Rex Albanorum, duos filios Numitorem, & Amulium æquis partibus hæredes inſtituit. Tum Amulius in una parte Regnum tantummodo, in altera totius patrimonii ſummam, atque omnem paternorum bonorum ſubſtantiam poſuit, fratrique Numitori, quod major natu erat, optionem dedit, ut ex his utrum mallet eligeret. Numitor cum privatum omne cum facultatibus, Regno prætuliſſet, Amulius Regnum obtinuit, quod ut firmiſſimè poſſideret Numitoris fratris ſui filium in venando interimendum curavit.*

Ovidius lib. 14. Metamorphoſeon horum Regum ſeriem ſic narrat v.609.

Inde ſub Aſcanii ditione binominis Alba
Reſque Latina fuit: ſuccedit Silvius illi
Quo ſatus, antiquo tenuit repetita Latinus
Nomina cum ſceptro: clarus ſubit Alba Latino:

Editus

Digitized by Google

Epitus ex illo. poſt hunc Capetuſque, Capyſque;
Sed Capys ante fuit. Regnum Tiberinus ab illis
Cepit, & in Tuſci demerſus fluminis undis
Nomina fecit aquæ: de quo Remuluſque, feroxque
Acrota ſunt geniti: Remulus maturior annis
Fulmineo periit imitator fulminis ictu.
Fratre ſuo ſceptrum moderatior Acrota forti
Tradit Aventino: qui quo regnarat, eodem
Monte jacet poſitus: tribuitque vocabula monti.

Veruntamen lib.4. Faſtor., Albæ Regis, & aliorum ſic meminit:

Venimus ad felix aliquando nomen Juli
Unde domus Teucros Julia tangit Avos.
Poſthumus huic, qui quod ſilvis eſt natus in altis
Silvius in Latia Gente vocatus erat.
Iſque Latine tibi Pater eſt, ſubit Alba Latinum,
Proximus eſt titulis Epitus, Alba, tuis.
Ille dedit captæ repetita vocabula Trojæ
Et tuus eſt idem Calpete factus Avus,
Cumque Patris regnum poſt hunc Tiberinus haberet;
Dicitur in Tuſcæ gurgite merſus aquæ.
Jam tamen Agrippam natum, Remulumque nepotem
Viderat, in Remulum fulmina miſſa ferunt.
Venit Aventinus poſt hos, locus unde vocatur,
Mons, quoque poſt illum tradita regna Procæ:
Quem ſequitur duri Numitor germanus Amuli.
Ilia cum Lauſo de Numitore ſati.
Enſe cadit Patrui Lauſus, placet Ilia Marti
Teque parit gemino juncte Quirine Remo.

Unde habes indicem Regum, quem Ovidius exhibet, mutilum & erroneum eſſe; quippè Æneas Silvius deeſt, Epitus additur, Acrota etiam, & Palatinus, & lib.14. Metamorph. loco Agrippæ Remulus, ac Procæ Palatinus poſitus eſt, licet aliter ſcriptum ſit in lib.4.Faſtor.

Euſebius in Chronico Aſcanium Silvium Æneæ filium, Æneam Silvium, Latinum Silvium, Albam Silvium, Silvium Athim, ſive Ægyptum, Capyn Silvium, Calpetum, non Carpentum, ut alii legunt,

Tiberinum, Agrippam Remulum, Aventinum, Procam Silvium, (qui Phocas in aliquibus exemplaribus mendoſe legitur) & Amulium, Albanis Regibus accenſet, quo fit, Euſebium cum Dionyſio, & Ovidio haud convenire: quinimmo annorum ſeriem ſubiiciens, Aſcanio triginta octo, Latino Silvio quinquaginta, Agrippæ quadraginta, Amulio vero quadraginta quatuor annos aſſignat, quod Dionyſii computationi adverſatur; veruntamen in Euſebii Codicibus MSS. aliter legitur, quam in vulgatis editionibus; nam ſextus Rex in membranis dicitur Albas Silvius, ſeptimus Atys Silvius; ſive Ægyptus Silvius, nonus Carpentus Silvius, duodecimus Aremulus Silvius, ut Sylburgius commentator Dionyſii infra adducendus teſtatur. Syncellus vero cujus ſententiam exponit Rickius de prim. Ital. Colon. cap. 11., nomina, & annorum ſeriem diverſam facit ab aliis; quandoquidem poſt Aſcanium, & Silvium, Julium Regem facit, quem diximus à Regno excluſum. Poſt hos Æneam Silvium, alterumque Silvium, & Anchiſen prodit, quem nemo, præter eum nominat. Anchiſæ ſucceſſiſſe ait Ægyptum, quem eundem & Atym Euſebius refert; Ægypti ſucceſſorem profert Caſpum loco Capys, inde immediatè ponit Tiberium, Tiberinum ſcilicet, & Aremulum, quem Regnum reliquiſſe ſcribit Carmento, & poſt eum Silvium Procam, Amulium, & Numitorem ſubiicit. Aſcanio triginta ſeptem, Silvio viginti novem, Julio Silvio triginta & unum, Æneæ Silvio quinquaginta, Silvio triginta, Anchiſæ decem, Ægyptio Silvio viginti, Caſpo triginta & unum, Tiberio quinquaginta & unum, Aremulo decem & novem, Carmento ſexdecim, Silvio decem & octo, Procæ triginta duos, Amulio tres & viginti, Numitori tandem duos Regni annos aſſignat.

At Richardus Streynnius de Gente Romana tit. de Silvia Gente, paulò poſt principium libri, prædictorum Regum genealogiam ita narrat: *Silviæ Gentis tres omnino familias in veterum annalium monumentis fuiſſe comperimus. Quarum prima Æneæ eſt, qui Patre Anchiſe natus, poſt mortem Latini ſoceri Latinorum Regnum obtinuit. Hic duos reliquit filios ſuperſtites, Aſcanium Creuſa matre, Ilio adhuc incolumi natum, & Silvium, Latini Regis ex Lavinia filia nepotem, Æneæ in Regno ſucceſſit Aſcanius major natu filius, Aſca-*

Aſcanio Silvius frater, excluſo Julo Aſcanii filio, quem Julii, gentis ſuæ auctorem, & familiæ principem nominant: Silvio autem Æneas Silvius ſucceſſit, Æneæ Latinus Silvius. Laviniæ, & Melampodis filius, Silvii primi frater uterinus. Hæc prima Latinorum Regum familia eſt. Altera Albæ Silvii ab antiquis traditur; ex Alba Atys ortus eſt, Ati Capys, Capi Capetus, Capeto Tiberinus; Tiberino Agrippa, cui Romulus filius, Romulo Aventinus in Regni hæreditatem ſucceſſit. Hinc tertia familia initium ſumpſit, ubi ad Procam Silvium Latinorum Regnum tranſlatum eſt, à quo rerum Romanarum Auctores hiſtoriam ſuam penè omnes exordiuntur. Proca filios habuit Numitorem, & Amulium, Amulius Regnum vi occupavit, quo occiſo Numitor in Regnum eſt reſtitutus avus maternus Romuli, & Remi.

Ad evincendum itaque diſcrimen, quod inter Ovidium, Dionyſium, Livium, Euſebium, & Auctorem Origin. Gent. Roman. intercedit, Henricus Glareanus Vir eruditiſſimus in Comment. ad Livium lib. 1., typum compoſuit; & ſimilem Fridericus Sylburgius in annotat. ad Dionyſium lib. 1., & Rickius loco mox adducto ſubnectunt, apud quos ſtatim intelliges reliqua in quo diſcrimine verſentur. Ex his conjicitur in quinque primis Regibus uſque ad Albam omnes inter ſe convenire, Syncello excepto, qui cognomentum Albæ, Silvium ſcilicet ſolummodo enunciat, in reliquis vero haud concordes eſſe. Quamobrem Henricus Glareanus loco adducto, id accidiſſe putat, quod uni Regi varia fuerint nomina, exemplo Aſcanii, quem ut diximus, Ovidius binominem appellat. Ego vero puto, in re tam vetuſta, quid in cauſa erroris ſit, incertum eſſe; nam ipſi veteres Romani Scriptores, aut omnes Reges non produnt, aut in eorum nomine, ætate, & geſtis diverſa ſentiunt, cum tamen longè ante Dionyſii ævum ſcripſerint. Quinimmo Virgilius ipſe, qui ut Juliæ gentis gratiam aucuparetur Poëma edidit, lib. 6. Æneidos mutilum Regum Albanorum indicem exhibuit, Ovidius itidem, atque Auctor Originis Gent. Roman., & Livius, annos, quibus illi regnarunt pro certo ſe affirmare poſſe diffidit; unde fit ſententiam Dionyſii eſſe amplectendam potius, quam Euſebii, & Syncelli, quorum ſicuti ſerior ætas, & in Chronologicis peritia minor, ſic inferior eſt auctoritas.

 Porrò

Porrò advertendum puto Æneam ex albo Regum Albanorum delendum, quippè is neque Albanorum Rex fuit, neque ejus ætate Alba condita eſt, Latinorum enim Regnum tenuit, ſicuti Picus, Faunus, & Latinus, quos Dionyſius, Livius, & quotquot ſupra citavimus Albanorum Regibus non accenſent. Quod ſi cauſſam quæras, cur Dionyſius, & cæteri Æneam primum Albanorum Regem faciant, ea in promptu eſt ni fallor, quod nempe Romani, qui ab Albanis Regibus ſeſe genitos gloriabantur, Æneam, quem Regum ſtirpem, & Heroum principem dicebant, auctorem originum ſuarum indicare oſtentarunt hac de cauſa, ut palàm facerent ad Æneam, & Trojanos ſe origines ſuas referre. Legati Romanorum, qui ad petendam matrem Idæam anno V.C.DXLIX. Peſſinuntem miſſi ſunt, Attalo Regi hanc originem venditarunt, ut Herodianus lib.1. cap.11. auctor eſt; quinimmo quo primum eorum Imperium extra Italiam extenſum eſt, in fœdere Pacis cum Antiocho magno initæ anno V.C.DLXV. *Ilienſibus*, teſte Livio lib.38.cap.39. *Rhoeteum & Gergithum addiderunt, non tam ob recentia merita, quam originum memoriam*. Poſtea Seleuco Philopatori Antiochi hujus filio, *Senatus Populuſque Romanus amicitiam, & ſocietatem ita demum pollicitus eſt, ſi conſanguineos ſuos Ilienſes ab omni onere immunes præſtitiſſent*; cujus rei meminit Suetonius in Claudio cap.25.; & quum Scipio, quem Aſiaticum dicunt, *Dardanum primum deinde Rhoeteum, inde Ilium proceſſiſſet, caſtriſque in campo, qui eſt ſubjectus mœnibus, poſitis, in Urbem, Arcemque aſcendiſſet*, ſacrificaſſe fertur, *Minervæ Præſidi Arcis, Ilienſibus in omni rerum, verborumque bonore ab ſe oriundos Romanos proferentibus, & Romanis lætis origine ſua*, ut notat Livius lib.7. Hinc Sulla confecto Mithridatico bello primo, exutoque Fimbria, Ilienſes liberos pronunciavit, atque inter Romani Populi ſocios adſcripſit, ſi credimus Straboni lib.13. pag.594. Cæſar Dictator, qui ab Julo Æneæ filio originem arceſſebat, præter libertatem, immunitatemque, agrum etiam attribuit, eodem Strabone teſte. Sub Claudio quum controverſia ſuper his privilegiis iis relata eſſet, Nero ſexdecim tunc annos natus defendit Græca oratione, & ut publico munere ſolverentur impetravit, Suetonio in Nerone cap.7., & Tacito lib.12.cap.58. teſtibus, quod & Juris Conſulti comprobant,

ut

ut legitur in lege 17. de excuſat. l. 1. ad municipal. Hinc etiam locum, ubi Æneas in litore Laviniensi caſtrametatus eſt, Trojam ſemper nominarunt, & navim Æneæ Romæ in navali uſque ad Procopii ætatem ſervarunt intactam, ut ſuperiori Capite dictum eſt, & Lavinium, Ilium Lavinium nuncuparunt teſtimonio Plinii hiſt. natural. lib. 3. cap. 5., aut ex aliorum computatione cap. 9., ut innuerent eam Urbem fuiſſe ſedem Ilienſium, & Æneæ, ad quos origines ſuas referebant, uti ex prædictis patuit.

Hactenus de Albanis Regibus, quorum geſta quamvis Romanæ hiſtoriæ Scriptores ſileant, attamen non deſunt, qui eadem fuſius referant. Hi ſunt Annius Viterbienſis, & Inghiramius, quorum alter, ut ſepè dixi, è tumulo Fabium Pictorem, Catonem, & Sempronium vocavit, alter Scornelli Ruri ſuo veteres memorias, quas ipſe tumulaverat, ſe effodiſſe ſimulavit. At quæ iſti impoſtores produnt, ſepulta jaceant; nam quæ ſunt Poëticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis, non dicam affirmare, ſed nec etiam referre, haud eſt in animo. Pauca igitur laudatorum Regum facta, quæ ex Romanis hiſtoricis deprompta ſunt memoriæ tradam. Ferunt Alladio, qui poſt Agrippam regnavit, tyrannicum, Diiſque inviſum ingenium fuiſſe; is Deorum contemptor, *commentus eſt quomodo tonitrua, & fulmina imitaretur, ut Civibus hoc terrore attonitis haberetur pro Deo, ſed imbribus, & veris fulminibus in ejus ædes irruentibus, ſtagnoque, juxta quod habitabat præter ſolitum exundante, diluvio cum tota domo abſorptus eſt*, ut auctor eſt Dionyſius lib. 1.. Id tamen accidiſſe Aremulo Silvio teſtantur Ovidius loco mox adducto, & Auctor Origin. Gent. Roman., qui in Annal. lib. 6., & apud Piſonem ita ſcriptum ſe reperiſſe addit, ſubditque Aufidium, & Domitium putaſſe hunc non fulmine ictum, ſed terræmotu prolapſum & ſimul cum eo Regiam in Albanum lacum. Propterea ſunt, qui hunc Tremulum Silvium nuncupent, ut videre eſt apud Holſtenium in annotat. ad Cluverium Ital. antiquit. pag. 908., qui ex hoc colligit Arcem Albanam, quam Reges incolebant, eo loci fuiſſe, ubi nunc Caſtellum Gandulphi, quippè ſi teſtimonio antiquorum Regia erat juxta Albanum lacum, adeoque finitima, ut in lacum terræmotu prolapſa ſit, quinimmo decreſcente lacu,

lacu, & aquis decedentibus per tranquillitatem uſque ad Dionyſii ætatem ſpectabantur diruta atria, & alia habitationis veſtigia; vix aſſignari poteſt locus hiſtoriæ conveniens præter ſitum laudatum, nam ſub hac Arce in tumulo eminentiore poſita, margo lacus admodum præceps eſt, & inſpicientibus præbet ruinæ hujuſmodi ſuſpicionem, licet hoc incertum ſit, quum Dionyſius eodem lib. 1. referat Albam inter montem Albanum, & lacum conditam fuiſſe, unde locus Regiæ abſorptus poterat eſſe ſitus in conſpectu Arcis Gandulphæ, ubi nunc Conventus Ordinis S.Franciſci, & Rus, quod *Palazzolam* vulgo dicunt, vel in alia parte, ubi Capuccinorum ædes ſpectatu digna viſitur, de quibus plura ſuo loco dicam. Ex quibus ni fallor conjicitur, Alladium Dionyſii eundem fuiſſe, atque Aremulum Auctoris Origin. Gent. Roman., & Remulum Ovidii, ac Aremulum Euſebii, nam, ſive is fulmine ictus, ſive terræmotu abſorptus fuerit, idem tamen eſt, quo fit plura nomina Alladio fuiſſe.

Nicolaus Doglionus in Compend.hiſtor.Mund.par.2.pag.150. tradit Silvium Poſthumum ad Britanniæ litora appulſum, Inſulam, Gigantibus pulſis, Latinis ſuis, quos ibi Colonos reliquit, conceſſiſſe, quæ tamen ex Annio Viterbienſi deprompſiſſe videtur. Tiberini ſepulchrum, & obitum à Livio, Dionyſio, Auctore Orig. Gent. Roman., & aliis ſatis deſcriptum eſt; verumtamen Varro de ling. Latin. lib.4. prodit non defuiſſe, qui dixerint à vicino Regulo Vejentium Dehebro fluvium, qui Romam alluit, primo Dehebrum, dein Tiberinum appellatum, quod Tiberinus Rex in eo ſubmerſus, & ſepultus eſſet. Servius autem ad lib.3. Æneidos ſcribit hunc fluvium Albulam dictum, Sicanos primos Latii accolas ad imaginem Foſſæ Syracuſanæ Tibrin vocaſſe, ut ſuperiori Capite 1. fuſius dictum eſt. Capyn Albanorum Regem, Capuam condidiſſe affirmant Eutropius lib. 1. cap.3., atque Iſidorus etymolog. lib.15. cap.1.: *Capuam Capys Silvius Albanorum Rex conſtruxit, appellatamque à nomine Conditoris*: quod tradere videtur etiam Ovidius lib.4. Faſtor. in carminibus mox relatis. Alii vero putant hanc Urbem fundaſſe Capyn ſobrinum Æneæ, inter quos eſt Virgilius lib. 10. Æneidos:

Et Capys, hinc nomen Campanæ dicitur Urbi,

ubi Servius: *Cœlius Trojanorum Capyn condidiſſe Capuam tradidit*, *eum-*

Digitized by Google

eumque Æneæ fuiſſe ſobrinum: & ad lib. 1. ita ait: *non ſine cauſa Antenoris poſuit exemplum, quum multi evaſerint Trajanorum periculum, ut Capys, qui Campaniam tenuit, Helenus qui Macedoniam, ut alii, qui Sardiniam ſecundum Salluſtium*. Et Lucanus lib. 2. loquens de Pompejo, qui initio belli civilis cum Cæſare Capuæ manſit, ſic canit:

Interea trepido diſcedens agmine Magnus
Mœnia Dardanii tenuit Campana Coloni
Hæc placuit belli ſedes . . . . . .

Ac Statius carm. 5. lib. 3. Silvar. Capuam hoc modo deſcribit:

. . . . . At hic magnæ tractus imitantia Romæ
Quæ Capys advectis complevit mœnia Teucris.

Plerique autumant Capyn filium Aſſaraci, & Patrem Anchiſæ, avumque Æneæ, Capuæ conditorem fuiſſe, ut patet ex Silio lib. 11. belli Punici, qui Convivium quod Capuani Annibali exhibuerunt, & Genealogiam Urbis laudatæ Fundatoris hiſce verſibus deſcribit.

Jamque Jovem, & lætos per furta canebat amores
Electræque Thoros Atlantidos, unde creatus
Proles digna Deum, tum Dardanus, iſque Tonanti
Ut det Ericthonium magna de ſtirpe nepotem
Hinc Tros, hinc Ilus, generis tunc ordine longo
Aſſaracus, nulloque minor famave, manuve
Tum Capys ut primus dederit ſua nomina muris
Concelebrant plauſu pariter Sidonia pubes,
Campanæque manus . . . . .

ſed hæc, & ſimilia è fabulis deprompta ſunt, teſte Dionyſio lib. 1. his verbis: *Alii dicunt Ænea defuncto, Aſcanium ex aſſe Regni hæredem relictum, aſſumpto Principatu, agros, & opes Latinorum tripartito diviſiſſe cum Romulo, & Remo fratribus, ipſum deinde Albam condidiſſe, & alia quædam Oppida, Romulum vero Capuam à Capy proavo denominatam, Anchiſam de Anchiſæ avi ſui nomine, de patris autem nomine Æneam, quæ poſtea fuit Janiculum, Romam quoque de ſuo*: hæc Dionyſius, qui ait has fabulas eſſe; & ſanè Strabo lib. 5. hæc de Capuæ nomine habet: *Tyrrhenos cum XII. Urbes habitarent, quæ earum quaſi caput eſſet, ea de cauſa Capuam nun-*

nuncupaſſe: & propè finem: *At vero in Mediterraneis eſt Capua revera id*, *quod nomine ejus ſignificatur*; unde fit eam Urbem, non à Capy, ſed quod caput, & princeps Urbium Tyrrhenorum eſſet, denominatam, quibus ſi addas hanc fabulam à Græcis ortam, quod illi narrarent Æneam in Arcadia Capuam condidiſſe, nomine Oppido à Capy facto, ut notat idem Strabo lib. 13., & Capuam in Latinorum priſcorum Urbibus à Latii Regibus conſtructis, non eſſe numeratam, immo Etruſcorum Urbem vetuſtiſſimam fuiſſe, atque à Capy Etruſcorum Duce, vel à campeſtri agro appellatam, ut auctor eſt Livius lib. 4.; facilè Poëticis figmentis accedere ſententiam illorum, qui eam à Capy Latinorum Rege conditam affirmant intelliges; quamobrem ex prædictis Peregrini de apparat. antiquit. Capuæ diſc. 4. cap. 7., & Cluverii Ital. antiq. lib. 3. ſententiam minus veram putamus, affirmantes Aſcanium præter Albam, Fidenas, & Antium, ut auctor eſt Solinus lib. 2., Latinum Silvium, Præneſten, Tibur, Gabios, Tuſculum, Coram, Pometiam, Locros, Cruſtumium, Cameriam, Bovillas, Nomentum, Collatiam, Caſtrum Inui, & Bolam, cæteroſque Albanos Reges plura Oppida condidiſſe, aut Colonias Albanorum deduxiſſe, quæ Latinorum priſcorum Coloniæ dictæ ſunt, & quas cap. 2. recenſuimus; & quamvis Dionyſius lib. 1. & alii, Albam triginta Coloniarum, & Urbium matrem appellent, attamen multo plures fuerunt Coloniæ, quas Albanos Reges in antiquo Latio deduxiſſe conſtat; nam non omnes ab Albanis conditæ, ſed quum Urbes jam eſſent, Colonis frequentatæ ſunt, ut Tuſculum, Antium, Circæjum, Labici, Præneſte, Gabii, Cora, Setia, Lanuvium, Lavinium, Laurentum, & Locri, quam Urbem ajunt à Locro Phœacis filio, & viro Laurinæ Latini antiqui Latii Regis filiæ conditam, ſi credimus Cononi apud Photium narrat. 3., & Rickio de primis Ital. Colon. cap. 11., qui putat eam Urbem in Corcyræ Inſula tanto intervallo extra Latium poſitam contra ſententiam Auctoris Origin. Gent. Roman., qui plura Oppida circumquaque Albam, inter quæ Locros ponit, à Latino Silvio Colonias deductas prodit; ex quo patet Locros in ſitu priſci Latii fuiſſe, quamvis & alia ejuſdem nominis Urbs, ab hac longè diſtans Corcyræ, ſeu apud Epirephyros eſſet. Hic finis Albanorum Regni, unde Romanum Imperium ortum eſt.

CAPUT

CAPUT VII.

De ornatu Regio, & comptu Albanorum Principum.

REgius Albanorum Principum cultus hic dicitur: Capillatos, & intonſos Albæ Reges fuiſſe indicabant priſcæ Statuæ in Latinorum Foris, & Templis poſitæ, exhibentes Regium caput cum capillis, & barba prolixa, quod etiam apparet ex more Latinorum, & Romanorum, qui uſque ad annum V.C.454., capillos, & barbam magnam aluerunt, ut auctor eſt Varro apud Plinium lib.7.cap.59., & Aulum Gellium Noct. Atticar. lib.3. cap.4. Tonſores namque primum in Latium veniſſe ex Sicilia dicuntur poſt annum jam enunciatum, eoſque adduxiſſe P. Ticinium Menam, ut ſcriptum in Foro Ardeæ literis extabat, teſte Varrone de Re Ruſtic. lib. 2. cap. 11.; hinc Ovidius lib.2. Faſtor. ſic canit:

Denique quodcunque eſt, quo corpora noſtra piantur
Hoc apud intonſos nomen habebat avos.

ubi *intonſos avos* dicens, antiquos Latinos, & Romanos capillatos intellexit, de quo etiam Lucanus lib.2.

Ille nec horrificam ſancto dimovit ab ore
Cæſariem, duroque admiſit gaudia vultu
Ut primum tolli feralia viderat arma
Intonſos rigidam in frontem deſcendere canos
Paſſus erat, mœſtamque genis increſcere barbam.

Trabeatos inceſſiſſe Latinorum, & Albanorum Reges ſatis dilucidum eſt teſtimonio Plutarchi in Romulo, & Commentatorum Ovidii ad lib.1. Faſtor. ad illud:

Hoc igitur vidit Trabeati cura Quirini.

ubi Petrus Marſus notat Romulum exemplo Albanorum Regum Trabeam geſtaſſe, quod etiam refert Virgilius ad lib.7. Æneidos:

Ipſe Quirinali Trabea, cinctuque Gabino . . .
Inſignis . . . .

ubi Servius ex Suetonii auctoritate lib. de Veſtium generibus, Tra-

bearum tria genera ponit: *Unum Diis conſecratum, quod eſt tantum è purpura; aliud Regum, quod eſt purpureum, habet tamen album mixtum, fuitque, teſte Virgilio lib. 11., Romæ Regum inſigne; tertium augurale, quod eſt è purpura, & cocco.*

Cujuſmodi autem ea veſtis fuerit, ſatis conſtat ex Dionyſio lib.2.: *Togiſque prætextis, & fibula adſtrictis induti, quas vocant Trabeas, quæ veſtis apud Romanos honoratioribus eſt propria*: & iterum lib.6.: *Et palmatis è purpura togis amicti, quas vocant Trabeas*: ex quibus patet Trabeas Regum fuiſſe togatas veſtes, purpura albo mixta circumductas ſub tegmine puniceo, quas aureæ fibulæ annectebant, ut Marſus explicat. Trabeis uſi ſunt Romanorum Reges, & præſertim Romulus ex Ovidio lib.2. Faſtor., Dionyſio lib.2., & Plinio lib.9. cap.39., inde Conſules teſtimonio ejuſdem Dionyſii lib.5., Ammiani Marcellini lib.26., & Auſonii in Protreptico:

Ut Trabeam, pictamque togam mea præmia Conſul
Induerer, faſtiſque meis prælatus haberer.

Duces quoque, & Augures, Equites etiam Romani Idibus tantum Julii, ſi credimus Dionyſio eodem lib.5., & Valerio Maximo lib.2. cap.1. trabea utebantur.

Aliud veſtimenti Regii genus Læna dicitur.hanc Virgilius lib.4. Æneidos, Æneæ, Latiniſque Regibus tribuit, & Servius ibidem, immo juxta Jubæ dictum relatum à Plutarcho in Numa, Veſtes Regiæ in Latio Lænæ, & Clænæ appellatæ ſunt, quæ veſtis ita dicta eſt, quod de lana multa facta eſſet, erat autem duarum Togarum inſtar, ut auctor eſt Varro lib.4. de ling. Latin., & propriè Toga duplex, amictuſque angularis, ut ait Servius. Feſtus de verbor. ſignificat. id Tuſcum, ſeu verius Græcum nomen, & Græcis priſcis familiare veſtimentum fuiſſe refert.

Nonius vero lib. de veſtimentorum generibus putat Lænam eſſe veſtimentum militare, quod ſupra omnia veſtimenta ſumitur, propterea Dionyſius lib.6. Caſtorem, & Pollucem Græcorum Numina, bellicas indutos Lænas in Foro Romano apparuiſſe ſcribit, & Cicero de clar. Oratorib. docet Lænam fuiſſe etiam Veſtem Sacerdotalem, qua flamines uti ſolebant, quum ſacrificia facerent. Conjicitur etiam ex Suetonio in Cæſare cap.45. Latum Clavum genus veſtimen-

ſtimenti Albanorum Regum fuiſſe; is enim de Cæſare loquens hæc habet: *Etiam cultu notabilem ferunt: uſum enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter quam ſuper eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura, unde emanaſſe Syllæ dictum, Optimates ſæpius admonentis, ut male præcinctum puerum caverent:* unde patet hanc veſtem ſemper Cæſarem induiſſe; itaque cum Dio lib.43. referat, Cæſarem veſtimenta Albanorum Regum, ad quos genus referebat, geſtare affectaſſe, hinc arguimus Latum Clavum, quo is ſemper amictus incedebat, genus veſtimenti Albanorum Regum fuiſſe; ferunt autem latum clavum tunicam latis clavis ornatam eſſe, qui clavi erant ornamenta quædam purpurea, inſtar clavorum tunicis attexta, ſeu fortaſſe aſſuta, à quibus latus clavus dictus eſt, ut notatur apud Feſtum verbo *Picta*, & Varronem lib.8. de ling Lat.

Inſigne etiam laudatorum Regum fertur Toga prætexta, ſi Zonaræ apud Valtrinum de Re Militar. lib.7. cap.9. fides præſtanda eſt; is quippe ſcribit Romulum tunica purpurea Toga prætexta, rubriſque calceis uſum exemplo Albanorum Principum: quæ tamen incerta ſunt, quandoquidem ex Plinio lib.9. cap.39. habes Tullum Hoſtilium è Regibus primum Togam prætextam induiſſe; ex Livio vero lib.1. eam Togam apud Romanos ab Etruſcis ſumtam fuiſſe, quod tamen Zonaræ teſtimonium obumbrare non videtur, cum Etruſcorum plura ad priſcos Latinos tranſiiſſe perſpicuum ſit.

Hæ traduntur Albanorum Regum veſtes. cæterum eorum calcei hi dicuntur, Mullei ſcilicet, & Tyrrheni; Mulleorum ita meminit Feſtus: *Mulleos*, inquit, *calceamentorum ajunt eſſe, quibus Albanorum Reges primi, deinde Patricii uſi ſunt*, quod probat auctoritate Catonis, item Titinnii in Setina. Mulleos putat Feſtus dictos à mullando, ideſt ſuendo, ſed Scaliger ſic vocatos ſcribit à mulli rubro colore, cum purpurei eſſent, quod verius eſt; nam Dio lib.43. referens Cæſarem geſtaſſe Mulleos, ut Albani Reges conſueverant, quos Auctores familiæ ſuæ jactabat, eos rubros calceos vocat. Zonaras etiam ſuperius adductus, & Plinius lib.9. cap.17. auctoritate Feneſtellæ tradit Mullo piſci datum nomen à Mulleorum calceamentorum colore, ipſumque Mullum, ut paulò poſt ſubdit, expirantem verſicolori quadam, & numeroſa varietate ſpectari, unde fit

Mulleos præter rubrum, alios colores exhibuiſſe; hos calceos Aurelianus Princeps viris omnibus Patriciis ademit, & mulieribus reliquit, ut teſtatur Vopiſcus in vita illius ad finem.

Mulleis Reges Albæ Lunulas annectebant, ideſt fibulas eburneas corniculantes Lunæ inſtar, quem morem ab Arcadibus, qui cum Evandro Latium appulſi ſunt, deductum fuiſſe perhibent; Arcades enim Proſelenes appellati ſunt, hoc eſt Antelunares, & ut oſtenderent ſe ante Lunam natos, eo fibulæ genere uſi ſunt, acſi Lunam ſub pedibus haberent, ut auctor eſt Plutarchus Problem. cap. 76. ex quo illud Juvenalis Satyr. 7.

. . . . & nobilis, & generoſus
. . . . . Appoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ.

quibus alludit & Ovidius Faſtor. lib. 1.

Orta prior Luna (de ſe ſi creditur ipſi)
A magno tellus Arcade nomen habet.

Idem lib. 2.

Ante Jovem genitum terras habuiſſe feruntur
Arcades, & Luna gens prior illa fuit.

Unde à Numa inſtitutum ferunt, ut Senatores eorumque Poſteri nigris calceis Lunas annecterent; Sic nobiles Latinæ Matronæ, ut ad Evandrum, Arcadeſque genus referrent, Lunulas, bullas ſcilicet Lunæ inſtar, geſtare conſueverunt. Erat autem Lunula muliebris mundus collum ambiens, & in formam orbicularem compoſitus, quem ſibi mulieres circumponebant, ut collum palàm oſtentarent, prout ex Iſidori Etymologiis lib. 19. cap. 31., Cypriano de Habitu & Diſciplina Virginum, & alijs ſcribit Joannes Smetius in Antiquitatibus Neomagenſibus pag. 119., qui addit hanc Lunulam inſtar Lunæ ſemiplenæ fuiſſe.

Tyrrhenos & Reges Albanorum calceos primum geſſiſſe putat Voſſius de Idololatria lib. 4. cap. 5., ubi memorat Mulleos aluminatos, & repandos fuiſſe Senatorum, & Patriciorum, non Regum Latii, dein Equitum Romanorum, & tandem Militum, quod tamen ex jam allatis erroneum videtur. Porrò Salmaſius ad Vopiſcum refert Mulleos, Tyrrhenicos etiam dictos, quod eorum factura Tuſcanica eſſet, ut patet ex Virgilio lib. 8. Æneidos, & Dacerio Commentatore

Feſti.

Digitized by Google

Feſti. Inſigne demum Regium erat haſta, hanc Albani Principes pro Diademate habuerunt, & Græci ſceptrum dixere; quippe quum ab origine rerum veteres Latini haſtas pro Diis immortalibus coluiſſent, & in vetuſti cultus memoriam Deorum ſimulacris haſtas adderent, quinimmo Romani haſtas pro Marte venerarentur teſtimonio Varronis, quem citat Arnobius contra Gentes lib.5., hinc factum eſt eorum Reges pro Sceptro, & Diademate ſolas haſtas geſtaſſe, ut ita Diis ſimiles dicerentur, ut auctor eſt Juſtinus lib.43., & adnotat Voſſius de Idololatria lib.9. cap.5.; Haſtam vero puram, nullo ſcilicet ferro munitam fuiſſe comperimus ex Virgilio lib.6. Æneidos, qui de Silvio Albanorum Rege ſic canit:

Ille vides pura Juvenis, qui nititur haſta.

ubi Servius, & Donatus tradunt hanc haſtam puram inſigne Albanorum Regum fuiſſe, qua deinde donabantur plerumque apud Romanos ii Milites, qui primum militare facinus in bello admiſiſſent. Ex his Regium cultum Albanorum Principum, unde Romani Reges, Patricii, ac Senatores veſtimenta, & calceos ſumpſerunt ſatis conſtare putamus.

CAPUT VIII.

De Republica Latinorum, & communibus eorum conventibus, ac fœderibus cum Romanis, & de Luco Ferentinæ ſub Albano monte.

NUmitore ultimo Albanorum, & Latinorum Rege defuncto, palàm eſt Albanos Dictatorem, qui toti Latio imperaret creaſſe, ut infra dicam; hujus rei cauſam Plutarchus in Romulo, Numitoris teſtamento attribuit, ait enim hunc ſine prole mortuum, in gratiam Albani Populi, Latinos omnes liberos feciſſe, & Reipublicæ formam inſtituiſſe. Alii vero memorant, Romulum, ad quem jure ſucceſſionis Latinorum Regnum pertinebat, Albanis popularem adminiſtrationem conceſſiſſe eodem Plutarcho teſte, quod veroſimile non eſt, quum Romulus, qui ſui naſcentis Regni limites protendere satagebat, jura Principatus Latinorum haud recuſaſſet, quin adeo armis

tutatus

tutatus eſſet, unde credere fas eſt, id accidiſſe, quod Latini Romulum Regia natum ſobole non affirmarent, aut de ejus origine dubitantes in libertatem ſe vindicaverint, ut ex verbis Dionyſii infra adducendis conſtat. Hinc puto mendum ineſſe apud Livium lib. 1., ubi Albanorum Regem nominat Cluilium, qui Dictator erat teſtimonio Dionyſii lib. 3. in principio; & ſanè, quamvis Dictator Albæ, & in Latio Regia poteſtate uteretur, Rex tamen non erat, neque Albanorum Regibus aliquis Cluilium accenſet; erat autem is Magiſtratus annuus, ut auctor eſt Dionyſius lib. 5., ubi de Dictatura loquens: *Ego igitur*, inquit, *ut dixi à Græcis deſumptum hoc exemplum opinor, ſed Licinius ab Albanis mutuatum mavult, qui primi poſt Amulium, Numitoriſque obitum deficiente ſtirpe Regia magiſtratus annuos creaverint, conceſſaque poteſtate Regia, Dictatores nominaverint*: Hactenus Dionyſius, qui Albanos non unum, ſed duos Dictatores creaſſe affirmat; verum & unum, & duos Dictatores Populi arbitrio creatos eſſe patebit ex inferius dicendis. Erat igitur ſummum Dictatoris Imperium; ei quippe licebat ſine Senatus, & Populi conſilio Cives in vincula conjicere, atque indemnatos morte afficere, cognationes quoque, capita rerum habere, in exilium agere, bonis interdicere, capite mulctare, bellum, pacem, fœdera, ſocietateſque etiam injuſſu populi facere, & dirimere ejus arbitrii, & juris erat, ut tradunt Polybius lib. 3., Plutarchus in Fabio Maximo, & Pomponius J. C. in l. 2. §. Populo, ff. de origin. jur.. Cluilius itaque primus Albanorum Dictator fertur, quem Livius, & Dionyſius loco adducto repentina morte occubuiſſe ajunt, quum ſigna ad dimicandum cum Romanis conferre moliretur. Poſt hunc Metius Fufetius Vir nec bello adminiſtrando idoneus, nec in pace colenda conſtans, & novarum rerum cupidus, Dictator renunciatus eſt, ut memoriæ produnt Dionyſius lib. 3., & Livius lib. 1., apud quem mendoſe Suffetius dicitur, ut doctiſſimus Sigonius in Livianis Scholiis animadvertit. Eo Magiſtratum gerente, Tullus Hoſtilius Romanorum Rex, qui Albæ imperium evertere meditabatur, Albanis obtulit, Albam linquere, & uni Romæ deferri totius Latinæ Gentis Imperium, Fufetius contra, Romanum Principatum Albam priorem Urbem, & matrem transferri diſceptabat. Interea anno lapſo, prorogato Fufetio

fetio imperio, ut innuit Dionyſius loco quo ſupra. *Metio Fufetio, quem ipſi*, Albani ſcilicet, *ut Albanorum præſtantiſſimum, Magiſtratu honorarent maximo, adminiſtrationem Reipublicæ uſque ad hanc diem permiſimus*, & bello dirempto Horatiorum, & Curiatiorum diſcrimine, ictoque fœdere, Albanorum Dictator violatis legibus, Fidenatium Romanorum hoſtium partes, non armis, ſed ignavia, & proditorio facinore ſuſtinuit, unde factum eſt Fufetium morte pœnas luiſſe, & Alba à Tullo everſa, Albanos Patres Romam traductos fuiſſe teſtimonio Livii, Dionyſii, & omnium Romanæ hiſtoriæ Scriptorum.

Ex his patet uſque ad id tempus unum Dictatorem Albæ creatum eſſe, non duos; ſed an Dictator ab Albano Senatu, aut à Populo, Latinarum etiam Urbium Præſidibus, prius quam ea Urbs obruta eſſet, eligeretur, mihi non conſtat; nam quamvis Livius, ac Dionyſius Albanis tantummodo videantur jus eligendi dediſſe, attamen ex eodem Dionyſio lib. 3. habes Metium ſecundum Dictatorem ab exercitu creatum fuiſſe: *In ejus locum Imperator ab exercitu creatus eſt Metius Fufetius*. Itaque ſi exercitus ex Albanis, & Latinis omnibus conſtabat, dilucidum fit, omnes Latinæ Gentis Primores in id conveniſſe, quod tamen incertum eſt, magiſque conſentaneum Albanos Patres Dictatores, qui omni Latio imperata facerent, creaſſe.

Conjicio etiam ex prædictis, neque Cluilium primum, neque Metium ſecundum Dictatorem fuiſſe, quippè, ut diximus Capite 6. Romulus Rex factus eſt paulò ante Numitoris obitum, qui quum duobus annis Albæ regnaſſet, vix credibile eſt Albanos novum Magiſtratum Cluilii ſeptuaginta ſaltem, quinimmo longè pluribus annis, qui numerantur à Romulo uſque ad Tullum, ſuſtinuiſſe; Romulus enim triginta ſeptem annis Regnum tenuit, Numa vero quadraginta tribus, ut in hiſtoria Romana ſcriptum eſt, propterea ante Cluilium, & Fufetium plures Dictaturam Albanam adminiſtraſſe palàm eſt, licet eorum nomina, & geſta ignota ſint.

Alba itaque everſa, Latina gens Reipublicæ inſtar vixit, & duos Dictatores, quos alii Prætores vocant elegit, quibus ſummum Imperii jus eſſet; quandoquidem Latini populi quovis anno ad Lucum Ferentinæ coibant, ut ibi annuum Magiſtratum crearent. Hujus rei locu-

locuples teſtis eſt Dionyſius lib. 3., ubi tamen eum locum Forum, & Oppidum Ferentini nominat, & Livius lib. 1., ubi verius Lucum Ferentinæ eum appellat, quem ſequuntur Sigonius de antiq. Jur. Ital. lib. 1. cap. 3., Alexander Genial. lib. 5. cap. 7., & alii: Veteres quippè Latini de rebus publicis conſueverunt tractare in Lucis ſacris, in quibus credebant adeſſe manes, qui Vitales Lares dicebantur, & Heroum Animæ, in his peracto ſacrificio Deo, cui Lucus ſacratus foret, de rebus publicis conſulta fiebant, quinimmo, quæ in Lucis decreta erant ſanctiora ob loci Religionem habebantur, ut diſertè probat Curtius Symphorianus de hortis lib. 4.

Ergo patet hunc Lucum priſcis Latinis religioſum fuiſſe: cui nam vero ex Diis dicatum eſſet, facilè haud eſt aſſerere, quoniam neque Livius, neque Dionyſius, aut alii Romani Scriptores id enunciant. Attamen ego palàm eſſe arbitror, hunc Lucum Latino Regi, quem Latini ſub cognomento Jovis Latiaris coluerunt, dicatum. Enimvero, qui mores Latinorum noſcit, fateri compellitur, hunc Lucum, ubi Latini conveniebant, ſacrum fuiſſe; ſacer autem eſſe non poterat, niſi alicui Numini dicatus, quo fit juxta prædicta, Lucum hunc ſub tutela alicujus Dei fuiſſe; Latinum vero à populis, qui ab eo nomen acceperant ſacris honoratum omnes teſtantur, ut dictum eſt Capit. 5.. Quo vero loci ejus Templum eſſet, vel illi ſacra fierent abſconditum eſſet, niſi Feſtus de verbor. ſignific. lib. 13. verb. *Oſcillum* id manifeſtum feciſſet; hic enim ſic loquitur: *Oſcillum Santra dici ait, quod oſcillent, id eſt inclinent, præcipiteſque in os ferantur. Oſcillantes ait Cornificius ab eo, quod os celare ſoliti perſonis propter verecundiam, qui eo genere luſus utebantur, cauſa autem ejus jactationis proditur Latinus Rex, qui prælio, quod ei fuit adverſus Mezentium Cæritum Regem nuſquam apparuerit, judicatuſque ſit Juppiter factus Latiaris; itaque per ſex eos dies feriatos, liberos, ſervoſque requirere eum non ſolum in terris, ſed etiam quia videretur Cœlum poſſe adiri per oſcillationem, velut imaginem quandam vitæ humanæ, in qua altiſſima ad infimum interdum infima ad ſummum efferuntur, atque ideo memoriam quoque reintegrari initio acceptæ vitæ per motus cunarum, lactiſque alimentum, quia per eos dies feriarum, & oſcillis moveantur, & lactata potione utantur*; hæc Feſtus,

ſtus, qui ex Cornificio vetuſtiſſimo Romanarum rerum Scriptore hæc hauſit, quo ſit Latinum Regem ſub Jovis Latiaris, vel Latialis nomine Latinam gentem coluiſſe, eique ſex dies feriatos aſſignaſſe, quibus eadem feſta quæ in honorem Icari, & Erigones, aut Bacchi, ut alii ajunt, Athenienſes inſtituerunt, peragebant, ludentes ſcilicet Oſcillis, in quibus fune de Tigno, vel arbore religato, vel etiam tranſverſo Tigno de arbore ſuſpenſo in aëre, viri & puellæ librati ſurſum, & deorſum ferebantur teſte Hygino fabula 130. cui alludit Virgilius Georgic. lib. 2.

Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis
Et te Bacche vocant per carmina læta, tibique
Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia quercu.

ubi Servius id ipſum comprobat.

Itaque jis diebus feriatis Latini, laudes, quibus antiquum eorum Regem requirebant, an in Cœlo, an vero in terris eſſet, eodem modo, quo factum fuerat, quum ipſe prælio à Mezentio, vel ut alii produnt à Turno fuſus repertus non eſſet, effundebant ludentes oſcillis, uti jam deſcripſimus, & Feſtus loco laudato, & Commentatores ejuſdem teſtantur, quo tempore ſcimus victimas eidem oblatas, & ſacrificia peracta fuiſſe; feriæ enim appellatæ dicuntur à victimis Numini feriendis, eodem Feſto verb. *Feria*, auctore. Et quamvis Feſtus ſitum non deſignet, attamen palàm eſſe arbitror, eum Ferentinæ Lucum fuiſſe; quippè hic Lucus in radicibus Albani montis erat teſtimonio ejuſdem Feſti, Sigonii de antiq. Jur. Ital. lib. 1. cap. 3., Alexandri ab Alexandro Genial. lib. 5. cap. 7., Kircheri, Ligorii, & aliorum. Apparet quoque Tarquinium Superbum Jovi Latiari Templum, quo Latini omnes convenirent, ſacra peragerent & ferias, in eodem Albano monte condidiſſe, ubi quotannis Latina gens coibat, viſcerationem ſumebat, alii agnos, alii caſeum, alii lac, alii alia dona ferebant, & tauro immolato, ſuam quiſque carnis partem accipiebat, quod teſtantur Dionyſius lib. 4., & pluribus locis Livius 4. Dec. lib. 2., & alibi, Varro lib. 1., aut ex aliorum computatione lib. 4. de ling. Latin., Servius ad lib. 1., & lib. 6. Æneidos, Sigonius dicto cap. 3., Alexander dicto lib. 5. cap. 7., & alii; unde fit hoc ſacrum Latiar appellatum in honorem Latini, quem ſacris ſub nomine

Jovis Latiaris Latina gens honoraverat, à Superbo inſtitutum fuiſſe eodem ſitu, eodemque monte, in cujus jugo Ferentinæ Lucus aderat. Porrò Tarquinio Latini, quorum auxiliis ille tunc indigebat, non conceſſiſſent ferias Jovi Latiari, & ſic Latino eorum Regi, ab Aſcanio fortaſſe inſtitutas, alteri Deo dicari, neque Lucum ſacrum, in quo tot annis ſacra Latino fecerant, deſerere paſſi eſſent, atque ideo, tum ſitus, quum ritus, præſertim oves, & lac ferendi, de quo teſtatur Dionyſius dicto lib.4., quum lactata potione jis feriis priſci Latini uterentur, ut ait Feſtus loco adducto, ſacra etiam Jovi Latiali, ut antiquitus facta, feriæ, & Jovis Latialis nomen id ipſum manifeſtum faciunt, ut Ligorius, qui nullum adducit Scriptorem in MSS. Otthobonianis ſcribit, quem putamus à Feſto omnia hauſiſſe. Hic etiam ibidem, & verb. *Oſcillum* ſubdit luſu Oſcillorum in eo Templo puellas feſta concelebraſſe, ut ſuperius dictum eſt.

Merito itaque Dionyſius eum locum Forum Ferentinæ nominat, quod jis diebus nundinæ ſolemnes ibidem haberentur, & epulæ, & Ferentinæ Lucum omnes illum appellant, quod veteres Latini ibi coirent, & ferrent pro ſacrificio agnos, taurum, lac, caſeum, aliaque munera, ut ſupra probavi; ſic etiam Ferentarii milites in bello dicti ſunt à ferendo auxilio, Feretrius Juppiter à ferendo etiam, quod pacem ferre putaretur, feria quoque à ferendis, vel feriendis victimis eodem Feſto verb. *Ferentarii*, verb. *Feretrius*, & *Feriæ* lib. 6.

Quamobrem pro certo habeo, hunc Lucum Latinis celeberrimum longe ante Tarquinii Superbi ætatem Latiari Jovi, Latino ſcilicet Regi ſacratum fuiſſe, & Tarquinium ritu priſco haud immutato, Templum, & quædam ſolemnia addidiſſe, quum antea Lucus ſolus Deo ſacer pro Templo haberetur, ut conjicitur ex eodem Feſto lib. 14: *Prætor*, inquit, *ad portam nunc ſalutatur, is qui Provinciam Proprætore exit, cujus rei morem ait fuiſſe Cincius in libro de Conſulum poteſtate talem: Albanos rerum potitos uſque ad Tullum Regem, Alba deinde diruta, uſque ad P. Decium Murem, Conſules Populos Latinos ad caput Ferentinæ, quod eſt ſub monte Albano conſulere ſolitos, & Imperium communi conſilio adminiſtrare. Itaque quo anno Romanos Imperatores ad exercitum mittere oporteret juſſu nominis Latini, complures noſtros in Capitolio à Sole oriente auſpiciis*

operam

operam dare ſolitos, ubi aves addixiſſent, militem illum, qui à communi Latio miſſus eſſet, illum quem aves addixerant Prætorem ſalutare ſolitum, qui eam Provinciam obtineret Prætoris nomine: hæc Feſtus, unde comperimus Albanos longe ante Albam everſam in Ferentinæ luco conveniſſe, Romanos etiam Conſules uſque ad P.Decium Murem quo tempore Latium ſubactum eſt, ut infra dicam, poſt ſacra peracta conſulviſſe Latinos eo in Luco de Republica communi Latinorum, & Romanorum adminiſtranda, & militem è Latio miſſum, in Capitolio auſpiciis præmiſſis ſalutaſſe Prætorem eum, qui Proprætore Provinciam exhibat.

Erat autem eo loci Fons, de quo Livius lib.1., qui de Turno Herdonio loquens: *Dejectus*, inquit, *ad caput aquæ Ferentinæ*: id eſt ad Fontem Ferentinæ, ut ex Horatio Andreas Dacerius commentator Feſti verb.*Prætor* adnotat. Sacrificaſſe porrò ferunt Latiari Jovi ſanguine humano teſte Lactantio de Falſa Religione lib.1.cap.21.: *Nec Latini quidem hujus immanitatis expertes fuerunt, ſiquidem Latialis Juppiter etiam nunc ſanguine colitur humano*, quod ſanè mirum eſt, quum Dionyſius mox adductus taurum hoſtiam fuiſſe commemoret; ſed Tertullianus adverſus Gnoſticos ait: *Et Latio ad hodiernum Jovi media in Urbe humanus ſanguis inguſtatur*, unde videtur id ſacrificii genus Romæ fieri ſolitum, non autem in Albano monte; ego vero puto Lactantii lectionem ſatis planam eſſe, & in Templo Jovis Latialis in Albano conſueviſſe Latinos priſco ſuo Regi ſanguine humano ſacra facere, an vero Latinarum feriarum tempore, aut alio, mihi non conſtat, ſed quum de Latinis feriis agam, fuſius de his diſſerere propono.

Quo vero die priſci Latini in hoc Luco convenirent, non liquet; neque dicas Tarquinium Latinorum ferias in unum tantum diem indixiſſe, ut auctor eſt Dionyſius lib.6. ad finem, qui ait ſecundum diem addidiſſe populum, quando Regibus pulſis libertatem adeptus eſt, tertium quoque poſt reconciliatam plebem Patribus, & quartum poſtquam Camillus iterum plebem cum Senatoribus reconciliavit, ſi credimus Livio libro 6. in fine, & Plutarcho in Camillo, quod & tradit Sigonius de antiq. Jur. Ital. lib.1. cap.3., quandoquidem is feriatus dies à Tarquinio inſtitutus eſt, quod eo die fœdus ictum eſſet

cum Romanis, & Latinis, ut ita perenne eſſet fœdus, & in Epulis ſacris, ac ſacrificiis communi Deo peractis, unus populus, eademque gens Romana, & Latina cenſeretur. Cæterum poſt eum diem nemo affirmat Latinos ſuas ferias intercepiſſe; quinimmo iidem Romani Scriptores, Alexandro Genial.lib.5.cap.7. teſte perhibent, poſt hunc diem alios duos ſemper religioſos habitos fuiſſe, unde Populus, qui tres dies addidit illi, quem Latinis Tarquinius aſſignaverat, id fecit, ut ſex dies Latinis feriis religioſi eſſent ut prius, exemplo Saturnalium ſtatis diebus indictorum, poſt quos quum plures alii religioſi eſſent, omnes in numero Saturnalium computati ſunt, ut fuſius dicam quum de Templo Saturni Profugi Setinorum verba faciam: quibus ſi addas Alexandrum ab Alexandro loco laudato aſſerentem, manſiſſe in poſterum apud Latinos, ut ſi quod eorum nomini impenderet bellum, vitandæ injuriæ cauſa, in Albano, aut ad Lucum Ferentinæ quid facto opus foret communi conſilio decernerent, & Sigonium d.cap.3.ſcribentem, cauſam harum feriarum fuiſſe, ut quemadmodum Latini ad Lucum Ferentinæ conveniebant, ita in montem Albanum ſacrorum gratia cogerentur; facilè intelliges Albanum montem, & Lucum Ferentinæ ejuſdem cultus, eundemque locum conciliorum Latinorum fuiſſe, quum Dionyſius, & Livius, & cæteri Romani Scriptores, etiam poſt conditum id Templum à Tarquinio in Albano monte, referant Latinos concilia ad Lucum Ferentinæ ut prius celebraſſe, & nemo ſit, qui ea in Albano facta eſſe dicat. Quæ dixiſſe ſufficiat, quum de feriis Latinis in Albano monte habitis ſuo loco luculentius acturus ſim. His igitur poſitis conjicitur concilium in Luco Ferentinæ quotannis habitum, non diebus feriarum, ſed aliis, quum enim ſive ad Magiſtratus creandos, ſive ad bellum indicendum, aut ad fœdus ineundum ſtata dies aſſignari perpetuo non poſſet, hinc eſt concilia quum occaſio id poſtularet: facta fuiſſe quod apud Dionyſium, & Livium ſcriptum reperio.

Primum itaque concilium à Latinis factum eſſe puto, quum Numitore defuncto Albani in libertatem ſe vindicarunt, & Dictatorem crearunt. Secundum quum à Romulo cum iis fœdus ictum eſt, quo cautum erat, ne bellum inter ſe gererent, alioquin, quæ bellum intuliſſe Civitas diceretur, ea judicium alterius, & mulctam ſubiret

de

de quo Livius lib. 1., Dionyſius lib.2., & Sigonius dicto cap.3. Tertium, quo Cluilius, de quo verba fecimus, Dictator dictus eſt, quo tempore comperimus, nobili illa per Tergeminos Horatios parta victoria, fœdus aliud ictum fuiſſe *ea lege, ut juventutem in armis Albani haberent, uſurum ſe Regem* (Hoſtilium ſcilicet) *ea, cum res poſtularet*: teſtimonio ejuſdem Dionyſii lib.3., quæ tamen concilia, quinimmo plura prædictis, quæ ſcripta non reperiuntur, non ab univerſo Latio, ſed ab Albanis Patribus facta eſſe arbitror, ut ſupra dictum eſt. Quartum eo tempore, quo idem Hoſtilius Romanorum Rex anno poſt Albæ excidium quartodecimo, Legatis ad triginta Urbes, quæ in Albanorum ditione fuerant miſſis, petiit, ut quomodo Albanis, item ſibi, à quo Albanorum fractæ opes eſſent, parerent: Legatis à nulla Civitate privatim quidquam reſponſum eſt, *ſed indicto Ferentinum publico gentis concilio, decernunt Imperio Romanis haud cedendum eſſe, moxque duos Imperatores eligunt, penes quos eſſet belli, paciſque arbitrium Ancum Publicium Coranum, & Sp. Vecilium Lavinienſem*, ut refert Dionyſius dicto lib.3. pag.75.editionis Sylburgii, qua ſemper utor. Alii vertunt *Prætores*, non *Imperatores*, ut Sigonius loco ſuperius adducto, & quidem minùs recte, quum in textu Græco legatur στρατηγὺς, nempe *imperatores*, & Dionyſius Publicium, & Vecilium imperatores enuncians, eos Dictatores aſſeruerit. Verum Tullo mortuo, Ancus Marcius ejus ſucceſſor, Latinis, qui Agrum Romanum Prædonum more populati fuerant Legatos miſit, qui Romanis res ſuas ex fœdere repeterent, quibus reſponſum dederunt, non cum Romanis, aut Marcio, ſed cum Tullo ſe fœdus injiſſe, Tulloque mortuo, nullo ſe amplius teneri pacis fœdere. Hoc reſponſo Romanus Rex exagitatus, Legatum, quem Fæcialem appellant miſit, qui velato capite, præmiſſis cæremoniis ſacris, quas Numam inſtituiſſe ferunt, ſtatim ac fines Latinorum ingreſſus eſt, invocato Jove, hæc verba protulit. *Quod Populi priſcorum Latinorum hominesque priſci Latini adverſus Populum Romanum Quiritum fecerunt, deliquerunt, quod Populus Romanus Quiritum cenſuit, conſenſit, conſtituit, ut bellum cum priſcis Latinis fieret, ob eam rem ego, Populuſque Romanus Populis priſcorum Latinorum hominibuſque priſcis Latinis bellum indico,*

indico, facioque, id ubi dixiſſet, haſtam in fines eorum emiſit, quem morem poſteri acceperunt: ut ait Livius lib. 1., & tradit etiam Dionyſius dicto lib. 3. Hoc ita indictum bellum, uſque ad Tarquinium Priſcum Regem manſit, hic poſt aliquot Latinorum Oppida oppugnata, plures populos quibuſdam conditionibus Romanis adjunxit; terruit hoc Latinos, verentes ne univerſam gentem ſuæ ditioni ſubjiceret, propterea *in Oppidum*, ſeu verius Forum, Ferentinum *conventu indicto, decretum eſt delectus oppidatim habendos eſſe, & ciendas ad arma fortiſſimas propinquarum gentium, moxque Legati ad Etruſcos, & Sabinos impetrandæ ſocietatis cauſa dimiſſi ſunt*, ut habes ex Dionyſio dicto lib. 3. pag. 188., qui ſubdit Cluſinos, Aretinos, Volaterranos, Ruſellanos, & Vetulonienſes Latinis ſeſe ſociaſſe, quod ideo concilium Latinorum quintum illorum, quæ ſcripta ſunt fuiſſe comperimus.

Hoc bello ferunt penè omnes Latinorum Urbes in deditionem Tarquinii veniſſe, qui tamen ſumma in cunctas clementia uſus eſt, neminem porrò Latinum occidit, in exilium egit, aut mulctavit pecunia, agros etiam ſuos ipſis fruendos reliquit, & Civitates ſuo quamque jure uti permiſit, transfugas Romanis reddi juſſit, & captivos abſque pretio, famulos quoque reſtitui propriis Dominis quibus à prædatoribus intercepti fuerant, & rerum ereptarum Agreſtibus perſolvi pretium, atque his conditionibus in amicitiam, & ſocietatem Romanorum, Latinam gentem recepit, ea lege addita, ut in poſterum Romanorum imperata facerent teſte eodem Dionyſio ſepè laudato lib. 3. pag. 191.

Succeſſit Tullius Rex, qui animum adjecit ad conſtituendum velut unum corpus ex Latinorum, & Romanorum populis, ne inteſtinis bellis, & diſſidiis debilitati à finitimis Barbaris ſubjugarentur: id poſtquam apud ſe ſtatuit, Legatos convocavit è ſingulis Latinorum Urbibus, qui cum adveniſſent, & in Senatum introducti eſſent, verba fecit de concordia, omnibuſque perſuaſit, qui in congreſſu erant, ut collectis oppidatim pecuniis, Dianæ Templum in Aventino Urbis Romæ monte ædificaretur, ubi Forum rerum venalium Latini exercerent, & ſolemnia ſacra, quibus id decerneretur temporibus, quot annis Latino, & Romano nomini communia facerent. Et nulla

ulla injuria temporum fœderis leges, quas Rex Latinis Civitatibus conſcripſit, rituſque celebrandi feſti, & Fori, quos ipſe conſtituit abolerentur, in ænea columna decreta concilii, & Civitates ejus conventus, & ſacrorum participes incidit, quæ columna permanſit uſque ad Dionyſij ætatem in eo Templo dedicata inſcripta literarum characteribus Græcanicis, quibus olim Græcia utebatur teſtimonio ejuſdem Dionyſii lib.4., & Livii lib.1.: qui addit in hoc fœdere primum ſtatutum fuiſſe, ut caput rerum Roma eſſet, pro quo tanto tempore fuerat dimicatum: ſubdit etiam huic Templo boum cornua fuiſſe affixa, quum reliquis Dianæ Fanis cervorum cornua affigerentur, de quo etiam Roſinus Antiquit. Roman. lib.2. cap.7., qui addit id fuiſſe primum Templum Romæ Dianæ dicatum.

Regnum inde Romanum Tarquinius Superbus tenuit, qui Octavio Mamilio Tuſculano, qui ad Telegonum Ulyſſis, & Circes filium, genus referebat, filiam in matrimonium dedit, ut ita per potentiſſimum virum, ac militem, Latinorum amicitia junctus, Latino imperio potiretur. His itaque animo decretis, per nuncios indixit, ut qui Latinæ Reipublicæ nomine in Ferentinæ concilium ſolerent convenire, die, quem ipſe præfiniverat adeſſent, quaſi de communibus, & arduis tractaturus eſſet negociis. Concilio igitur indicto, (quod ſeptimum in ordine dicimus) quum aliud Tullii ætate factum eſſet, ut ſupra dictum eſt, Turnus Herdonius, quem Dionyſius Corioli ortum, Livius vero, Servius, & alii Ariciæ natum, & ad Turnum Rutulorum Regem genus referre ajunt, Tarquinio, quod in affinitate Mamilio eſſet poſthabitus infenſus, prolixe in Regem invectus eſt eo die, quo is non adfuerat, ſed ſequenti die Rege à criminibus objectis ſe purgante, & Turno occiſo, Latinorum Præſides Romanum Regem Latinæ gentis Principem conſtituerunt iiſdem prorſus conditionibus, quibus avum ipſius Tarquinium Priſcum fecerant, ac deinde Tullium, inciſoque in columnis fœdere, & jurejurando addito, ſolutum eſt concilium, ut proditum eſt apud Dionyſium dicto lib.4. pag.248. & 249., & Livium lib.1. Ut autem ſempiternum maneret id fœdus, Tarquinius commune Romanis, & Latinis Fanum in Albano monte condidit, ut quot annis ibi ſolemnem cœtum agitantes una epularentur, ſacraque communiter Jovi Latiali facerent,

Digitized by Google

rent, quibus Romani præeſſent, ut ſupra dictum eſt. Et quamvis Dionyſius referat id Templum, eaque ſacra communia fuiſſe: *Hernicis etiam, & Volſcis, qui ſociorum numero adſcripti eſſent*, attamen dilucidum eſt ſolis priſcis Latinis, & Romanis Latinas ferias, & Latiare fuiſſe commune, id enim teſtantur quotquot retulimus cap.2., & Livius lib.32.37.& 41., Cicero in Plancina, Strabo lib.5: *Ibi* (in Albano ſcilicet monte) *totius Regni cœtu coacto Romani cum Latinis Jovi ſacrificant*, Sigonius lib.1. dicto cap.3. de Antiq. Jur. Ital., Alexander, & alii, præter quoſdam recentiores, Roſinum ſcilicet, & Kircherum, qui Dionyſium ſequuntur, quippe ſicuti notatur in dicto cap.2. pleræque Volſcorum Urbes in Latio priſco ſitæ, Latinorum numero habitæ ſunt, ſic & plures Sabinorum, & aliorum populorum Civitates, Hernicorum etiam, inter quas Signia, quam idem Tarquinius coloniam deduxit, & Strabo lib.5. in Hernicorum agro ponit: unde fit Dionyſium de his Urbibus, & Populis loquutum fuiſſe, & ea de cauſa addidiſſe illa verba, *qui ſociorum numero*, ut deſignaret ex Hernicis, & Volſcis, eos tantum populos, qui tunc Latinorum numero habebantur. Livius lib. 1. ſcribit Tarquinium renovato fœdere in concilio jam dicto, indixiſſe junioribus Latinorum, ut ex fœdere die certo ad eundem Lucum Ferentinæ armati frequentes adeſſent: quo facto ſubdit Regem miſcuiſſe manipulos ex Latinis, & Romanis, ut ex binis ſingulos faceret, binoſque ex ſingulis, ita geminatis manipulis Centuriones impoſuit, quem morem Romanos perpetuo ſervaſſe palàm eſt.

Tarquinio, & filiis, omnibuſque Regibus in æternum Roma exactis, poſt quam Conſules Romani pluribus bellis Latinos, alioſque populos, qui Tarquiniis in auxilium venerant oppugnaverant, Octavius Mamilius Tarquinii gener, de quo verba fecimus, Latinam gentem partim precibus, partim pollicitationibus compulit ad commune concilium Ferentinæ convocandum. In hoc concilio, quod octavum fertur, M. Valerius vir Conſularis Legatus Populi Romani, queſtus eſt omnes Latii Urbes præter unam Romam ad id concilium commune Romanis, & Latinis fuiſſe vocatas: unde habes, poſt ferias Latinas inſtitutas, Romanos etiam in hoc concilio coire conſueviſſe, ut etiam ex Feſto probatum ſupra eſt. Decretum etiam eſt bellum

Roma-

Romanis, quod ab illis fœdus Latinum violatum diceretur; ſed quum id decretum ab omnibus Latinis laudatum haud eſſet, & Fidenates interea Romanorum exercitu vallati, per Legatos auxiliares copias à Latinis peterent, iterum Proceres Latinæ gentis ad Lucum Ferentinæ convenerunt (quod nonum concilium fuit), ubi quum ditiores, & nobiliores in fœdere manendum eſſe cenſerent, induſtria, quinimmo fraude Tarquinii factum eſt, ut decerneretur Fidenatibus adverſus Romanos opem ferre, ut legitur apud eundem Dionyſium lib.5.; Legatis autem Populi Romani petentibus, an Latina gens fœdus ſervare, an bellum vellet, coactis rurſum apud Ferentinæ Forum Urbium Præſidibus, bellum Romanis indictum eſt, & nequis populus ſocietatem proderet, neve ſine communi conſenſu pacem privatim faceret, jurejurando ſe mutuo conjunxerunt, ac edixerunt, ut qui conditionibus his non ſtarent, à fœdere excluſi pro execratis, & publicis hoſtibus haberentur. Crearunt etiam imperatores, Dictatores ſcilicet Octavium Mamilium, & Sextum Tarquinium; in hoc fœdus nomina, & jus jurandum dedere *Proceres Ardeates, Aricini, Bovillani, Bubetani, Corani, Cornutani, Gabini, Laurentini, Lanuvini, Lavinienſes, Labicani, Nomentani, Norbani, Præneſtini, Pedani, Querquetulani, Satricani, Scaptini, Setini, Tellini, Tiburtini, Tuſculani, Trebani, & Veliterni*, teſte eodem Dionyſio dicto lib.5. pag 326., quod comprobat Livius lib.2., ubi tamen ſcribit L. Tarquinium Superbum Dictatorem una cum Mamilio factum, & L. Florus lib.1. cap.11., qui addit Algidenſes huic quoque concilio adfuiſſe, unde habetur decimum Latinorum concilium.

Prælio tamen fuſis Latinis, & Tarquiniis devictis, pluribuſque Latinis Oppidis oppugnatis, quum Legati Latinæ gentis ſupplices Romam veniſſent veniam petentes, Spurius Caſſius diruenda eorum Oppida, ac Latinorum Agrum Romanis addendum conſuluit; prævaluit tamen ſententia Largii Dictatoris, qui cum Latino nomine priſtinum fœdus renovari, nec ullius Civitatis delictum memori mente reponi ſuaſit, propterea certis conditionibus dimittendi captivos, profugos tradendi, exuleſque ejiciendi, pax data eſt Latinis cognatis Romani Populi, iiſque priſtina amicitia, & ſocietas reſtituta, renovato jurejurando, quo hæc olim à Fæcialibus ſancita fuerant, quem-

admodum teſtimonio comprobatur ejuſdem Dionyſii lib.6. pag.358.

Reperio itidem Anno V.C. CCLXI. Spurio Caſſio iterum, & Poſtumo Corvinio iterum Coſs., Latinis gratias redditas à Senatu Romano, quod in ſeceſſione plebis ad ſacrum Montem nullos tentaſſent motus, quin etiam contra defectionem, promptam navaſſent operam, & ob id meritum, inſtauratam cum eis amicitiam, fœduſque renovatum: hæc continebat id fœdus, ex quo, quid in aliis præcedentibus ſtatutum fuerit facilè intelliges: *Romanis, & Latinorum populis omnibus mutua pax eſto, dum Cœlum, & Terra ſtationem eandem obtinet, & neutri alteris bellum inferunto, nec aliunde hoſtes inducunto, aut bellum inferentibus iter tutum præbento, & bello infeſtatis opem ferunto totis viribus, belliqueprædam, ac ſpolia ex æquo dividunto, de privatis contractibus lites judicio dirimuntor intra decem dies in Foro ejus populi, ubi contractus is factus fuerit. His fœderis conditionibus nihil addere, aut demere liceto niſi ex conſenſu Romanorum, & Latinorum omnium*, ut videre eſt apud Dionyſium lib.6.; in aliis vero ejuſdem Codicibus fœderis leges ita leguntur: *Inter Romanos, & Latinorum Civitates omnes æterna pax eſto, neque ipſæ inter ſe bellanto, neque aliunde hoſtes inducunto, neque hoſtibus tutos tranſitus præbento, ſed bello oppreſſis opem omnibus viribus ferunto, ſpoliorum, ac prædæ partem equalem habento, privatarum litium judicia illi, quibus mandata cognitio fuerit intra decem dies peragunto; his legibus nihil addi, demive poſſit, niſi ſi Romanis, Latiniſque ita placuerit*: meminit hujus quoque fœderis Livius lib.2., Cicero in Corneliana, ubi teſtatur columnam æneam, in qua tale fœdus inciſum erat uſque ad ſua tempora ſtetiſſe; quin etiam ex hoc Latino fœdere Feſtus lib.12. verbo *Nancitor* profert hæc verba: *Pequniam quis Nancitor habeto, & ſi quid pignoris nanciſcetor, ſibi habeto*, quibus verbis id ſancitum dicunt, quod ſicuti creditori ſatisfaciendum erat intra decem dies poſt conteſtatam litem, uti in vetuſtiori fœdere Latino præſcriptum erat, ita ipſum pignus liceret creditori aquirere, ſi poſt illud tempus ſibi ſatisfactum non eſſet, vel potius quod Latinus, vel Romanus pignore ante bellum contracto uti poſſet, ut interpretatur Scaliger in Caſtigationibus ſuis ad Feſtum ibidem.

Hi

Hi quidem Latini populi, niſi ſi qui privato forte nomine, ac privatis opibus interea bellum intuliſſent, ut Præneſtini, Tuſculani, Tiburtes, Fidenates, Antiates, & ſimiles ſepè fecerunt, in amicitia Populi Romani manſerunt, & concilia celebrarunt uſque ad annum V.C.CCCLXIV. quo anno perculſam Civitatem ſcribit Livius lib.6. ex defectione Latinorum; hoc animo vixerunt Latini, milites ex formula negantes uſque ad annum CCCXCV. C. Fabio, & C. Plautio Coſs. quo tempore in priſtinam amicitiam redierunt, quod idem Livius loco quo ſupra memoriæ prodit, aitque: *Inter multos terrores, ſolatio fuiſſe, pacem petentibus Latinis datam, & magnam vim militum ab jis ex fœdere vetuſto, quod multis intermiſerant annis acceptum*, quæ tamen fides neque diu culta eſt, nam anno CCCCIV. *Concilia Latinorum ad Lucum Ferentinæ habita, reſponſumque haud ambiguum imperantibus milites, Romanis datum, abſiſterent imperare jis, quorum auxilio egerent, Latinos pro ſua libertate potius, quam pro alieno Imperio laturos arma*: eodem Livio lib. 7. teſte.

Itaque anno CCCCXIII., vel juxta aliorum computationem CCCCXV. T.Manlio Torquato III. & P.Decio Mure Coſs. Latina gens in Ferentinæ Luco crebra indixit concilia, primum, quo Romanis petentibus Latinos ab Agro Samnitum recedere, reſponſum datum eſt: *In fœdere Latino nihil eſſe, quod bellare cum quibus ipſi vellent probibeantur*; ſecundum, quo per ſpeciem adverſus Samnites belli parandi, Romanum coquerent bellum; tertium, quo Prætores L. Annius Setinus, & L. Numitius Circæjenſis creati ſunt; quartum, quo Romanis evocatis decem Latinorum Principibus Romam, quibus imperarent quæ vellent, Latina gens Annium Setinum Legatum ad Populum Romanum miſit, cujus orationem in concilio, & in Senatu habitam Livius lib.8. hiſce verbis refert: *Quamquam ipſe ego retuli quid reſponderi placeret, tamen magis ad ſummam rerum noſtrarum pertinere arbitror, quid agendum nobis, quam quid loquendum ſit, facilè erit explicatis conſiliis accommodare rebus verba; nam ſi etiam nunc ſub umbra fœderis æqui, ſervitutem pati poſſumus, quid abeſt quin proditis Sidicinis, non Romanorum ſolum, ſed Samnitium quoque dicto pareamus, reſpondeamuſque Romanis,*

L 2 *nos,*

nos, ubi invenerint, poſituros arma. Sin autem tandem libertatis deſiderium remordet animos, ſi fœdus eſt, ſi ſocietas æquatio juris eſt, ſi conſanguineos nos Romanorum eſſe, quod olim pudebat, nunc gloriari licet, ſi ſocialis illis exercitus is eſt, quo adjuncto duplicent vires ſuas, quem ſecernere ab ſe Coſs. bellis propriis ponendis ſumendiſque nolint, cur non omnia æquantur? cur non alter ab Latinis Conſul datur? ubi pars virium, ibi & Imperii pars eſt. Eſt quidem nobis hoc per ſe haud nimis amplum, quippe concedentibus Romam caput Latio eſſe: ſed ut amplum videri poſſet diuturna patientia fecimus; at qui ſi quando unquam conſociandi Imperii, uſurpandæ libertatis optaſtis, en hoc tempus adeſt, & virtute veſtra, & Deum benignitate vobis datum. Tentaſtis patientiam negando militem, quis dubitat exarſiſſe eos, quum plus ducentorum annorum morem ſolveremus, pertulerunt tamen hunc dolorem: Bellum noſtro nomine cum Pelignis geſſimus. Qui ne noſtrum quidem finium per nos tuendorum jus antea dabant, nihil interceſſerunt, Sidicinos in fidem receptos, Campanos ab ſe ad nos deſciſſe, exercitus nos parare adverſus Samnites fœderatos ſuos audiverunt, nec moverunt ſe ab Urbe; unde hæc illis tanta modeſtia, niſi à conſcientia virium, & noſtrarum, & ſuarum? Idoneos auctores habeo, quærentibus de nobis Samnitibus ita reſponſum ab Senatu Romano eſſe, ut facilè appareret, ne ipſos quidem jam poſtulare, ut Latium ſub Romano imperio ſit, uſurpate modo poſtulando eo, quod illi vobis taciti concedunt; ſi quem hoc dicere metus prohibet, en ego ipſe, audiente non Populo Romano modo, Senatuque, ſed Jove ipſo, qui Capitolium incolit, profiteor me dicturum, ut ſi nos in fœdere, ac ſocietate eſſe velint, Conſulem alterum ab nobis, Senatuſque partem accipiant. Hæc ferociter non ſuadenti ſolum, ſed pollicenti, clamore, & aſſenſu omnes permiſerunt, ut ageret, diceretque quæ è Republica nominis Latini, fideque ſua viderentur: deinceps Livius hæc ſubdit: *Ubi eſt Romam ventum, in Capitolio ei Senatus datus eſt, ibi cum T. Manlius Coſ. egiſſet cum eis ex auctoritate Patrum, ne Samnitibus fœderatis bellum inferrent, Annius, tanquam victor armis Capitolium cæpiſſet, non Legatus jure Gentium tutus loqueretur. Tempus erat, inquit, T. Manli, voſque P. C. tandem jam vos nobiſcum nihil pro Imperio*

agere,

agere, quum florentiſſimum Deorum benignitate nunc Latium armis, viriſque, Samnitibus bello victis, Sidicinis, Campaniſque ſociis, nunc etiam Volſcis adjunctis, videretis; Colonias quoque veſtras Latinum Romano prætuliſſe Imperium; ſed quoniam vos Regno impotenti finem, ut imponatis non inducitis in animum, nos quamquam armis poſſumus aſſerere Latium in libertatem, conſanguinitati tamen hoc dabimus, ut conditiones pacis feramus æquas utriſque, quoniam vires quoque æquari Diis immortalibus placuit. Conſulem alterum Romæ, alterum ex Latio creari oportet, Senatus partem æquam ex utraque gente eſſe, unum Populum, unam Rempublicam fieri, & ut Imperii eadem ſedes ſit, idemque omnibus nomen, quoniam ab alterutra parte concedi neceſſe eſt, quod utriſque benè vertat, ſit hæc ſanè Patria potior, & Romani omnes vocemur.

Annio Manlius Conſul reſpondit, gladio libertatem Senatus ſe defenſurum, & publico nomine bellum Latinis indixit; hoc bello fertur ad Veſerim in Campania Latinos devictos, & eorum Prætores trucidatos, adeo vero eorum opes attritæ ſunt, ut, quod ſcriptum reliquit Livius lib. 8.: *Torquato Conſuli victorem exercitum ad populandos agros eorum ducenti, dederent ſe omnes Latini: Latium agro mulctatum, extra pœnam fuere Laurentes, quia non deſciverant, cum iis renovari fœdus juſſum, renovaturque quot annis poſt diem decimum Latinarum*: id ipſum narrant Cicero Offic. lib. 3. Auctor de Viris Illuſtribus, Valerius Maximus lib. 1. cap. 7., Plinius lib. 22. cap. 5., Eutropius lib. 2., Oroſius lib. 3. cap. 9., & alii. At Latini ob iram agri amiſſi rebellantes, novo prælio à Q. Publilio & T. Æmilio Coſs. fuſi ſunt, deinceps Tiburtes, Præneſtinos, Veliternos, & Lanuinos, qui ad Pedum copias contraxerant, L. Camillus Coſ. oppugnavit, Antiates C. Mœnius alter Conſul in deditionem recepit, Latiumque omne Romano Imperio ſubactum; quinimmo quum in Senatu proponeretur, an Urbes Latinorum evertendæ, aut in pace continendæ eſſent, Camilli Conſulis precibus decretum eſt, ſociali, & cognatæ genti parcendum. Lanuvinis itaque Civitas data, ſacraque ſua reddita, cum eo, ut ædes Soſpitæ Junonis communis Lanuinis municipibus cum Populo Romano eſſet: Aricini, Nomentani, & Pedani eodem jure, quo Lanuvini in Civitatem cooptati; Tuſculanis

ſervata

Digitized by Google

ſervata Civitas, quam habebant, crimenque rebellionis à publica fraude in paucos auctores verſum; in Veliternos veteres Cives Romanos, quod toties rebellaſſent, graviter ſævitum, & muri dejecti, & Senatus inde abductus, juſſique Senatores trans Tiberim habitare, ut is, qui cis Tiberim inventus eſſet, uſque ad mille pondo mulctæ nomine penderet; in agrum Senatorum Coloni miſſi, quibus adſcriptis ſpeciem antiquæ frequentiæ Velitræ reciperent; Antium nova Colonia miſſa, cum eo, ut Antiatibus permitteretur, ſi & ipſi adſcribi Coloni vellent, naves inde longæ abactæ, quæ partim Romæ in Navalia ſubductæ, partim incenſæ ſunt, roſtriſque earum ſuggeſtum in Foro extructum adornatum eſt, Roſtraque id templum appellatum, quæ C. Mœnius in Suggeſtu Fori adfixit. interdictum etiam mari Antiati Populo eſt, eique Civitas data: Tiburtes, Præneſtinique agro mulctati, non ſolum ob recens rebellionis commune crimen, ſed quod tædio Imperii Romani, cum Gallis arma quondam conſociaſſent; cæteris Latinis Populis connubia, commercia, & concilia inter ſe ademerunt teſtimonio Livii dicto lib. 8., Velleii Paterculi lib. 2. Plinii lib. 34. cap. 5., Lucii Flori lib. 1. cap. 11., Eutropii lib. 2., & aliorum.

Ita Latinorum Rempublicam Romani, ſuo Imperio accenſuerunt, atque hoc tempore Latini ad Lucum Ferentinæ rerum communium cauſa convocari deſierunt, quod ex Cincio, quem citat Feſtus loco ſuperius adducto conſtat; quoniam vero Cicero, qui trecentos poſt annos floruit, Latinos etiam fœderatos in Balbi defenſione appellat *eo fœdere, quod Sp. Caſſio, & Poſtumo Cominio Coſs. ictum eſt*, hinc Sigonius de Antiq. Jur. Ital. lib. 1. cap. 3. ad finem conjicit Latinam gentem ob recens meritum, vetuſtum fœdus ſecum à Caſſio ictum, recuperaſſe, quod probatur ex Livio, quem miror Sigonium præteriiſſe, is enim dec. 3. lib. 3. pluribus locis Latinos ſocios Populi Romani affirmat, & dec. 3. lib. 7. agens de Latinis militibus ad bellum Siculum miſſis, hæc ſcribit: *Cæterum tranſportari milites in Siciliam (& erat major pars Latini nominis ſociorumque) propè magni motus cauſa fuere: fremitus enim inter Latinos, ſocioſque in conciliis ortus: decimum annum delectibus, & ſtipendiis exhauſtos eſſe: quot annis fermè clade magna pugnare &c. Hæc acta in conciliis*

liis, triginta tum Coloniæ Populi Romani erant, ex jis duodecim, cum omnium Legationes Romæ eſſent, negaverunt Conſulibus eſſe, unde milites pecuniamque darent; eæ fuere Ardea, Nepete, Sutrium, Circæii, Alba, Carſeoli, Sueſſa, Sora, Setia, Cales, Narnia, Interamna, ſubditque Livius Signiam, & Norbam ex Latinis in fide ſtetiſſe; ex quibus apparet permiſſum fuiſſe Latinis eo anno, quo Conſulatum tenebant Q. Fabius Maximus V., & Q. Fulvius Flaccus IIII. ideſt DXLI. ab V. C. concilia habere, id quod poſt Latinæ gentis excidium ſolemni decreto Senatus fuerat inhibitum, & conceſſum non fuiſſet niſi fœdere antiquo recuperato. Porrò ex his puto apud Ferentinæ Lucum Latinos poſt id tempus conveniſſe, tum Latinarum feriarum cauſa, quæ uſque ad extrema Romani Imperii tempora durarunt, propter Fori celebritatem, & res eorum publicas decernendas, quamvis fatear à P. Decio Mure in poſterum Latinam gentem nomine tantum, non autem re liberam fuiſſe, populumque Romanum eorum conciliis non adfuiſſe ut prius, id quod tantum teſtatur Feſtus ubi ſupra, fœderatos enim, & ſocios Romani eos appellabant, ſed imperata eorum facere compellebant. His poſitis, ſequitur Dictatorum, Prætorum, & Præſidum nomen, & meritum ab Albanis, & Latinis in Romanos derivaſſe, ut teſtantur Dionyſius, & Livius, qui Prætorum, & Præſidum meminerunt.

Scriptum quoque reperio apud eundem Dionyſium lib. 3., Romanorum Reges aliquo Latinorum Oppido capto, exemplo Albanorum, Dictatorem Civibus præfeciſſe, qui Oppidi Præfecturam haberet: ſic Tarquinius Superbus Aruntem Tarquinium ex fratre nepotem Collatinis Dictatorem fecit, quod exemplum ſequuti Latini populi longo ævo etiam poſt Latium devictum conſueverunt ſibi Dictatorem creare; legimus namque Fidenates, Lavinienſes, Tuſculanos, Lanuvinos, quin adeo omnes penè Latinas Urbes Dictatorem feciſſe Spartiano in Adriano teſte, qui ſcribit Adrianum per Latina Oppida Dictaturam obiiſſe, quod & Cicero pro Milone probat, qui narrat Milonem ſuo tempore Dictatorem Lanuvinum factum ad prodendum Flaminem Lanuvii, atque Livius lib. 1., & Alexander ab Alexandro Genial. lib. 1. cap. 6., & lib. 4. cap. 23. confirmant. Quæ ſatis ſint ad Rempublicam Latinorum, & fœdera cum Romanis ab jis icta aſſerendum.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT IX.

De publicis Latinorum ſacris Conventibus.

DIximus de conciliis, & fœderibus Latinæ gentis, nunc de ſacris illius conventibus dicendum ſupereſt. Præter ferias Latinas in monte Albano, & Latiari, de quibus ſuperiori Capite verba fecimus, habuit Latina gens alias Ædes ſacras, in quibus quot annis omnium Urbium Præſides, & Dictatores, ſeu Prætores pro ſalute Populi Latini ſacra facere oportebat. Illud ſane Templum, ſolemne jis fertur, quod Lavinii poſitum erat, & Veneri genitrici dicatum teſte Strabone lib. 5.: *In medio harum Urbium eſt Lavinium, quod habet omnibus Latinis commune Fanum Veneris, ejus adminiſtratio à Majoribus eſt ad Ardeates propagata*; unde hujus Ædis cura ab initio Ardeatibus haud fuit commiſſa, quo vero pacto in poſterum Lavinienſes ſacrorum Veneris adminiſtrationem Ardeatibus conceſſerint, non liquet. Id Templum Æneam condidiſſe perhibent quum Lavinium conſtrueret, quod tradit Dionyſius lib. 1., ubi hæc refert: *Cæterum Æneas, poſt quam Templis, cæteriſque ornamentis id Oppidum ſatis inſtruxit, quorum pleraque ad noſtra tempora duraverunt*: ex quibus palàm eſt Æneam plura Lavinii condidiſſe Templa, & quoniam is in omnibus locis ſuæ peregrinationis Templa Veneri matri ædificaverat, ut infra dicemus, facilè eſt affirmare Lavinii, quam Urbem ſedem Imperii ſui conſtituit, matri Ædem voviſſe, prout Euſthatius in Dionyſium notat; quibus ſi addas Lavinium conditum ab Ænea Veneris vaticinio, & Deorum Penatum impulſu teſtimonio Auctoris Origin. Gent. Roman., & priſcum ritum totius Latinæ gentis in eo Templo pro communi ſalute ſtatis diebus Veneri ſacrificandi, facilè intelliges Æneam id Templum condidiſſe, quod diſertè teſtatur Plutarchus Problem. cap. 43. vel 44., qui hiſce verbis rem enucleat: *Quid eſt, quod Veneralibus, qui eſt dies Veneris feſtus, multum vini ex Templo Veneris profundunt. An illud, quod multi dicunt, Mezentium Etruſcorum Ducem ad Æneam miſiſſe, qui cum eo fœdus faceret,*

faceret, ut quot annis certum vini numerum ab eo acciperent, quod poſtea quum Æneas poſcenti negaſſet, pollicitum Tyrrhenis ferunt, ſi prælio viciſſet, vinum daturum; re cognita Æneam Diis immortalibus vinum conſecraſſe, poſt victoriam deinde collectum Templo Veneris effudiſſe &c. Hinc comperimus Veneris Ædem Æneæ ætate Lavinii manſiſſe, quippè jam Cap.7. diximus, id quod Plutarchus Æneæ ævo factum eſſe ſcribit, accidiſſe Aſcanio, ſeu ut Feſtus verb. *Oſcillum* ſcribit, Latino. Quocunque igitur tempore, Latini ſcilicet, Æneæ, vel Aſcanii is dies Veneri feſtus inſtitutus ſit, dilucidum eſt, illum Ænea vivente, aut ſtatim defuncto ſolemnem habitum: propterea ſi Veneri in Templo jam Lavinii condito vinum effuſum eſt à Latino, aut ab Ænea, vel ab Aſcanio vix patre mortuo, palàm eſt id Templum Æneæ ætate conſtructum.

Sunt qui referant quotannis Romanorum Reges, Dictatores quoque, Conſules, & Magiſtratus Romanos quo die dignitatem inibant, in hoc Templo ſacrificia Veneri obtuliſſe, nam Dionyſius lib. 1., Livius itidem lib. 1., ac Plutarchus in Romulo produnt Romulum, omneſque Reges, qui ei ſucceſſerunt Lavinii quotannis ſacrificaſſe, & Titum Tatium, qui cum Romulo regnabat, Laurentum opera, dum Lavinium ad ſacrificandum veniſſet, & ſacra cum Romulo faceret, occiſum fuiſſe. Veruntamen laudati Scriptores nomen Templi non enunciant, & palàm eſt id Templum Veſtæ ſacratum fuiſſe; quandoquidem Macrobius Saturnal.lib.3.cap.4.: *Eodem*, inquit, *nomine appellavit & Veſtam quam de numero Penatium, aut certe comitem eorum eſſe manifeſtum eſt: adeo ut, & Conſules, Prætores, ſeu Dictatores cum adeunt Magiſtratum, Lavinii rem divinam faciunt Penatibus pariter & Veſtæ*. Id ipſum affirmat Cicero lib.2. de natura Deorum, unde non Veneri, ſed Veſtæ, & Penatibus Romani Magiſtratus, Regum exemplo, Lavinii ſacra fecerunt. Etenim quamvis Livius lib. 1. de Numa loquens hæc tradat: *Virgines Veſtæ legit Alba oriundum Sacerdotium, & Genti conditoris haud alienum*, attamen manifeſtum ſit Veſtæ Numen, & ſacra, Albanos ab Ænea qui ea Lavinium tranſvexit accepiſſe, id enim teſtantur aperte Dionyſius lib.2. pag.125. & S. Auguſtinus lib. 3. de Civit. Dei cap. 18. *Sacra*, inquit, *fatalia* (Veſtæ) *quæ*

jam tres, in quibus fuerant preſſerunt Civitates, cum ab illo incendio liberare non poſſent, Metellus Pontifex ſuæ quodammodo ſalutis oblitus, irruens, ea ſemiuſtulatus abripuit, unde Rickius de prim. Italiæ Colonis cap. 12. arguit ſacra primum Ilio, Lavinium, & Albam tranſportata, proxime autem Romam.

Porrò in hoc Veſtæ Lavinati Templo erat adytum, ubi Dii magni Samothraciæ, Penates ſcilicet, & Palladium ſervabantur; hæc ſacra Dardanus in Urbe, quam condidit, & quam de ſuo nomine nuncupavit, poſuit, quæ poſtea ejus nepotes Ilio conſumto eo tranſtulerunt; Ilienſes autem Templum, & adytum ipſis in Arce fecerunt, & quum ea divinitus ſibi miſſa ducerent, quam maxima cura ſervarunt, quippè ex illis publicam ſalutem pendere credebant; at quum Urbis pars inferior oppugnaretur, ferunt Æneam, qui arcem tenebat ex adytis ſacra Penatium, & Palladium, quod adhuc ſupererat, ſecum in Italiam, & Lavinium tranſportaſſe, ut legitur apud Auctorem Origin. Gent. Roman., unde ait Varro lib. 4. de ling. Latin.: *Oppidum, quod primum conditum in Latio ſtirpis Romanæ Lavinium, nam ibi Dii Penates noſtri*. Dionyſius tamen lib. 1., Palladium in Veſtæ Templo à Virginibus cuſtoditum ſcribit, & de Penatium cuſtodia in eodem Templo nil meminit, & iterum lib. 2., & fuſius apud Aſconium Pædianum in Orationem Ciceronis pro M. Scauro. Timæus vero Græcus Scriptor memoriæ prodidit, ſimulacra Penatium Lavinii ab Ænea poſita caducea, ferrea, & ærea, vel ex Trojana teſta fictili condita fuiſſe, idque ſe cognoviſſe ait ex ipſis Civibus eodem Dionyſio lib. 1. teſte, quo loci inquit Timæum id haud teſtari potuiſſe, cum Lavinienſibus, qui ſacra non miniſtraſſent, ea videre non liceret, & Sacerdotibus ea deſcribere, aut quo habitu, qua forma eſſent, & quid in adytis contineretur, aſſerere eſſet inhibitum, inde ſubjicit: *Quæ autem mihi ipſi ſunt perſpecta, & cognita, nec ulla Religio vetat ſcribere, ſunt hæc: Templum Romæ non procul foro oſtenditur ſecundum viam, quæ ad carinas fert compendio, ſitum in loco obſcuro propter circumjecta ædificia, qui Romano vulgò Subolivis dicitur, in eo poſitæ ſunt Trojanorum Deorum imagines, cum inſcriptione* DENAS, *quæ Penates ſignificat, ſunt autem haſtati duo Juvenes habitu ſedentium, admo-*

admodum antiqui operis, alia quoque multa in antiquis Templis horum Deorum Idola conſpeximus, & in omnibus duos Juvenes militari habitu.

Hactenus Dionyſius, qui narrans miraculum, quod accidiſſe ait quum Aſcanius illorum ſimulacra in Albanum Templum tranſportare vellet, de quo cap.7. verba fecimus, aperte innuit Templum Lavinii Penatibus ab Ænea conditum, aliud ab æde Veneris, ubi is Palladium poſuit, fuiſſe. Sed ex Virgilii ſententia Veſta inter Deos Penates numeratur, is enim lib.1. Georgic. in fine hæc habet:

Di Patrii Indigetes, & Romule, Veſtaque mater,
Quæ Tuſcum Tiberim, & Romana Palatia ſervas.

& iterum lib.2. Æneid. ex perſona Hectoris ſic canit:

Sacra, ſuoſque tibi commendat Troja Penates.

& mox ſubjicit:

Sic ait, & manibus vittas, Veſtamque potentem
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Ex quibus Macrobius Saturnal. lib. 3. cap. 4. ſupra adductus putat Veſtam de numero Penatium, aut certe eorum comitem fuiſſe, quod & Lucanus lib.9. verſ.995. hiſce verſibus teſtatur:

Di cinerum Phrygias colitis quicumque ruinas
Æneæque mei, quos nunc Lavinia ſedes
Servat, & Alba lares, & quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius, nullique aſpecta virorum
Pallas in abſtruſo pignus memorabile Templo.

Ex quo deſumitur Veſtam una cum aliis Penatibus in uno, eodemque Templo Lavinii cultam. Quoniam vero alii referunt Penates, Terram, & Cœlum fuiſſe, duaſque imagines maris, & fœminæ, exhibuiſſe, licet Populus rudis Caſtorem, & Pollucem eos eſſe traderet, ut habes ex Varrone lib.4. ling. Latin.; alii dicunt Minervam, Jovem, & Mercurium Penates, quos Æneas è Troja tranſvexit, fuiſſe. Alii demum addunt Neptunum, & Apollinem quos Virgilius lib.2. Æneidos muros Trojanos extruxiſſe ſcribit, vel aliorum Numinum nomina produnt, ut videre eſt apud Macrobium loco quo ſupra, Servium ad lib.3. Æneidos, Hyginum, Citeronem lib.2. de natur. Deor., & alios, neque fas eſt oculatos teſtes antiquos adducere,

 qui

qui eorum ſimulacra in Penetralibus ipſis viderint, quod Religione vetitum eſſet eos videre, aut viſos aliis revelare; propterea non affirmo Æneam in Veſtæ Templo, quod Lavinii erat, Penatium ſimulacra poſuiſſe, & tantummodo pro certo habeo Magiſtratus Romanos, non in Veneris Templo, ſed in illo Veſtæ, & Penatium Lavinii quotannis ſacra feciſſe.

Neque dicas Veneris ædem Lavinii ab Ænea conſtructam fabuloſam fuiſſe, quod Cincius, & Varro apud Macrobium Saturnal. lib. 1. cap. 12. Veneris nomen ſub Regibus Romanis, neque Latinum, neque Græcum fuiſſe narrent, quin adeo Romulo, & ſucceſſoribus abſconditum, ut in Saliorum carminibus nulla Veneris eſſet memoria, & ab antiquis Romanis nullus dies feſtus, nullumque ſacrificium Veneri inſtitutum: quæ probant Lavinii, ubi Romulus quotannis ſacrificaſſe fertur, Veneris Ædem eo tempore haud poſitam; quippè ſi illius cultus Lavinii fuiſſet, & Templum, Romulus, qui ad Æneam & Albanorum Reges genus referebat, in Urbem recens à ſe conſtructam; facile Veneris ſacra tranſvexiſſet, ut Samuel Bochartus, & Cluverius autumant; præſertim quod Venerem Æneæ matrem feciſſe dicitur primus omnium Homerus, qui longè poſt tempora Trojani belli vixit, & Æneam, quem noſcebat vulgari matre procreatum, Veneris filium induxit, ut habes ex Rickio de Primis Ital. Colon. cap. 12. Iſtorum quippè ſomnia ſtatim intelliges, ſi conſideres eos aſſerere, non quod Latini, & Romani, ſed quod ipſi ætatibus computatis, & genealogiis relatis, ex argumentis, & conjecturis deduxerunt; enimvero conſtat Macrobium, non ea quæ ipſi ſentiunt, ſed diverſa retuliſſe; is enim plures ſententias antiquorum referens ait, Romulum primum menſem à patre ſuo Marte Martium, ſecundum Aprilem, quaſi Aphrilem à ſpuma, quam Græci Aphron vocant, unde orta Venus credebatur, appellaſſe: *Ut primum quidem menſem à patre ſuo Marte, ſecundum ab Æneæ matre Venere nominaret, & ibi* (Romani ſcilicet) *potiſſimum anni principia ſervarent, à quibus eſſet Romani nominis origo, cum hodieque in ſacris Martem patrem, Venerem genitricem vocemus.*

Hinc ſequitur non defuiſſe Romanos hiſtoricos vetuſtiſſimos, qui Veneris Numen, & nomen Romuli ætate Romæ auditum proderent,

derent, quinimmo ſi in indigitamentis, quibus nil Romæ magis antiquum, Venus genitrix dicebatur, dilucidum fit, Sacerdotes Romanos à die, quo Romulus Urbem fundavit, Venerem in ſacris invocaſſe & coluiſſe, quis enim crederet Quirites poſt Reges exactos Venerem genitricem, & ſic eorum parentem putaſſe, ſi hæc fama ex ſacris ipſis, & Pontificalibus libris, quos à Regibus habuerunt, orta non eſſet? Et quamvis Macrobius ſubdat aliorum opiniones, & præſertim illam Cincii, qui negat Romanos Aprilem à Venere dixiſſe, quod nullus dies feſtus, nullumque inſigne eo menſe, Veneri à majoribus inſtitutum eſſet, ejuſque nulla in Saliorum carminibus memoria habita; attamen indigitamenta, quorum meminit Macrobius, carminum Saliorum defectum ſupplebant. Solus itaque Varro teſtatus eſt Veneris cultum Romanis Regibus ignotum, quippè Macrobius ejus ſententiam neque probat, neque reſpuit, quin ex ejuſdem integra lectione apparet, eum de omnium fere Deorum Romanorum originibus dubitaſſe, de nominibus etiam, & varias ſemper opiniones retuliſſe, & lib. 1. cap. 21. diſertè aſſerere Romulum, & Quirites Veneri Aprilem menſem dicaſſe; unde Julius Cæſar, qui à Julo Veneris nepote genus ducere videri volebat, volens etiam indigitamentis, & famæ priſcæ adhærere, poſt victoriam Pharſalicam Veneri genitrici Templum, quod antea voverat, Romæ in Foro ſuo poſuiſſe fertur, eique ſpolia de hoſtibus dedicaſſe teſtimonio Dionyſii lib. 43., & Appiani lib. 2. de Bello Civili.

Cæterum ſive Romulus hujus Numinis cultum Romæ exhibuerit, ſive non, parum refert ad evincendum Lavinii ædem Veneris fabuloſam. Quandoquidem eum neque Fauni, neque Pici, Latini, Æneæ aut aliorum Regum, illorum etiam uxorum, & filiorum cultum, Romæ inſtituiſſe ferunt; & tamen Laurenti, Albæ, Lavinii, & in aliis proximis Latii Urbibus palàm eſt jiſdem Templa dicata, & ſacra facta fuiſſe. Præterea meminiſſe juvet, Dionyſium lib. 1. peregrinationem Æneæ deſcribentem enunciare plura Veneris Templa, quæ in omni fere Urbe, aut loco, per quem ille tranſivit, erexit. Ait enim is, Æneam ad Pallenen Thraciæ peninſulam appuliſſe, & ibi Veneri Ædem, & Oppidum à ſuo nomine condidiſſe, inde in aliam Inſulam Cythéra dictam, dein Zacynthum, & in utroque loco Veneris

neris Templa conſtruxiſſe, immo Zacynthi Curſum Æneæ & Veneris dictum inſtituiſſe, & ſimulacra dicaſſe, fundaſſe etiam Actii Veneris Æneadis ædem, & prope illam, aliam Penatium, & Ambraciæ ſimile delubrum; ſic & feciſſe teſtatur Dionyſius apud Veneris Portum, & apud Siculos, ubi ſupra Caput Elymi Aram Veneris Æneadis, & in loco, quem Ægeſtam dicunt, Templum eidem dicavit. Pauſanias quoque in Arcadicis ſeu lib.8. memoriæ prodit, Æneam dum exularet à Patria, Laconicæ, Aphrodiſium Urbem, & Templum Veneri genitrici propè Anchiſæ patris ſepulcrum condidiſſe, quod Templum Lacones Veneris Aphroditis nuncuparunt: quo fortaſſe exemplo, ſimile apud Ardeam, & Laurentum eum conſtruxiſſe referunt Solinus & alii infra nominandi. Ex quibus ni fallor, quantum convincendo errori ſatis eſt, conſtat Cluverium, Bochartum, Rickium eruditiſſimos viros temere planè à communi receſſiſſe ſententia, & in re tam veteri antiquorum fama poſthabita, potius dialecticis argumentis adhæſiſſe.

Simile etiam Templum Æneas inter Ardeam, & Laurentum condidit, ubi ſimulacrum quod ſecum è Sicilia adduxerat, Veneri matri dedicavit, quod ex Caſſio Hemina Solinus de Italia, & ejus laudibus cap. 8. hauſit: en verba Solini: *Nec omiſſum ſit Æneam æſtate ab Ilio capto ſecunda Italicis litoribus appulſum, ut Hemina tradit, ſociis non amplius ſexcentis in agro Laurenti poſuiſse Caſtra, ubi dum ſimulacrum, quod ſecum ex Sicilia advexerat dedicat Veneri matri, quæ Frutis dicitur, à Diomede Palladium ſuſcipit, tribuſque mox annis cum Latino regnat*. In aliis vero exemplaribus legitur id ſimulacrum Veneri Aphroditi ab Ænea dicatum, quæ lectio verior eſt; quandoquidem Plinius Natural. hiſtor. lib. 3. cap. 4., vel cap.9. referens Latinorum priſcorum Urbes, & loca: *Oppidum*, inquit, *Laurentum, Lucus Jovis Indigetis, amnis Numicius, Ardea à Danae Perſei matre condita, dein quondam Aphrodiſium, Antium Colonia*, ex quibus patet Aphrodiſium inter Antium, & Ardeam à Plinio poſitum, Templum ſcilicet Veneri Aphroditi dicatum, ut Commentatores Plinii, & præſertim Harduinus ibidem, & Ligorius in MSS.Otthobonianis verbo *Aphrodiſium* affirmant. Ejuſdem etiam ædis Veneris Aphroditis meminit Pomponius Mela de

Sit.

Sit. Orb. lib. 2. cap. 4., quem locum Ligorius ſupra adductus putat eundem eſſe, quem nunc vulgo *la Foſsa* appellant, Cluverius autem Ital. Antiq. lib. 3. ait id Templum propè S. Anaſtaſiæ Fanum poſitum tribus mille paſſibus ab Antio diſtaſſe.

Quamobrem reprehendi meretur Panvinius, qui in libro de Colon. Roman. colon. 14. ad finem, Antium antiquis Aphrodiſium dictum fuiſſe autumat, is enim Plinio non benè intellecto, arbitratus eſt eum, Antium quondam Aphrodiſium vocitatum ſcripſiſſe, quum manifeſto conſtet Plinium Antium poſt Aphrodiſium poſuiſſe, & quondam Aphrodiſium id Templum vocaſſe, quod ætate ſua fortaſſe hæc ædes obruta eſſet, vel tali nomine non appellaretur, ut Harduinus ejuſdem Commentator probat, Cluverius etiam lib. 3. & teſtatur Pomponius Mela loco quo ſupra, ubi Antium ab Aphrodiſio diſtinguit.

Id Templum Latinis commune fuiſſe comperimus ex Strabone lib. 5.: *Et ſupra id* (Laurentum ſcilicet) *Ardea Rutulorum Colonia LXX. à mari ſtadiis, propè eſt Fanum Veneris, ad quod Latini ſolemnem agitant conventum, ea loca ſunt à Samnitibus vaſtata, & nunc rudera Urbium reſtant*; Græcum vero textum Α'φροδίσιον alii Interpretes ita vertunt: *Prope hanc* (Ardeam ſcilicet) *eſt etiam Aphrodiſium, ad quod Latini ſolemnem agitant conventum*; quare habes ex Strabone in hanc ædem ſtatis anni diebus conveniſſe Latinarum Urbium Præſides, ac Veneri, cui ſimulacrum Æneas ipſe dicaverat, ſacrificaſſe; tanta erat in Latio opinio ſacrorum, quæ Æneas inſtituerat. Nec eſt quod aliquis contra hæc objiciat Strabonem referre ſuo ævo id Templum à Latinis ſolemni peracto ſacrificio frequentatum fuiſſe, & Plinium ſcribere illud everſum, ut indicat illa vox *quondam Aphrodiſium* qua is utitur, unde conjici poſſet, aut Plinium, aut Strabonem de alia æde loqui, præſertim quod Strabo vix ſexaginta annis ante Plinium ſcripſerit, & veroſimile haud eſt, Templum adeo venerabile ab Ænea conditum, in quo ſimulacrum Veneris poſuerat, & Latini ſolemnes agebant quotannis ferias, Plinii ætate penitus obrutum, quum conſtet Latinos Templa à priſcis Latii Regibus, conſtructa, ab Ænea proprie, ſacroſancta putaſſe, & carie obſita, à temporis edacitate ſervaſſe, ne ruinis ipſis religioſi, & antiqui

qui ritus obruerentur; enimvero de eodem Templo Plinium, & Strabonem loqui palàm eſt, unde potius arbitror mendum ineſſe Straboni, is enim teſtatur ea loca à Samnitibus vaſtata, & ætate ſua ſola rudera Urbium apparuiſſe. Facile igitur, immo Straboni magis conſentaneum eſt, hanc ædem tum exciſam jacuiſſe, & loco *agitant*, quo exemplaria Græca Strabonis utuntur, vertendum eſſe *agitabant*, quod idem Strabo, poſt quam retulit Laurentum, Ardeam, & Aphrodiſium, ait: *Ea loca* (& ſic quæ dixerat) *ſunt à Samnitibus vaſtata & nunc rudera Urbium reſtant*.

Hinc nota dignus eſt Ligorius, qui in MSS. Otthobonianis verbo *Aphrodiſium*, Venerem Aphroditem aliam à Venere matre Æneæ facit ex Apollodoro in Theogonia, qui prodere videtur Venerem, quam antiqui natam è ſpuma maris, & à Saturni genitalibus in mare projectis jactabant, & Aphroditem hac de re appellabant, matrem Cupidinis fuiſſe, Venerem vero Æneæ parentem, genitricem à Cæſare Dictatore, & Auguſto dictam teſtimonio Auctoris, qui ſub nomine Meſſallæ Corvini librum ſcripſit de laudibus Juliæ gentis; quandoquidem puto Ligorium temerè judicaſſe, nam Lactantius de Falſa Religione lib. 1. cap. 17. eandem Venerem è diverſo virorum ſemine plures generaſſe commemorat; ita quippè ait: *Quid loquar obſcœnitatem Veneris omnium libidinibus proſtitutæ, non Deorum tantum, ſed & hominum. Hæc enim ex famoſo Martis ſtupro genuit Harmoniam, ex Mercurio Hermaphroditum qui eſt natus Androgynus, ex Jove Cupidinem, ex Anchiſe Æneam, ex Bute Erycen, ex Adone quidem nullum potuit, quæ prima (ut hiſtoria ſacra continetur) artem meretriciam inſtituit, auctorque mulieribus in Cypro fuit, ut vulgò corpore queſtum facerent, quod idcirco imperavit, ne ſola præter alias mulieres impudica, & virorum appetens videretur*. Hæc Lactantius, qui ex Gentilium ſacra hiſtoria ea ſe hauſiſſe teſtatur. Me tamen haud latet, pleroſque, neque hanc Genealogiam retexuiſſe, Ciceronem præſertim qui lib. 3. de Natura Deorum, quatuor prodit Veneres, primam Cœlo, & Die natam, cujus in Elide Delubrum videbatur; ſecundam ſpuma maris procreatam, ex qua, & Mercurio Cupidinem prognatum ferebant; tertiam Jove natam, quæ Vulcano nupſerat; quartam vero

vero Syriam, Syroque conceptam; ſive igitur Lactantii, aut Ciceronis ſententiam admittas, Latinorum & Romanorum opinionem probabis; quippè dilucidum eſt, eos Æneam, Veneris ex Anchiſe filium putaſſe, & ejus quæ ex Mercurio Cupidinem genuit, & quam ipſe Cicero è ſpuma maris procreatam ſcribit, & Aphroditem vocat: quinimmo, ut Latini palàm id oſtenderent Templum inter Antium, & Ardeam poſitum Veneri Aphroditi ab Ænea matri dicatum indicabant: & Romani, quin & ipſi Proceres Juliæ Gentis, qui, ut diximus, ad Æneam genus referebant, in nummo antiquo apud Roſinum Antiquit. Roman. lib. 2. cap. 10. pag. 176. excuſerunt Mercurium deducentem Venerem ad Anchiſem in Ida monte decumbentem, ut cum eo congrederetur: quæ Venus eadem eſt, ac illa, quam Cicero è ſpuma maris ortam teſtatur, Aphroditem dictam, & cui Æneas ipſe in exilio, Laconicæ Urbem, & Ædem talis nominis condidiſſe fertur teſte Pauſania ſuperius relato; quod probat hanc fuiſſe ſententiam antiquorum Templis etiam hoc nomine erectis aſſertam.

Aliud commune Latinis, Romaniſque Templum dicitur illud Junonis Soſpitæ Lanuvinæ, ubi & Conſules Romanos qui Magiſtratum adibant, & Latinos quotannis ſacra facere neceſſe erat, ut habes ex Livio lib.8.: *Lanuvinis Civitas data, ſacraq; ſua reddita cum eo, ut ædes Lucuſq; Junonis Soſpitæ communis Lanuvinis Municipibus cum Populo Romano eſſet*: & ex Cicerone in fine orationis pro L. Muræna: *Date*, inquit, *hoc ipſius pudori, date patri mortuo, date generi, & familiæ, date etiam Lanuvio Municipio honeſtiſſimo, quod in hac tota cauſa frequens, mœſtumque vidiſtis: nolite à ſacris patriis Junonis Soſpitæ, cui omnes Conſules facere neceſſe eſt, domeſticum, & ſuum Conſulem potiſſimum auellere*; ex quibus conſtat Ciceronem ſacra Junonis Soſpitæ, patria vocare, & Livium communia Populo Romano ea facta aſſerere, quod Romano, & omnibus Latinis Populis eſſent communia, ut Commentatores Livii, & Ciceronis ibidem affirmant.

Id Templum, cum Urbs conſtrueretur, conditum perhibent à Diomede uno ex Æneæ ſociis, cui, Solino cap.8.teſte, cura Palladii in peregrinatione ab eodem Ænea data eſt, quod etiam teſtatur Appia-

N nus

nus Civil. Bellor. lib. 2. qui de Milone loquens: *Ægrè*, inquit, *id ferens Milo, profectus eſt in patriam ſuam Lavinium, quam primam fertur Diomedes poſt captum Ilium in Italia condidiſſe Urbem*: ubi tamen loco *Lavinium*, *Lanuvium* legendum eſt cum Cluverio Ital. Antiq. lib. 3., & Fuſco commentatore Catulli Epigramm. 40., & cæteris. Alii narrant Oppidum, & Templum à Curetibus antiquiſſimis Latii accolis ædificatum ex Caſella de Antiq. Ital. Colon. pag. 40. quo autem auctore non liquet; Ælianus autem Prænestinus hiſtor. Animal. lib. 11. cap. 16. putat hanc ædem Junoni Argolicæ ſacram fuiſſe, quo poſito dicendum foret, eam à Pelaſgis primis, aut ſaltem vetuſtiſſimis Latii accolis conditam, nam ab Argo ex Peloponneſo profectos fuiſſe primos Pelaſgos, qui primum in Theſſalia, mox vero in Aſiæ proximis litoribus, ac tandem in Latio habitarunt, habes ex cap. 1., & ex Cluverio lib. 3. Porrò intelliges id Templum, quicumque illud conſtruxerit, ſummæ religionis fuiſſe Latinis Romaniſque, quod ſimulacrum Junonis antiquiſſimi operis ibi eſſet, & propè ædem Lucus Numini ſacer magnus, & opacus, ubi antrum amplum, & pro fundum viſebatur, in quo erat cubile Draconis, quem Deæ cuſtodem prodebant: huic ferunt quotannis Sacerdotes ſtatis diebus Virginem devoviſſe, quam Numini ſacram putabant, quod Draco eam devoraſſet, uti patet ex Æliano loco quo ſupra, & Propertio lib. 4. Eleg. 8. & aliis; at quoniam plura de hoc Templo dicenda ſuperſunt, neque hunc, ſed alium librum pro Lanuvinis deſignavimus, illum conſule.

Ferunt etiam Templum Circes in Circæjenſi Colonia Albanis, Latinæque genti commune, & ad illud Latinos omnes diebus Circi ſacris quotannis conveniſſe, quin teſte Euſtathio in Dionyſium lib. 1. & 2., quem refert Tomaſinus de Donar. cap. 2., uti in monte Albano in Luco Ferentinæ, & in æde Jovis Latialis, Præſides Latinarum Urbium, Latiumque omne ſolemnes ferias, & conventus agitabant; ſic in honorem Circes ea gens ſacra & ferias, Latinis tantummodo communes, feciſſe dicitur; fuit ſanè hæc ædes tum ob Donaria, quum ob memoriam rerum à Circe geſtarum, & Antenoris ſepulcri, ac Ulyſſis remi, & poculi, quod Sacerdotes ſervabant, rudique populo oſtendebant, Latio, & Græcis venerabilis, ut ſuo loco fuſius exponemus.

Tuſcu-

Digitized by Google

Tuſculi in ſuburbano quodam agri Colle, quem *Cornè* appellabant, fortaſſe quod ibi Corni Populi Latii, quos cap.2. memoravimus, eſſent, Templum Dianæ, & Lucum, veluti arte, tonſili coma fagei nemoris, antiqua Religione Deæ à Latinis Populis ſacratum fuiſſe comperimus, ubi fama eſt priſcos Latinos pro ſalute publica quotannis ſacrificaſſe teſte Plinio lib.16. cap.44.. In hoc Luco Ilex erat nobilis, triginta quatuor pedum ambitu Caudicis, decem arbores mittens, ſingulas magnitudinis viſendæ, ſolaque ſilvam faciebat, necnon alia & ipſa arbor eximia quam adamaſſe ajunt Paſſianum Criſpum bis Conſulem, Oratorem, Privignum Neronis, & Virum Agrippinæ, cujus meminit Tacitus lib.6. Annal., & Suetonius in Nerone cap.6.. Hic fertur hanc arborem oſculari, complectique ſolitus, modo cubare ſub ea, vinumque illi affundere & ferè ſacrificia offerre ex eodem Plinio.

Fanum & erat apud Faliſcos ſub Soracte monte, vel ut alii produnt apud Eretum, Feroniæ Deæ dicatum, quod Sabinis æque, ac Latinis ſumma religione colebatur, eo ſtatis diebus è Sabinis, & Latinis Urbibus conveniebant, alii votiva Deæ reddituri ſacrificia, alii negotiaturi propter celebritatem, Mercatores, Opificeſque, & Agricolæ, quod forum ibi eſſet totius Italiæ ſplendidiſſimum teſtimonio Dionyſii lib. 3. pag. 173. Propè Fanum Lucus erat Numini ſacer ex Strabone lib.5., in quo ſacrificium perpetrabant mirabile: *Correpti enim ejus Numinis afflatu homines, nudis pedibus prunarum ardentium ſtruem illæſi perambulabant, & quotannis eo turba hominum, quum ſolemnis conventus, tùm ſpectaculi ejus cauſa confluebat*, ut Strabo ait; commune autem id Templum, & Lucum perhibent, quod Lacones, qui Lycurgi ætate profugi ad Pometinos Latii agros appulerant, Feroniam eum locum appellaverint, & ibi Feroniæ ædem, cui vota fecerant, condiderint, & ſacra primum inſtituerint, quæ quum à Laconibus ipſis, qui ea antiqui Latii loca incolebant, in Sabinos fuiſſent tranſportata, & in ſitum, ubi Feroniæ ædem, Lucum, & Urbem ſub Soracte Strabo extitiſſe ſcribit, hinc factum eſſe narrant eam ædem, & Feroniæ ſacra Latinis, à quibus orta erant, & Sabinis communia fuiſse, ut videre eſt apud eundem Dionyſium lib.2. pag.113., & Commentatores ejuſdem, de qua tamen æde

Feroniæ in Latio, plura dicenda proponimus cum Setinorum ædes ſacras exponemus.

Sic & in Evandri Templo Romæ poſito ad Trigeminam in Colle Aventino, commune ſacrum Latinis, Romaniſque quotannis fieri conſuevisſe ſcribit Alexander Genial. dier. lib.4. cap.16., à quo tamen id acceperit, mihi non conſtat; quippè Livius hujus ſacrificii non meminit, & Dionyſius lib.1. eo loci Romanos Evandro quemadmodum cæteris Heroibus, ac Dæmonibus ſacra feciſse ſcribit, uti etiam Roſinus Antiquit. lib. 2. cap. 17., & Gyraldus de Diis Gent. Syntagm.15.. De Dianæ Templo condito in eodem Aventino monte, & Feriis pro Latino nomine à Tullio Romanorum Rege inſtitutis, ſatis ſcriptum eſt ſuperiori Capite.

Reſtat itaque de Templo Veneris Equeſtris Albæ conſtructo dicendum; Ligorius enim in MSS. Otthobonianis verbo *Venus*, id Templum ab Aſcanio, quum conderet Albam, dicatum aſserit, & in eo poſitum ſimulacrum Veneris Equeſtris, quod Æneas ipſe matri Lavinii devoverat, nam ſtatim ac is appulit ad Laurenti litus, equitaſse fertur, & ea de cauſa Veneri cognomento Equeſtri ſacra feciſse, quod Templum quotannis à Latinis frequentatum, ibique ſacra facta Ligorius ſcribit; quia tamen haud eſt apud antiquos ulla hujus Ædis, & ſacri mentio, ſatis ſit Ligorii ſententiam retuliſse. Hæc igitur ſunt Templa, ad quæ ſolemnem Latina gens ſtatis anni diebus agitabat conventum.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT X.

De Latinorum Legibus.

SAturnus fertur primum Aboriginibus rudibus, agreſtibuſque leges dediſſe teſtimonio Virgilii lib. 8. Æneidos qui ſic canit:

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,
Is genus indocile, & diſperſum montibus altis
Compoſuit, legeſque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris.

Ejus ſententiam laudat Servius eo loci, & Auctor Origin. Gent. Roman.. Alii vero perhibent Janum legibus Aborigines continuiſſe ex Macrobio Saturnal. lib. 1. cap. 7. & cap. 9., & Plutarcho Problemat. cap. 40., quæ tamen incerta, & dubia ſunt. Secundus, qui Latinis leges dictaverit dicitur Evander; is enim Cacum ſeruum qui Herculis, quem alii Recaranum vocant, boves ſubripuerat, noxæ dedit, quo exemplo familiarem ſuum furti pœna plectens, noxalis actionis Auctor factus eſt, ſi credimus Scriptori Origin. Gent. Roman.. Tertius narratur Hercules, qui Evandri hoſpes, decimam fructuum à Latinis, Regibus præſtari ſolitam, Diis offerendam eſſe edixit, & ea de cauſa Latini, & Romani ei decimam profanari ſtatuerunt, putantes Auctorem ejus legis, cæteris Diis, decimâ, quam ipſe religioſam fecerat, digniorem. Decrevit etiam ne cui fœminæ fas eſſet veſci eo quod Aræ Maximæ inventori Patri (Saturno ſcilicet) dicatæ, ſacratum eſſet, quod Carmenta mater Evandri invitata ad id ſacrum non adfuiſſet, ut teſtis eſt idem Auctor Origin. Gent. Roman. qui ex Caſſio id hauſit, de quo tamen conſule lib. 2., ubi de Templo Saturni Setinorum verba faciam. Hæ ſunt leges, quas prius quam Æneas Latium tenuiſſet promulgatas affirmant. Albanos autem Reges ſequentes leges condidiſſe ajunt.

Quandoquidem Aſcanius, ne ferret injuſtas pacis conditiones, quas Mezentius Etruſcorum Rex obtulerat, palàm edixit omnium Vinetorum fructum Jovi ſacrum eſſe, ut Cap. 6. dictum eſt. Com-

pertum

Digitized by Google

pertum quoque eſt ejuſdem ætate, ſive lege, ſive moribus ſervatum, eos, quibus crimen objiceretur, publicæ purgationi exponere: quippè, ut eodem Cap.6. narravimus quum Aſcanius ob Laviniæ fugam ejus necis diffamatus eſſet, in concione jurejurando affirmavit ſe Laviniam nec interemiſſe, neque ſcire ubi eſſet, unde habes quanta tùm eſſet jurisjurandi religio, & quam priſca ſit hujuſmodi purgationis conſuetudo. Auctor Origin.Gent.Roman. ex Valerio Antiate lib. 1. Annalium hæc ſcribit: *Silvius Procas Rex Albanorum duos filios Numitorem, & Amulium æquis partibus hæredes inſtituit; tum Amulius in una parte Regnum tantummodo, in altera totius patrimonii ſummam, atque omnem paternarum rerum ſubſtantiam poſuit, fratrique Numitori, qui natu major erat optionem dedit, ut ex his utrum mallet eligeret; Numitor cum privatum omne, cum facultatibus Regno prætuliſſet, Amulius Regnum obtinuit.* Hoc & Plutarchus in Romulo affirmat, quamvis Sextus Aurelius Victor, ſive is, qui eſt Auctor libri de Viris Illuſtribus, in Proca cap. 1., prodat Procam Amulio, & Numitori Regnum annuis vicibus adminiſtrandum reliquiſſe. Ex his eruitur plures leges Albæ ea ætate ſervatas; nam his poſitis poterat pater primogenito excluſo, filiis, quibus mallet, Regnum, & bona relinquere; quinimmo etiam pluribus, annuiſque vicibus jus adminiſtrandi alteri dare, quod indicat Antiquis Latinis, Romaniſque primogenituras haud familiares fuiſſe; poterat etiam minor frater ex his, qui hæredes ſcripti erant, portiones facere, & major ætate eligere. Scriptum etiam invenio apud Dionyſium lib. 1., fœminas neque à ſucceſſione Regni in Latio excluſas, nullumque inter jura cognationis, & agnationis fuiſſe diſcrimen, ut exemplum Laviniæ, & Silvii ejus filii relatum dicto Cap. 6. probat.

Priſca quoque lege cautum ferunt in Latio, eum, qui taurum necare tentaſſet, capite damnari ut auctor eſt Varro de Re Ruſtic. lib. 2. cap. 4., idque factum eſſe ſcribit Athenæus Deipnoſoph lib. 9. quod quum oves deeſſent, lata lex erat, ut ab illis animantibus etiam in ſacrificiis abſtinerent; creſcentibus autem ovibus temperata ſeveritate decreti, permiſſum eſt ſacrorum cauſa oves mactare, ſed non fœminas, dein etiam ad victum, & fœminas, dum tamen ovis aut

inton-

intonſa, aut prius quam peperiſſet non mactaretur, quare Palladis Sacerdos nunquam fœminam, aut agnam Numini immolare conſuevit ex eodem Athenæo. Vetuſtiſſimam etiam dicimus fuiſſe in Latio legem, qua præſcriptum erat, ne mulieres per itinera ambulantes fuſos torquerent, aut omnino detectos ferrent, quoniam id omnium ſpei, præcipueque frugum proventui adverſari putabatur teſte Plinio lib. 27. cap. 2. Itidem & illam, quæ cogebat mulieres in adulterio deprehenſas in publicum toga indutas prodire ut videre eſt apud Martialem lib. 2. Epigramm. 39. de muneribus Mæchæ, ſed magis vetuſtum affirmamus edictum quo vetitum erat mulieribus Latinis vinum bibere; ejus quippè legis imperio Faunus Latinorum Rex virgis myrthæis Faunam uxorem, aut ſororem, ut alii ſcribunt, uſque ad mortem cæcidit, quod contra morem, decuſque Regium clam vini ollam ebiberat, ut ex Clodio refert Aulus Gellius Noct. Atticarum lib. 10. cap. 23. & diximus cap. 4.. Et quidem à Fauni ævo ad Romam conditam ſcimus hanc legem ſervatam, nam in Romuli legibus ita ſcriptum eſt. *Si vinum biberit, domi ut adulteram puniunto*, quin adeo cum Egnatius Micennius uxorem, quod vinum bibiſſet è dolio, interfeciſſet, Romulus eum cædis abſolvit teſtimonio Dionyſii lib. 3., Plinii lib. 14. cap. 13., quod probat Romulum id ſtatuiſſe exemplo Albanorum, & Latinorum, quibus adhuc ea lex imperitabat.

Ex concione à Fufetio Albanorum Dictatore habita, qua Tullum Hoſtilium is laceſſiſſe fertur, hæc habes apud Dionyſ. lib. 3.: *Albanorum genus, quale olim ſub Urbis conditoribus fuit, tale uſq; ad noſtra tempora permanſit, nec ulla oſtendi hominum natio poteſt præter Græcos, & Latinos, quæ jus Civitatis apud nos adepta ſit, at vos exquiſitum Reipublicæ genus apud vos corrupiſtis, Etruſcis, & Sabinis in eam receptis, aliiſque multis Barbaris ſine lare vagantibus, ita ut germani generis noſtri exiguus apud vos ſit numerus, multipliciter ſuperantibus exteris, & adſcititiis. Itaque ſi vobis Principatum ceſſerimus, germanis præerunt ſuppoſititii, Græcanicis Barbari, Indigenis adſcititii, non enim poteſtis dicere, quod advenarum turba excluſa ab adminiſtratione Reipublicæ, ipſi Indigenæ retinueritis Civitatis gubernacula, immo etiam Reges creatis peregrinos, & Senatus major*

major pars conſtat ex advenis; poſtrema ratio eſt, quod in Albana Civitate nulla Civium pars in Reipublicæ forma quidquam mutat, ſed jam per octodecim ætates, ex quo condita eſt Urbs, patrias conſuetudines omnes decenter obſervat. Ex hiſce verbis à Fufetio dictis conſtat Albanis lege vetitum fugitivos, exuleſque in corpus ſuum, & Civitatem recipere, & ſponſalia cum jiſdem contrahere, aut connubia inire; propterea Plutarchus in Romulo memoriæ prodit raptum mulierum à Romanis, non ex libidine, ſed neceſſariò factum, quod cum Latinis,& Sabinis matrimonium contrahere eis eſſet prohibitum; inſtitutum & Albæ,ac in toto Latio narrant,licere parentibus pecuniis filiorum, & corporibus facere quod lubebat, idcirco nullæ filiis poſſeſſiones propriæ vivis parentibus erant ex eodem Dionyſio lib. 8., qui ſubiicit, neque in Latio ob filiorum crimen, tametſi atrociſſimum licuiſſe parentibus fortunas ſuas adimere, atque ob parentum delictum, cujuſmodi illud eſſet filios inſontes damnare, aut honoribus ſpoliare; ſacra quoque lege præſcriptum erat Lavinii, & dein Albæ, ut Veſtalis Virgo, quæ corpus ſuum polluiſſet, virgis cæſa una cum viatore moreretur, & omne ex illa natum in flumen dejiceretur, cujus legis imperio ſcimus Amulium Albanorum Regem, Rheam Silviam Veſtalem, quam Romuli, Remique matrem faciunt, & prolem ab ea ſuſceptam damnaſſe ex Dionyſio lib. 1. ad finem & lib. 2., Plutarcho in Romulo, & in Numa, Livio lib. 1., & Petro Marſo in lib. 2. Faſtor. Ovidii ad illud:

Silvia Veſtalis celeſtia ſemina partu.

Feſtus itidem verbo *Armata*, vetuſtiſſimæ Laurentium legis hiſce verbis meminit: *Armata dicebatur Virgo ſacrificans, cui Lacinia togæ in humerum erat rejecta: Legibus etiam Laurentium ſancitum eſt, ne pomum ex alieno legatur in Armum, id eſt quod humeri onus ſit*. Hac quippè lege fructus alieni agri ſubripere, & decerpere, quorum tantum eſset onus, ut humeris eos gerere oporteret, erat vetitum; armos enim vocabant humerorum cum brachiis commiſſuram, & ſic ipſos humeros, unde arma propriè dicta ſunt, quod armos, ideſt humeros tegerent ex Servio ad Virgilium lib. 10. Æneidos, Iſidoro Etymologiar. lib. ult. cap. 5., armatam quoque nuncupabant Veſtalem Virginem ſacrificantem, cui Lacinia togæ in humerum erat reje-

rejectà; ut Feſtus ait, unde in veteribus nummis viſitur ſepè hoc habitu ſacrificans maxima Virgo lacinia togæ pone rejecta, & diſco libatorio vinum invergens, ut commentatores Feſti teſtantur. Apud Aricinos edicto præſcriptum erat, ne in Lucum Dianæ & Virbio dicatum equis daretur aditus,cujus rei teſtimonium profert Petrus Marſus ad lib. 3. Faſtor. Ovidii; quod Hippolytus, quem Dianæ ſimulacrum eo in Luco poſuiſſe, & cultum Ariciam invexiſſe ferebant, diſcerptus equis, & ab Eſculapio ſanatus, equos abominaretur, ex Lactantio de Falſa Religione lib. 1. cap. 18.. Sic Tiburtes palàm decreviſſe comperimus, hoſpitalitatis jura intacta ſemper ſervare, unde apud eos neque hoſpitem ſuſpectum jurejurando affirmare, neque quem ſemèl hoſpitalitatis vinculo devinxiſſent, accuſare permiſſum erat, quod patet ex Virgilio lib. 9. Æneidos ſic canente:

Euryalus phaleras Ramnetis, & aurea bullis
Cingula, Tiburti Remulo ditiſſimus olim
Quæ mittit dona hoſpitio, cum jungeret abſens
Cædicus ille ſuo moriens dat habere nepoti.

& Servio. Veliterni Octavio quodam eorum Cive, à quo Octavia gens prognata eſt, è prælio redeunte, profligatis hoſtibus, quibus ut occurreret Marti ſacrificans ſemicruda exta rapta foco diſsecuit, ſanxerunt in poſterum in hunc modum exta Marti reddi, reliquiaſque ad Octavios referri, ſi credimus Suetonio in Octavio Cæſare.

Porrò & nuptiales leges Latinis antiquiſſimæ fuere; quippè Servius Sulpicius, & Neratius Juris Conſulti teſte Aulo Gellio Noct. Atticar. lib. 4. cap. 4. docent Nuptias in Latio ita contrahi conſueviſſe: *Qui uxorem* (ait Gellius) *ducturus erat, ab eo unde ducenda erat ſtipulabatur eam in matrimonium ductum iri, qui daturus erat, itidem ſpondebat daturum, is contractus ſtipulationum, ſponſionumque dicebatur ſponſalia, tùm quæ promiſſa erat ſponſa appellabatur, qui ſpoponderat daturum, ſponſus. Sed ſi poſt eas ſtipulationes uxor non dabatur, aut non ducebatur, qui ſtipulabatur, ex ſponſu agebat, Judices cognoſcebant, quærebantque quamobrem data, acceptave non eſſet uxor, ſi nihil juſtæ cauſæ videbatur, litem pecunia æſtimabant, quantique interfuerat eam uxorem accipi, aut dari eum, qui ſpoponderat, aut qui ſtipulatus erat, condemnabant*: hæc Gellius, unde

O habe-

habetur ſponſalium nomen, & originem à Latinis priſcis in Romanos derivaſſe, & ſine hac formula à lege præſcripta ritè hunc contractum in Latio haud celebratum. Prius quam Numa imperaſſet Veſtalibus, ut innuptæ permanerent, Albæ, & Lavinii lege Pontificum diſpoſitum erat, ut puellæ Veſtæ ſacratæ non minus quinquennio puræ à nuptiis manerent teſtimonio Dionyſii lib. 1.

Verumtamen, an in Latio inter cognatos nuptiæ juſtæ eſſent, non liquet; quandoquidem apud Dionyſium lib. 1. & 2., & Auctorem Origin. Gent. Roman. legimus Amatam Latini Regis uxorem eum accuſaſſe, quod omiſſo Turno conſobrino Laviniæ exterum ſibi adſciviſſet generum; Venilia enim mater Turni, & Amata Laviniæ mater, ſorores erant, ſi fides præſtanda eſt Servio ad lib. 2. Æneidos ad illud;

Quid conſanguinei Rutuli . . . . .

quo fit, injuriæ in Latio adſcriptum, cognatis extraneos præferre. Hinc Romanæ Reipublicæ initio Servius Tullius Rex duas filias in matrimonium dedit fratribus matris earum, ut refert Dionyſius lib. 4., & Spurius Liguſtinus Cruſtuminæ tribus uxorem filiam fratris patris ſui duxit ex Livio lib. 2. dec. 5., id quod indicat nulla lege tales nuptias vetitas fuiſſe, quod & Juliani, & Conſtantii edictum in l. 1. Cod. Theodoſian. de inceſt. nupt. confirmare videtur; ii enim uxorem fratris ducere, vel cum ſorore mortuæ uxoris nuptias contrahere prohibuerunt, & inceſtas in poſterum tales nuptias promulgarunt, unde conſtat nova lege opus fuiſſe, ut nuptiæ, quæ ab antiquo ritè factæ dicebantur, irritarentur, quinimmo ſunt qui ferant, Tuſculi, Privignos ducere novercas conſueviſſe, & jis, qui viros interfeciſſent, eorum viduas deſponſare licuiſſe, quod Thelegonus Tuſculanorum parens Penelopem uxorem Ulyſſis ſui patris, & ſic novercam, eo trucidato, duxiſſet, ut ex Hygini fabul. 127. conjiciunt ibidem Commentatores.

Plutarchus autem Problemat. cap. 108. apud antiquos tales nuptias ſemper injuſtas fuiſſe commemorat hiſce verbis: *Quid eſt, quod propinquis, & cognatis non nubunt? an quod nuptiis neceſſitudines augeri volunt, & ultro citroque filios dando, & accipiendo, multos ſibi propinquos adjungere? An quod cognatorum diſſidia*

inter

inter ſe verentur, quibus naturæ jura cum propinquitate tollantur? An quod mulieres propter imbecillitatem, multorum ope, & auxilio egentes, propinquis idcirco adjungere noluerunt, ut ſi qua à ſuis viris injuria afficerentur, cognati opem ferrent? Et cum Claudius uxorem duxiſſet Agrippinam germani fratris ſui filiam, poſtulavit Senatus Conſultum, quo juſtæ inter patruos, fratrumque filias nuptiæ in poſterum ſtatuerentur, quum ad id tempus matrimonia hujuſmodi inceſta haberentur teſtimonio Suetonii in Claudio cap. 27., & Taciti lib. 12. Annal., quam legem ſcimus Neronem, qui Claudio ſucceſſit exemplo abrogaſſe ex eodem Tacito lib. 16., & Nervam edicto ſuſtuliſſe, ut auctor eſt Dion Nicæus in ejus vita, qui tamen ſcribit, hunc primum id vetuiſſe. Ego vero arbitror priſcis Latinis eas nuptias juſtas fuiſſe teſte Tiraquello ad leges Connubiales gloſs. 1. par. 7. num. 44.; nam præter jam enunciata exempla, Plutarchus ipſe Problem. cap. 6. ad finem id innuere videtur his verbis: *Superioribus enim temporibus, quæ ſe aliqua neceſſitudine attigiſſent, uxores non ducebant, quemadmodum ne nunc quidem ſorores, ſed non ita pridem factum eſt, ut neptes uxores ducere permitterent: vir quidem ſanè pauper, cæterum bonus, & in primis popularibus acceptus, quum neptem, cui dos ampla eſſet relicta in matrimonium accepiſſet, locuples ex eo, & copioſus factus eſt: ejus rei accuſatus, judicio multitudinis abſolutus eſt; plebiſcitum deinde factum, ut in ducendis uxoribus ad nepotes uſque aſcendere liceret, ſuperior enim neceſſitudo probiberetur*: ex quibus apparet nova lege in Romana Republica id vetitum, antiquiſque permiſſum. Inter aſcendentes, & deſcendentes ſatis conſtat nuptias ſemper in Latio irritas fuiſſe ex Ovidio in Epiſtola Paridis ad Helenam:

O Jove digna viro, ni Jove nata fores.

ubi Commentatores fuſius id ipſum probant.

Palàm quoque fit apud Latinos, mulieres abſentes ritè nuptias non contraxiſſe, nam quamvis Vir abſens per Procuratorem ſtipulari potuiſſet, fœmina tamen nequaquam, ſi credimus Feſto de verbor. ſignific. lib. 3., & Paulo J. C. lib. 2. Inſtit. tit. 20. de Nupt. Matrimonia autem inire tribus modis licebat, uſu ſcilicet, farreatione, & coemptione. Uſu contrahebantur, id eſt longa conſuetudine, & cohabitatio-

bitatione; ſi enim mulier domi fuiſſet per annum, pro uſucapta, & uxore habebatur niſi intra annum per tres noctes à viro abſuiſſet. Farreatione uxor ducebatur, quum farre conveniretur in matrimonium certis verbis, & decem teſtibus præſentibus, ac ſolemni ſacrificio peracto, in quo panem farreum adhibebant, nam Latinorum exemplo Romulus vix Urbe condita in hunc modum connubia inſtituiſſe fertur. Coemptione vero conveniebant quum ſponſus per manum ſponſa accepta, eam interrogabat, an ſibi mulier mater familias eſſe vellet, mulier contra, an ſibi pater familias vir eſſe optaret; ii itaque qui taliter contrahebant matres, & patres tantummodo vocabantur, ſibique invicem ſuccedebant ex jis quæ referunt Commentatores Feſti de verbor. ſignific. verb. *Diffarreatio*. Severinus Boethius lib.2. Topic., Cicero lib.3. de Orator., Dionyſius lib.2., Ulpianus lib.8. Inſtitut. tit.9. Erat etiam genus contrahendi confarreatione, ſed ita ſoli flamines conveniebant in Templo, ubi poſitas produnt ſellas duas jugatas pelle ejus ovis, quæ hoſtia ſacrificii fuiſſet, ubi contrahentes tectis capitibus conſiderent, ut Scaliger in Caſtigationibus ſuis ad Feſtum advertit.

Sponſus præterea ſponſæ, non in luce, ſed in tenebris jungebatur, quod lex priſca, ſi quid abſurdum, aut deforme corpori aderat occultare ſatageret, vel potius ut illicitam Venerem accuſaret, dum juſtis, legitimiſque connubiis pudorem, & verecundiam præcipiebat. Cæterum divortia prius quam Roma conderetur Latinis in uſu fuiſſe commemorant; ii quippè diffarreatione ſolvebant matrimonium, erat autem diffarreatio ſacrificii genus quod fiebat farreo libo adhibito, ut quemadmodum farreatione conveniebant, ſic & diffarreatione connubia diſſolverent, cujus rei præclarum teſtimonium profert Feſtus verbo *Diffarreatio*, ſed quibus ex cauſis divortia fierent, mihi non conſtat. Conjicitur tamen ex Romuli lege quam is fortaſſe à Latinis hauſit, nuncium repudii remitti à viro tantummodo mulieri potuiſſe ex cauſis impudicitiæ, veneficii & temulentiæ ex Plutarcho in Romulo; at non legimus quemquam tale nuncium remiſiſſe aut Romæ, aut in Latio uſque ad annum V.C.DXXIII., quo ſcimus Sp. Carvilium Rugam A. Attilio, & P. Valerio Coſs., qui uxorem cariſſimam morum gratia duxerat, coactum à cenſoribus jurejurando affirma-

affirmare, uxorem ſe liberorum quærendorum gratia habiturum, religionem jurisjurandi amori prætuliſſe, & divortium cum uxore, quæ nuſquam gravida fuerat, feciſſe, unde manavit mos in manibus Cenſorum Coloniarum, quæ in Latio aliiſque Regionibus erant, ſimile juramentum à nuptis præſtandi, & divortia faciendi, ſi ex ea uxore nunquam proles habita eſſet, ex jis quæ tradunt Aulus Gellius Noct. Atticar. lib. 17. cap. 21., & lib. 4. cap. 23., Dionyſius lib. 2. Valerius Maximus lib. 2. cap. 1., Athenæus Deipnoſ. lib. 10. cap. 13.; dein ex quacumque juſta cauſa libellum repudii mittere, tum Romæ, quum in Coloniis, & in Latio conſueverunt; quippe quod uxor vinum bibiſſet, aut ſemel inebriata foret, verba quoque laſciviuſcula coram filiis dixiſſet, vel ſibi faciem pinxiſſet, cauſa divortii fuit, quin etiam ferunt Sulpicium Gallum idcirco nuncium uxori remiſiſse, quod eam in caput veſtem deducere animadvertiſset: & P. Sempronius, ac Q. Antiſtius idcirco repudiaſse dicuntur uxores, quod ille reſciviſset uxorem ludos funebres ſpectaſse, hic vero, quod uxorem in publico cum quadam vulgari libertina loquentem vidiſset ex Plutarcho Problemat. cap. 13., & Valerio Maximo lib. 6. cap. 3.; ergo dum ſic olim fœminis occurrebatur, mens earum à delictis aberat. Verum Auguſtus, & ſequentes Imperatores Romani, vetuerunt ex levi cauſa viros repudii nota uxores afficere, & præſertim cauſas præſcripſerunt ob quas repudiare uxores, & viros liceret. Cauſæ quippè repudii libellum mittendi viris hæ erant, ſi vir adulter, homicida, veneficus, falſus, ſepulcrorum diſsolutor, læſæ Majeſtatis reus, latro, aut latronum ſuſceptor, abactor, vel plagiarius eſset, ſive ſi in contemtum uxoris ea vidente cum impudicis mulieribus cœtum injiſset, vel in eadem Civitate cum alia muliere frequenter manſiſset, & ſemel, ac ſecundo culpatus à commercio non deſtitiſset, aut uxoris vitæ veneno, gladio, ſimilique modo inſidiatus, ſeu verberibus eam percuſſiſſet, vel uxorem aliis adulterandam tradere tentaſset, aut eam de adulterio convincere putaſset, neque probaſset, & ſacris ædibus aliquid ſubtraxiſset. Cauſæ autem repudiandi uxores erant, ſi uxor adultera, venefica, homicida, aut plagiaria eſset, ſi latrones juvaſset, extraneorum virorum ignorante, vel prohibente viro convivia feciſset, aut eo invito ſine juſta cauſa neque apud parentes foris pernoctaſset, vel Circen-

Circenſibus & Theatralibus ludis, Arenarumque ſpectaculis viro inſcio adfuiſset, aut commune lavacrum cum viris libidinis cauſa habere auſa fuiſset, & ſi forte ſua ope, vel induſtria abortum feciſset, vel matrimonio conſtante, alium ſibi virum fieri conata eſset, itidem, ſi marito inſidias inſtruxiſset, falſaria eſset, vel cum jis, qui adverſus Imperium molirentur ſe immiſcuiſset, ut videre eſt apud Suetonium in Auguſt. cap. 34., & Dionem lib. 54., & notatur in l. conſenſu Auth. ſed novo §. Vir quoque, & in l. Jubemus §. Inter culpas, Cod. de repud., & in Authentica ut liceat matri & aviæ §. Quia vero qui tertius §. Eſt ita incipiens cum ſeqq. At Conſtantinus mulieribus viros repudiare haud permiſit veluti ebrioſos, aleatores, aut mulierCularios, neque viris uxores ob eaſdem cauſas; ſublataque omnibus facultate libellos repudii mittendi, cauſas tres tantummodo ſtatuit viris, & uxoribus, ex quibus repudiare liceret, id eſt ſi vir homicida, medicamentarius, aut ſepulcrorum diſsolutor eſset, uxor vero mæcha, medicamentaria, vel conciliatrix, quod habes ex l. 1. Cod. Theodoſiano de repud., quam legem Juſtinianum abrogaſse ajunt in dicta Auth. Matri & Aviæ, ubi antiquas Romanorum leges innovavit. Comperimus tamen flaminibus, & Sacerdotibus uxores repudiare vetitum, quinimmo quamvis Domitianus id permiſiſset, flamines tamen nunquam nuncium repudii uxoribus remiſerunt ex Plutarcho Problem. cap. 47. & 48.

Scriptum quoque reperio apud eumdem Plutarchum Problem. cap. 86. Latinis Majo menſe matrimonia celebrare vetitum, nam eo menſe parentabant. Sic atris diebus, Kalendis, Nonis, & Idibus & dum publicum efferretur funus, menſe etiam Februario, quo manibus piacularia ſacra fiebant matrimonium inire haud licebat, quamvis ſponſalia eo tempore peragi ritè potuiſsent, ſi credimus Macrobio Saturnal. lib. 1. cap. 15., Ovidio lib. 2. Faſtor., quod & notatur in l. 10. ff de his qui notant. infam.. Illud etiam à Latinis, dein à Romanis factum novimus, ut uxorem, quam quis duxiſset, etiam ſublatis liberis, aliis dare uſuariam, ex qua liberi gignerentur, mox illam vendicare legibus, & moribus, permiſſum eſſet. Hunc morem Lacedæmonios Lycurgi lege eruditos, qui ad Latina litora appulerunt in Latium invexiſſe conjicio ex Plutarcho in vita Lycurgi, Xenophonte in Repu-

Republic. Lacedæmon., & ex jis, quæ ſupra Cap. 1. diximus.

Meminiſſe & juvat apud Romanos invaluiſſe ſub nota infamiæ matronas decem menſibus, cæteras verò mulieres per annum defunctum virum lugere Dionyſio lib. 3. teſte, unde ferunt Numam ædixiſſe in Lege Poſthumia de ſepulcrorum Jure & ſumptibus funerum, uxores ultra decimum menſem luctum non protrahere, & in alia expiatoria lege, ex juſta cauſa infra decem menſes nubere, ſacrificio tamen peracto, & prægnante vacca immolata, vt ita & Sacerdotibus cauſa innoteſceret, & uxores manibus virorum litarent ex Cicerone lib. 2. de legib., Aulo Gellio Noct. Attic. lib. 4 cap. 3., Pighio, Roſino, & aliis, ex quibus quid diſcriminis ſit inter Numæ leges, & ea quæ Dionyſius refert, facile intelliges. Verumtamen Latini ab Arcadibus priſci Latii Accolis acceperant, uxores tanto tempore lugere viros oportere, quanti ultima mariti valetudo duraſſet, ſi fides præſtanda eſt Athenæo lib. 8. cap. 7. quod tamen incertum eſt, quum Numa leges jam enunciatas à vicinorum Populorum moribus hauſerit. Cujuſcemodi tamen fuerit conſuetudo Latinæ Gentis, ſcimus devicto Latio, Latinos Romanorum leges ſervaſſe, quibus præſcriptum legimus omnibus fœminis per annum maritos lugere, intra quem ſi mulier nupſiſſet, infamis erat, infames & pater, qui id permiſiſſet, & qui eas duxiſſent vt in l. 7. & 8. ff. de his qui notantur infam. l. liberorum §. Et ſi talis ff. eod. titul. Porrò viri uxores lugere non cogebantur, ſponſi quoq; nullus erat luctus, niſi per verba de præſenti, vt dicunt, ſponſalia contracta eſſent. Tempore etiam, quo liberorum, agnatorum, cognatorum, & parentum erat luctus, rite nuptiæ contrahebantur iuxta l. Parentes, & l. Uxores ff. de his qui notant. infam. quem tamen morem nunc Latini non ſervant, ii enim parentes, filioſque, ut viros, & viri uxores ſaltem novem menſibus lugent.

Conſtat etiam poſt Sabinarum, & Latinarum raptum connubia, & ſacra Latinis, Romaniſque fuiſſe promiſcua; nam quamvis ex Fufetii concione ſuperius adducta habeas, Albanis nuptias non fuiſſe cum fugitivis, exteriſque promiſcuas, attamen ex Valerio Maximo lib. 6. cap. 3. apparet Tulli Hoſtilii ævo, Romanos cum Albanis connubia ritè iniiſſe, id ipſum Dionyſius lib. 4, & Livius lib. 1. teſtantur, qui produnt Mamilium Tuſculanum filiam Tarquinii Superbi duxiſ-
ſe,

ſe, quod etiam conjicitur ex S. C. M. Minucio, & A. Sempronio Atratino Coſs., quo permittebatur, *ut ſi quæ Latinæ mulieres viris Romanis æquitate, & prudentia conſpicuis nuptæ eſſent, aut Romanæ Latinis, penes ipſas eſſet arbitrium, vellent ne manere apud conjuges, an patrias repetere, e liberis mares apud patres ſuos manerent, fœminæ innuptæ proficiſcerentur cum ſuis matribus*, ut ait idem Dionyſius lib.6. ad principium, ubi hæc ſubdit: *Erat autem frequens inter utrumque populum connubium propter cognationem, & amicitiam*; Addit etiam Romanas Latinis Oppidis, maritiſque relictis, penè omnes Romam reverſas, Latinas vero in Urbe nuptas, duabus exceptis, maritos patriæ prætuliſſe. Lata dein Romæ lex eſt, quæ nuptias à Cive Romano cum Latina muliere, aut ſerva, aut peregrina contractas, irritas decrevit, ſi credimus Boethio Topicor. lib.5. Hac de cauſa plures populi jura connubiorum petiere, eaque Romani, ſociis benemeritis dare conſueverunt; Campanis quippe, ut Romanas ducere liceret uxores fuit pro magno munere impertitum teſtimonio Livii apud Sigonium de Jur. Civium Romanorum lib. 1. cap. 9.

Hinc intelligitur poſt eam legem Romanis Civibus niſi cum Cive non fuiſſe connubia, & Latinis nuptias cum Romanis contrahere vetitum. Neque dicas ex Suetonio in C. Octavio Cæſare, & Cicerone Philippic. 3. conſtare Ciceronis ætate uxorem L. Philippi fuiſſe Aricinam, Aricinæ filiam C. Marcelli ſponſam, Tuſculanam uxorem M. Antonii, & C. Octavii matrem ſimiliter Aricinam, unde Sigonius de Antiq. Jur. Civ. Roman. dicto cap.9. putat Civibus Romanis cum municipibus Latinis jus connubii fuiſſe; quandoquidem Sigonii narrationem minus veram dicimus, quod eæ mulieres nuptæ Patriciis Romanis, natæ eſſent in Coloniis, quibus jus Civitatis datum erat; propterea affirmamus, nuptias Latinorum, qui nati erant in Coloniis Civium Romanorum, aut quibus jus Civitatis fuerat conceſſum, ut Tuſculum, Aricia, & plures aliæ in Latio numerabantur, juſtas cum Romanis fuiſſe. Illud ſanè cognatæ genti, unde Roma orta eſt impertitum legimus lege Junia, & Norbana, ut ſi Latinus Civem Romanam, vel Latinam duxiſſet uxorem, teſtatione interpoſita, ſe liberorum quærendorum cauſa uxorem duxiſſe, nato dein filio, filia-

Digitized by Google

filiave, & anniculo facto, poſſet apud Prætorem, vel Provinciæ Præſidem cauſam probare, & tum ipſe, quum ejus filius, vel filia, & uxor, ſi Latina eſſet, Civis Romanus fieri teſte Roſino lib. 8. Antiquit. Roman. cap. 15., qua lege nuptiæ à Latino viro cum Romana contractæ ab initio irritæ, juſtæ poſtea fiebant, jure Civitatis adepto.

Verumtamen ſunt qui putent Latinam gentem jure Civitatis Romanæ ſemper ornatam fuiſſe, quod probare videtur Dionyſius lib.8., hic enim Marcium Coriolanum Minucio Populi Romani Legato tale reſponſum dediſſe commemorat: *Quos Legatos miſit Populus, hoc reſponſum do: Si Populus Romanus redditis agris, & Oppidis, quæ occupavit, revocatiſque Colonis, Volſcos in perpetuam amicitiam, & æquale Civitatis jus, ſicuti Latinos recipiat, pacem cum eo faciam.* Fruſtra itaque id petiiſſet Marcius morum Patriæ optime gnarus, ſi tum Latini jus Civitatis Romanæ adepti non eſſent. Id ipſum confirmaſſe conjicitur Q. Cæcilium Metellum ea oratione, qua Cenſores exagitaſſe fertur, ubi inter alia hæc aſſeruit: *Albani diruta Alba Romam traducti ſunt, Latini, Sabini in Civitatem accepti*, ut habes ex Livio decad.4. lib. 10., & L. Annius Setinus Legatus Latinæ Gentis, de quo verba fecimus Cap. 8. non petiit à Senatu Romano jus Civitatis, ſed alterum ex Conſulibus Latinum hominem fieri, Livio lib.8. teſte.

Sed hæc obſcura ſunt, id circo palam eſſe arbitror Latinos Populos ante vltimum Latinum bellum, quo Latium devictum eſt, haud curaſſe Civitatem Romanam aſſequi, ut patet ex eadem Annii oratione, licet pleriſque eorum ea data ſit, ut Tuſculanis; poſtquam autem Latium omne imperata populi Romani fecit, reperio aliquibus Latii priſci accolis non niſi ob ſingulare meritum jus Civitatis conceſſum. Quippè Latio devicto, Lanuvinis, Nomentanis, Pedanis, Aricinis, & Antiatibus Civitas data eſt ex Livio lib.8., Vellejo lib.2., Eutropio lib.2., hi autem Cives fieri non potuiſsent, ſi jam Latini omnes Civitatem adepti eſsent. Dein bello Punico conſtat Romanum populum Præneſtinos milites, qui adverſus Annibalem Caſilinum tutati ſunt, Civitate donaſse ex eodem Livio dicto lib.33., Frontino Stratagem. lib.3. cap.14. exempl.2., qui addunt Carvilium ob id Latinorum militum meritum, Senatum pro Latinis rogaſse,

ut ſaltem ex ſingulis Latinorum populis binis Senatoribus jus Civitatis daretur. Porrò leges, quas tulerunt M. Junius Sillanus, & L. Norbanus Flaccus Conſules, atque L. Druſus, & C. Gracchus hujus rei teſtimonium perhibent: ii enim vel edicentes Latinos certis conditionibus Cives Romanos fieri poſse,ut ſupra dictum eſt, vel prohibentes Latinæ gentis milites virgis cædi, palàm fecerunt eorum gentem antea in Civitatem haud cooptatam, quum Porcia Lex, quæ Cives virgis verberari vetabat, promulgata tunc eſset, teſtimonio Plutarchi in Gracchis. Hinc C. Claudio, & T. Sempronio Coſs. Legatis ſociorum Latini nominis, qui toto undique ex Latio frequentes advenerant, querentibus magnam multitudinem Civium ſuorum Romam migraſse, ut inter Romanos Cives cenſerentur, S. C. ſtatutum eſse ferunt, ut Q. Culleo Prætor eos conquireret, & omnes in ſuas patrias redire compelleret, neque inter Romanos Cives cenſeri ſineret, idque factum ſcimus, quod Junia, & Norbana lege, de qua jam verba fecimus Latini abuterentur, quod & M. Junio, & A. Manlio Coſs., & itidem C. Popilio Lænate, & P. Ælio Ligure Coſs., quum L. Poſthumius Cenſor eſset, factum eſse teſtatur Livius lib. 49. 50. & 52. Hanc rem ægrè ferentes Latini quos Civitatis Romanæ deſiderium tenebat, putantes edicta Conſulum ignominioſa, ut ait Cicero in oratione pro Sextio, M. Fulvium Conſulem, quem ex Latio oriundum produnt, rogarunt, ut legem de Civitate Latinis danda ferret, at quum is indignante Senatu legem tuliſset, in Provinciam miſsus eſt, ut ita lex careret effectu, teſtimonio Appiani lib. 1. Bellor. Civil., Valerii Maximi lib. 9. cap. 5.. Dein C. Gracchus Tribunus plebis, qui ad Reipublicæ Romanæ munera Latinos advocabat, quaſi Senatus conſanguineis honeſtè repugnare haud poſset, aliam tulit legem, qua edictum Fulvii probavit, & ſtatuit ſociis Latini nominis æquale jus ſuffragii cum Romanis Civibus eſse ex eodem Appiano lib. 1., & Plutarcho in Gracchis. Verum Senatu adverſante, Conſules edixere, ne quis eorum, quibus ſuffragii jus eſset in Urbe, obſervaretur, neque proprius Urbem quinque millia paſsuum eſset, quod habes ex Appiano loco mox relato; unde conjicitur Latinos ſuffragii jure caruiſse, quin & Civitate, ut patet ex ſequenti lege, quam tulit C. Servilius Glaucio, qua ſtatuit, ut ſi quis Latinus Senatorem Romanum accuſando,

ſando, condemnaſset, is Civis Romanus eſset ex Aſconio in Oratione pro Scauro, & Cicerone in Oratione pro Balbo. Id ipſum comprobat odium Senatorum in Fulvium, & Gracchum Legis auctores, quos tumultuario impetu trucidatos hac de cauſa ferunt, ſi credimus Appiano, & Plutarcho ubi ſupra; & facinus Latinorum, & Italorum omnium, qui Livium Druſum Tribunum plebis, qui ut populo ſublandiretur legem de Civitate danda Latinis, Italiſque, ut promiſerat, non promulgaverat, dum in deambulatorio domi ſuæ jus diceret, mactarunt, ut narrant Plutarchus in Catone Uticenſi, & Valerius Maximus lib.6.cap.7.. Ejus rei cauſa bellum Italicum, ſeu ſociale indictum eſt, & quum acceptis aliquot cladibus Etruſci, Umbri, & Latini omnes defectionem ſpectarent, L. Julius Cæſar, qui tum Conſul cum P. Rutilio erat, legem tulit, ut qui populi ad eam diem in fide manſiſſent, Cives Romani eſſent. Hujus legis imperio referunt Latinos, Etruſcos quoque & Umbros, qui tum milites Italis non dederant, Civitatem adeptos, quod ex Servio Sulpicio in libro de Dotibus, & Neratio in libro de Nuptiis ſe hauſiſſe ait Aulus Gellius Noct. Atticar. lib.4. cap.4., & produnt Appianus lib.1. de Bell. Civil., Cicero pro Balbo, Tacitus lib.11. Annal.

Ex his conſtat uſque ad annum V.C. DCLX. vel juxta aliorum computationem 663. Latinos ſine Civitatis jure vixiſſe. Dein Sulla bellis civilibus ſævientibus id jus Civitatis pluribus qui Cinnam, Carbonem, Marium, Scipionem, Norbanum, & alios adverſæ factionis duces, aut conſilio, aut pecunia, vel copiis juviſſent, ademit, quinimmo legem tulit, ut municipia univerſa ſine jure Civitatis in poſterum eſſent, quo fit Præneſten, Setiam, Albam, Tibur, Norbam, & alias Latii Urbes, quæ cum Mario fœdus inierant, jus Civitatis quamdiu Sullana arma valuerunt, amiſiſſe. At Sulla dictaturam deponente, ſingulæ Coloniæ jus priſtinum recuperarunt, ut videre eſt apud Ciceronem in Oratione pro Domo ſua, Eutropium lib.3. cap.1., Roſinum Antiquit.Roman.lib.8.cap.2., & alios. Hoc igitur pacto quum Italia, Latiumque univerſum multis laboribus, multoque ſanguine Civitatem Romanam meruiſſet, & interceptam recuperaſſet, tantam ferunt peregrinorum copiam in Urbem ſe contuliſſe, ut nova lege Latinorum, Italorumque libido eſſet coercenda.

Itaque L. Aurelio Cotta, & L. Manlio Torquato Coſs., C. Papius Tribunus plebis edixit, ut peregrini Urbe Roma expellerentur, & ſocii Latini nominis in ſuas Civitates redirent, judiciumque Civitatibus ſociis conſtitueretur repetundi ejus cauſa, qui in Civitatis Romanæ cenſum irrepſiſſet ex Cicerone pro Balbo, Valerio Maximo lib.3. cap.4., Sigonio, & Roſino ſuperius laudatis. Hinc ſuſpicamur eo tempore legem Juliam, qua data eſt Latinis Civitas, fuiſſe contemptam, idcirco Claudium Imperatorem indulſiſſe narrant, ut Latini jure Civitatis Romanæ ſicuti Quirites gauderent, ſi fides præſtanda eſt Suetonio in Claudio, & Beroaldo ejus Commentatori, unde facilè intelliges quo tempore matrimonia inter Latinos, & Romanos juſtè, vel minus ritè contracta ſint.

Compertum quoque eſt Latinos priſcos magna humanitate ſervos accepiſſe, quod communem cum jis vitam agerent; itaque apud eos, & antiquos Romanos, ſervi, qui peccaverant cogebantur plauſtri lignum, quod Temonem ſuſtentat, circa viciniam deferre, ex Plutarcho in C. Marcio Coriolano: immo ſervum furti, vel alicujus ſceleris convictum, imperabant noxæ dedi, ac eum duplex lignum quod currui ſubjicere conſueverant attollere, & viciniam obire, ut in poſterum eum furciferum, ac ignominiæ nota affectum dicerent, & ab eo caverent ex eodem Plutarcho Problem. cap.70. Datam dein produnt edicto Dominis poteſtatem ſervos mactandi, quam legem Latinos ſervaſſe ſcimus, donec Hadrianus ſervos à Dominis occidi vetuit, eoſque, ſi digni eſſent, juſſit per Judices damnari, teſte Spartiano in Hadriano; quamobrem quæſitum legimus apud Cajum J. C. Inſtitutionum lib.1. de jur. perſonar., an ea lex Dominis, fuſtibus, verberibuſque ſervos cædere prohiberet, & an dum fortè ſervus pro culpæ modo cæderetur, mortuus eſſet, Dominus homicidii reus diceretur; ea autem fuit Caii ſententia, ut Dominus homicida non eſſet, niſi dolo malo id feciſſet, vel ultra meritum criminis verberaſſet.

Hæc ſatis ſit retuliſſe, nam cæteras leges, quæ Latinis, Romaniſque communes fuerunt, conſulto omittimus, quum notiſſimæ ſint; referre tamen mihi cordi eſt facinus Lucii Poſthumii, quem dedecoris cauſa nomino, ut conſtet hunc in Magiſtratu privatam injuriam vindi-

Digitized by Google

vindicaſſe, & privatam iracundiam auctoritate publica cohoneſtaſſe; is enim ad agrum publicum, à privato terminandum in Campaniam ire ex S.C. juſſus (Conſul enim cum M. Popilio Lænate tunc erat), iratus Prænestinis, quod quum eò privatus ſacrificii in Templo Fortunæ faciundi cauſa profectus eſſet, nihil in ſe honorificè neque publicè, neque privatim factum eſſet, prius quam ab Roma proficiſceretur literas Præneſten miſit, ut ſibi Magiſtratus obviam exiret, locum publicè pararet ubi diverteretur, jumentaque inde præſto eſſent. Cum autem Præneſtini modeſto ſilentio imperata Conſulis feciſſent, hinc factum eſt in poſterum Magiſtratum Romanum in Colonias, & Oppida Latina proficiſcentem, graviora in dies imperitaſſe, ut ex Livio decad. 5. lib. 2. habes, id quod ritè peragere haud poterat; enimvero vetuſta lege indictum Romanis Magiſtratibus erat, ut libertatem ſociis conſervarent; hanc legem C. Julius Cæſar cum primum Conſul eſſet, probavit, juſſitque plecti eos, qui ſine S.C. quidquam à Latinis, ſociiſque præter fœnum, & quatuor lectos, ac ligna accepiſſent, quod legitur in l. Julia de repetundis & apud Roſinum Antiquit. Roman. lib. 8. cap. 30. ad finem. Refrænavit equidem Cæſar hoc edicto Conſulum, Prætorum, Proconſulumque libidinem, qui contra priſcum morem Colonias, & ſocias gentes oneri, ac ſumptui exponere conſueverant. Cæterum quum Magiſtratus in Coloniam, aut Municipium proficiſceretur, mulis, tabernaculis omnique alio militari inſtrumento ornabatur, ne quid tale ſociis imperaret, divertebat enim privatim apud hoſpites, neque Magiſtratum Coloniæ ſibi obviam ire cogebat, Legatis tantummodo, qui repente aliquo mittebantur, permiſſum erat ſingula jumenta per Oppida, iter qua faciendum erat, imperare, neque aliam exigebant impenſam ex eodem Livio loco jam relato. Has itaque leges quum Poſthumius ob privatum odium in Præneſtinos ſubvertiſſet, meruit in Romanis faſtis nota ignominiæ affici; quæ dicta eſſe velim, ut libertatem Latinis ſociis, legibus datam, & infamiam, qua Romani notabant eos, qui privatam iracundiam auctoritate publica cohoneſtaſſent, intelligas.

CAPUT

CAPUT XI.

De Ritibus Latinorum in Nuptiis.

Satis dictum eſt de legibus Latinorum, nunc Ritus eorum, quorum plures hodieque etiam ſervari comperimus, exponemus exordientes à nuptialibus, ut eos à Latinis in Romanos derivaſſe conſtet. Ferunt in Latio nupturas Virgines pilas cum pupis, & ſtrophiolis Veneri dicaſſe, & laribus ſuſpendiſſe, ita putantes felix, fauſtumque fieri matrimonium. Strophium autem erat faſcia brevis, quæ virginalem tumorem papillarum cohibebat, ſtrophiola vero corollæ, id eſt coronæ tenuiores. Pupæ erant ſigillaria, ſeu imagunculæ quædam, & pilæ viriles, & muliebres effigies laneæ, quas etiam manias vocabant, ut legimus apud Nonium Marcellum de Propriet. ſermonis verbo *Strophium*, Plinium lib.21. cap.2., Porphyrium ad Horatium Sermonum lib. 1. Satyra 2., Feſtum lib.14.verb.*Pilæ*. Hæc autem prima vota Diis facta pro fauſtis nuptiis dicebantur, inde in Templo Bonæ Deæ, quam Fauni antiquiſſimi Latii Regis ſororem, & uxorem putabant, & Bovillis non longè ab Albano monte ſolemni ritu colebant, ſimiles imagines ſuſpendebant; quippè hujus rei cauſa Templum laudatum ex toto undique Latio virgines nupturæ frequentabant, & per illud viris excluſis nudæ diſcurrebant, dein ſe ornabant, & poſt nuptias in eadem æde iterum vota ſolvebant, cujus rei teſtis eſt Ovidius lib.3.de Arte Amandi, qui ſic canit:

Quæ male crinita eſt, cuſtodem in limine ponat,
Orneturque Bonæ ſemper in æde Deæ.

quibus & alludit ſequens priſcus Lapis apud Bovillas effoſſus & relatus à Ligorio in MSS. Otthobonianis lib. de Familiis Romanis, & à Tomaſino de Donariis cap.13.

BONAE

BONAE DEAE SANCTAE
SAC:
VOTO SVSCEPTO
MERITO LIBENS
TERRENTIA TALLARSIA
FECIT

Quo facto ibant ad Templum Fauni in agro Laurenti poſitum, quem Panem, & Martem Silvanum domeſticum credebant, & ibidem Fauni oracula conſulebant: ab hoc tranſibant ad ædem Pilumni in agro Ardeati ſitam, de qua æde plura produnt Virgilius lib. 10., & Servius ad lib. 9. Æneidos, ut videre eſt apud eundem Tomaſinum loco mox relato.

Quare habes Latinas virgines hæc peregiſſe, ut futuri conjuges bona vellent, ac benè, & feliciter conjungerentur, idque factum fortaſſe eſt, quod Bona Dea uxor Fauni ob meritum, & caſtimoniam à viro ſuo conſecrata foret, & ne Faunus, quem eundem ac Silvanum dicebant ſequutis nuptiis in domum irreperet, opinio quippè Latinorum erat, eum vexare pueros, idcirco quum natus puer eſſet, ad fores ædium tres viros, qui pervigiles domum circumirent, advocabant, quorum primus limen ſecuri, alter pilo feriebat, tertius vero ſcopis everrebat ex Divo Auguſtino de Civit. Dei lib. 6. cap. 9., Alexandro Genial. lib. 2. cap. 25., & ut Pilumnum, in cujus Templo etiam Picumnus colebatur, invocarent, ut proles naſcitura his præſidibus Diis vitalis foret, ut memoriæ produnt Varro lib. 2. de Vita Popul. Roman., Nonius Marcellus de Doctorum indagin., qui ſcribunt hos præſides auſpiciis conjugalibus eſſe deſignatos, & alii apud Alexandrum loco adducto, & lib. 6. cap. 26., Tiraquellum ejus Commentatorem, & Voſſium de Idololatria lib. 1. cap. 40. Cæterum cæremonias, quæ nuptias præibant, Virgilius lib. 4. Æneidos de Didone loquens paulò poſt principium his carminibus exponit:

Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt, mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri, Phœboque, patrique Lyæo

Junoni

Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ;
Ipſa tenens dextra pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit
Aut ante ora Deum pingues ſpatiatur ad aras,
Inſtauratque diem donis, pecudumque recluſis
Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.

& lib.1. Æneidos de eadem Didone verba faciens, hæc habet:

Huic conjux Sichæus erat ditiſſimus agri
Phænicum, & magno miſeræ dilectus amore
Cui pater intactam dederat, primiſque jugarat
Ominibus.

Hinc ſcimus nuptias captatis primum auguriis fuiſſe contractas, quin & uni ex duobus auſpicibus, qui præſentes erant datum coram teſtibus, & cognatis univerſis, ſtatim captatis auſpiciis, dotem pronunciare, & Jovem, ſuperoſque cunctos pro nuptiarum perennitate, & felicitate invocare, ut ibidem notat Servius, quod & refert Valerius Maximus lib.2. cap.1. de Matrimon.. Id autem in Æde ſacra factum teſtatur Cicero de Divinat. lib.1. Comperimus etiam ritus ſervatos in nuptiis Regiis, ab aliis fuiſſe difformes; nam ſi contigiſſet Dominam Urbis nubere, ſacra primum fiebant Numinibus, quæ Urbi præerant, quaſi nuptiæ pro utilitate Reipublicæ fierent, dein Junoni juxta laudatos Virgilii verſus, quos Servius ibidem ita interpretatur; alii vero primum Cereri, ut eam placarent, & quam nuptias execrari putabant, propter filiæ raptum, Apollini dein, qui expers uxoris dicebatur, Junoni demum nuptiarum præſidi ſacrificabant, ut idem Grammaticus ad Virgilium in carminibus ſupra adductis explicat; quum vero conjunctio fieret, porcum immolabant, quod ab Etruſcis Latinos habuiſſe conſtat ex Varrone de Re Ruſtic. lib.2. cap.4.; porcum autem ſacrem eſſe oportebat, id eſt purum à partu, & qui vel ſtatim lapſis duobus menſibus à mamma depulſus, vel per decem dies lactens eſſet, ſi credimus Feſto de verbor. ſignific. lib.17., Varroni de Re Ruſtic. lib.2. cap.1. & cap.4.

Sacrificio peracto ſponſi jugum ſubibant, & Junonem Jugalem invocabant, ut conjicitur ex eodem Virgilio dicto lib.4. Æneid. ubi Servius eum ritum Latinis priſcis attribuit, aitque jugum à Sacerdotibus

Digitized by Google

dotibus impoſitum fuiſſe jis, qui conjungebantur, quinimmo Alexander Genial. lib. 2. cap. 5. hunc ſingularem Latinorum morem fuiſſe commemorat; erat enim jugum indicium evidens ſocietatis, æquiſſimi juris, & concordium animorum, nexuſque vitæ in æternum communicandæ. His itaque præmiſſis cæremoniis, expectato ſigno ſurgentis veſperis, ſponſam ad maritum deducebant, ex Varrone lib. 3. de Lingua Latina, & notant Feſtus lib. 14., Plutarchus Problem. cap. 65.; ordo vero, quem ſervabant hic fertur: præibant ii, qui geſtabant cumerum, vas ſcilicet vimineum, vel fictile, ita à ſimilitudine cumerarum, quibus plebei homines frumenta condebant, dictum, in quo nubentis utenſilia erant teſtimonio Feſti verbo *Cumerum*, & Varronis lib. 6. de Ling. Latina: ſequebantur mulieres colum comptam, fuſumque cum ſtamine gerentes; erat enim id indicium Lanificii ex Plinio lib. 8. cap. 48., Alexandro Genial. lib. 4. cap. 8.; poſt eos incedebant cognati, & amici, & ſponſus, dein tres pueri prætextati, quos patrimos, matrimoſque appellabant, quorum unus facem accenſam præferebat, cæteri nubentem ducebant, ut auctor eſt idem Feſtus lib. 6. & lib. 14., & notat etiam Varro de Vita Populi Romani lib. 2.. Hanc facem ex ſpina alba fuiſſe conſtat ex jiſdem Varrone, & Feſto, quod eam auſpicatiſſimam, & malas noxas averruncare crederent, ut canit Ovidius apud Dacerium commentatorem Feſti verb. *Patrimi*.

Sic fatus virgam, quæ triſtes pellere poſſet
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.

& infra:

Virgaque Lanalis de ſpina ſumitur alba,

& tradit Plinius lib. 16. cap. 18., quamvis plures patrimos ex pinu alba hanc facem prætuliſſe autumant, ea tamen face produnt conſueviſſe rogum novæ nuptæ, quæ nuptialibus diebus occubuiſſet, accendi & eamdem rapi per communes amicos, ſi credimus Feſto lib. 16.: *Rapi ſolet fax, qua prælucente nova nupta deducta eſt, ab utriſque amicis, ne aut uxor eam ſub lecto viri ea nocte ponat, aut vir in ſepulchro comburendam curet, quo utroque, mors propinqua alterius, verius captari putatur*: hæc Feſtus; verumtamen Servius, quem referunt Dacerius, & Scaliger Feſti commentatores:

Faces, inquit, *quæ ſolent præire nubentes puellas, corneæ ſane faces, quæ quaſi diutiſſimæ luceant, quas rapiunt tanquam vitæ præſidia, namque his, qui ſunt potiti diutius feruntur vixiſſe*, unde habes facem corneam, & ſpineam potuiſſe adhiberi, & cauſam, cur ea fax raperetur difformem ab ea, quam Feſtus exponit.

Et quum nova nupta ad domum mariti iret, mariti affines ſpargebant pueris, & plebi nuces ex Feſto lib. 12., & Paulo ejus mutilatore. Cauſam hujus rei aſſignat Feſtus his verbis: *Nuces flagitantur nuptis, & jaciuntur pueris, ut novæ nuptæ intranti domum novi mariti ſecundum fiat auſpicium*: veruntamen Plinius lib. 15. cap. 22. id factum ait, quod nuces religioſæ eſſent cauſa tot nodis, totque vinculis fœtum muniendi à natura arbori inſita. Perſius autem Satyra 1. putat id indicaſſe, maritum per nuptias puerilia reliquiſſe, en ejus carmina:

Aſpexi, & nucibus facimus quæcumque relictis
Cum ſapimus patruos.

At Servius ad illud Ecloga 8.

. . . . *tibi ducitur uxor*
Sparge marite nuces . . . . . .

ſcribit maritum ipſum ſpargere conſueviſſe nuces, & hoc inſtitutum à Græcis, qui Latium incoluerunt manaſſe, quod commentatores Feſti, præſertim Dacerius comprobant. Cæterum mihi conſtat ex Ferentino Lapide in via Latina effoſſo, adeo ſolemnem eum ritum Latinis fuiſſe, ut teſtatores nuptis, quæ pauperes eſſent, pietatis ergo nuces teſtamento legarent; hæc enim eſt inſcriptio laudati Lapidis, quam refert commentator Feſti verbo *Nuces* poſt commentum Scaligeri.

A. QVIN-

A. QVINTILIO A. F. PAL. PRISCO
HIC EX S.C. FVNDOS CEPONIANVM
ET ROIANVM, ET MAMIANVM
ET PRATVM EX OSCO AB R.P
REDEMP. EX QVORVM REDITV
QVOT ANNIS VI. IDVS MAII
DIE NATAL. SVO PERPET
DARENTVR PRAESENT. MVNICIPIBVS
ET INCOL. ET MVLIERIB. NVPT
CRVSTVL. P.I. MVLS. HEMIN
ET POST NVCVM SPARSION
MOD. XXX

Quare habes ex hoc Lapide Quintilium reliquiſſe Ferentini municipibus, incolis, & mulieribus nuptis quotannis die quo is natus erat, cruſtulum pultis unum, erat enim cruſtulum genus dulciarii, ut ait Porphyrion ad Horatium lib. 1. epiſtolar., propterea teſtator addidit cruſtulum pultis, id eſt cruſtulam ex farina, & aqua, ovis, melle, vel caſeo conſtantem ex Plinio lib. 18. cap. 8., nam, id cibi antiquiſſimi genus, cruſtulam pultis antiqui vocabant, quod ut corium exureretur, necnon Heminam mulſi, dimidium ſcilicet ſextarii potionis ex melle, & vino, & pro nucum ſparſione modios triginta nucum, lapis enim mendoſe *poſt* loco *pro* exhibet, idcirco, ut hæc fierent perpetuo Fundos, & pratum ex Oſco, id eſt in Oſcorum agro ſitum à Populo Romano redemptum, & redditus aſſignavit: niſi dicas pratum ex Oſco ſitum fuiſſe in agro Vejenti, vel ut produnt Geographi in agro Aurelio qui Vejentium fuit non longè à Mæſia ſilva, quem agrum habebant Augures publici populi Romani teſtimonio ejuſdem Feſti lib. 13. verb. *Oſcum*, & ejus interpretum, quæ lectio lapidi magis congruit.

Hoc ordine uſque ad limen domus mariti adveniebant, ibi ſolitum erat aqua novam nuptam conſpergere, ut ea caſta, purave ad virum veniret, & aquam, atque ignem cum viro communicaret; aquam autem ſcimus ſervatam ante limen ipſum ex Feſto lib. 6. verb.

Facem, Varrone de Lingua Latina lib.4., hauſtamque de puro fonte per puerum, aut puellam, qua etiam nubentium pedes lavari conſueviſſe refert Servius ad lib.4. Æneidos. Hiſce geſtis, nova nupta limen non tangebat, ſed ſublata in domum inferebatur, idque factum ait Plutarchus in Romulo quod Latinæ, & Sabinæ mulieres à Romanis raptæ ſic domibus virorum illatæ ſunt, ut non ipſæ ingreſſæ ſint, ſed vi illatæ, quod non probat Servius ad lib.2. Æneidos, qui id ante Romam conditam factum prodit in reverentiam Veſtæ antiquiſſimæ Latinorum Deæ. Huic quum limen domus conſecratum eſſet, ſacrilegum videbatur novam nuptam limen, & ſic locum Numini dicatum calcare, ut Servius ait. Limen laneis vittis, multoque lauro poſtes ornabant, aut myrto obducebant, oleoque aut adipe ſuillo ungebant, ne quid pernicioſæ peſtis in domum irreperet. Huic mori alludit Virgilius lib.4. Æneidos de Didone ſic canens:

Præterea fuit in tectis de marmore Templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat
Velleribus niveis, & feſta fronde revinctum.

ut explicat ibidem Servius & notat Plinius lib.28. cap.9.. Uxori intranti limen viri claves tradebantur, non tantum, ut eo felicitatem partus ſignificarent teſte Feſto lib. 3. verb. *Clavium*, ſed ut oſtenderent viros uxorum fidei ſeſe committere, omniaque earum cuſtodiæ mandare, ſi credimus commentatoribus Feſti ibidem. Hoc tempore, cum ſcilicet domum viri ſponſa ingrederetur, ferunt neceſſarios ſponſæ, & ſponſi capita nubentium velaſſe, Latini namque nuptias dixerunt, quod nubentium capita velentur, ſi fides præſtanda eſt Servio ad lib. 11. Æneidos ad carmen:

. . . . . . *arſuraſque comas obnubit amictu.*

quamvis alii prodant id factum eo tempore, quo cum Auſpicum præſentia nuptiæ contrahebantur. Porrò teſtari poſſum, & hodie in Latio matrem ſponſæ, aut ſponſi caput novæ nuptæ velare, quum ea limen domus viri attingit.

Nubentium cultus hic fertur: ſponſus pictam induebat tunicam quam ſponſa ſuis, & matris manibus contextam Proco ad futuras nuptias dono dabat teſte Dionyſio lib. 3. qui de ſorore unius ex Curiatiis Albanis ab Horatiis Romanis confoſſi verba faciens: *Et in*

his,

Digitized by Google

bis, inquit, *tunicam pictam*, *quam ſuis*, *& matris manibus contextam Proco ad futuras nuptias donum miſerat* (*mos enim Latinis erat*, *ut qui virgines ambirent*, *pictas induerent tunicas*) *hanc igitur tunicam*, *ut cruore pollutam vidit*, *ſciſſa veſte*, *pectus ambabus plangens manibus*, *lamentabili voce conſobrinum vocabat*. Picta dicebatur tunica, non quod picta, ſed quod purpurea eſſet: purpuræ ſane ſplendorem, & nitorem picturæ locum apud Latinos obtinuiſſe conſtat ex Feſto lib. 14. verb. *Picta*, & commentatoribus ejuſdem. Sponſa non auro, non monilibus, ut nunc in uſu eſt, ſed ſenis crinibus inſtar Veſtalium Virginum ornata incedebat, quare eo comptu palàm faciebat viro ſuo ſpondere, caſtitatem à cæteris illibatam fore teſtimonio Feſti lib. 17. verb. *Senis crinibus*, quo loci ait ornatum hunc Latinis vetuſtiſſimum fuiſſe; erant autem ſeni crines ſex ſertæ crinium, vitta, & crinibus ipſis impletæ, quas vulgò *Treccias* vocant, ut videmus matronas ornatas in priſcis marmoribus, & veteribus Numiſmatis, & probat Dacerius commentator Feſti ubi ſupra. Flammeo etiam lutei coloris caput velabat, cujus rei cauſam Feſtus lib. 6. his verbis narrat: *Flammeo*, inquit, *amicitur nubens ominis boni cauſa*, *quod eo aſſiduè utebatur flaminica*, *id eſt flaminis uxor*, *cui non licebat facere divortium*, unde habes inſtitutum, ut nova nupta hoc amiculi genere, velo ſcilicet lutei, ſeu crocei coloris uteretur boni ominis cauſa, in ſignum indiſſolubilis conjugii, hinc Lucanus lib. 2. de Martia iterum nubente Catoni, ſic canit:

Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.

inde Plinius lib. 21. cap. 8. hunc morem antiquiſſimum fuiſſe teſtatur, quamvis id factum in Can. Fœminæ 3. quæſt. 5. dicatur, ut nova nupta indicium daret pudoris, ſeſeque ſubjectam viro faceret, geſtabat & cingulum ex lana ovis; hujuſcemodi rei cauſa erat, ut ſicuti lana in glomos ſublata conjuncta inter ſe eſt, ſic vir ſuus ſecum unitus, vinctuſque eſſet; ferunt quoque hoc cingulum Cinxiæ Junoni ſacrum Herculaneo, arctiſſimo ſcilicet nodo revinctum, ominis gratia in lecto priuſquam conjunctio fieret, manibus viri fuiſſe ſolutum, ut ſic novus maritus felix eſſet in ſuſcipiendis liberis, ſicuti Hercules, qui ſeptuaginta liberos procreavit, ut auctores ſunt idem Feſtus lib. 3. verb. *Cingulo*, & Varro de Vit. Popul. Roman. lib. 2.

Inte-

Interea in domo ſponſi mulier ea, quæ ad nuptias pertinebant parabat, hæc thalami adminiſtratrix dicebatur, amico etiam novi mariti, quem Janitorem appellabant pro ſummo honore datum erat apud januam cellæ, ubi thalamus erat excubare, ut diligenter animadverteret, ne mulieres virgini clamanti opem ferrent, ut teſtis eſt Julius Pollux in Onomaſt. lib.3.cap.3.. Ante thalamum piſtillum alligabant, & ut ſponſa ejus cellæ limen attigiſſet, famula cribrum geſtans per cellam diſcurrebat, ut nova nupta videret inſtrumenta, quibus res familiaris tractanda erat, ut idem Julius Pollux mox adductus narrat; unde Plutarchi in Romulo ſententiam minus veram puto, is enim ex fœdere cum Romanis à Latinis, & Sabinis icto hauſit, præter lanificium nullam aliam operam mulieres Latinas, & Sabinas Romanis nuptas obligatas fuiſſe præſtare, quum tamen palàm ſit apud Scriptores uxores omnem domeſticam rem adminiſtraſſe. Die vero illo, qui nuptias ſtatim ſequebatur apud novum maritum propiores affines lætiore convictu cœnabant, completaque cœna adhuc ad menſam ſedentibus muſtacea donabant, eo quoque die ferunt novam nuptam in viri domum libertatem auſpicari, & dominam agere, ſimulque rem divinam facere conſueviſſe ex Feſto lib. 16., & Aulo Gellio Noctium Atticar. lib.2. cap.24., cui mori alludit illud Juvenalis Satyra 6.

. . . *nec eſt quare cœnam, & muſtacea perdas.*

ubi commentatores & præſertim Mancinellus vir Velitris natus teſtatur in Latio ad ſuam ætatem perſeveraſſe ritum muſtacea poſt nuptialem cœnam donandi.

Secundo, vel ut alii produnt, ſeptimo poſt nuptias die, iterum apud novum maritum cœnabatur, quam cœnam vocabant Repotia, quod quaſi reficeretur potatio, ut habes ex Feſto lib.16. & ejus commentatoribus. His diebus ſolitum ajunt in cœna decantari procacia quidem, & conjugali, ſed laſciva licentia per ludum, amores, gratias, & mixtos leporibus luſus carmina, in quibus Jovem adultum, Junonem adultam, Venerem, Dianam, & Suadelam eorum Numina precabantur, ut novæ nuptæ propitii adeſſent, prolemque ſecundarent, & faſcinum arcerent. Hæc carmina Feſcennina vocabant, quod Feſcennii Sabinorum, primum decantata eſſent teſtimo-

nio

nio Gyraldi in lib. quem de Poëtis ſcripſit Dialog. 1.pag. 35. qui de Latinis loquitur, & Alexandri Genial. lib.2. cap.5.; proditum quoque memoriæ eſt hiſce diebus ſponſum apud affines, & amicos cœnaſſe una cum amiciſſimo, qui Simplator à Latinis dicebatur, id enim ſcribit Fulgentius de Priſc. Sermone, ubi ſubdit hunc fuiſſe cuſtodem ſponſi, eoque animo ei aſſignatum, ut ſponſa, quæ cœnis illis haud adeſſe poterat, reſciret ubi vir cœnaverat, cum quibus, & quid feciſſet.

Hi ſunt ritus, quos Latini in nuptiis ſervabant, & nunc etiam ſuperſtitiosè cuſtodiunt; quandoquidem ordo pompæ nuptialis nocte illa, qua nova nupta ad domum ſponſi ducitur, hodieque ſimilis eſt, nam loco patrimorum, propè ſponſam incedunt pueri alba veſte induti, ſparguntur nuces, & frumentum projicitur in ſponſorum caput, faces præferuntur, velatur ſponſa ſtatim ac intrat in domum viri, cœnæ exhibentur, verſus jucundi, & procaces amoribus laudibus, & bonis ominibus mixti decantantur, & ſimilia fiunt, ex quibus ſpectatores facilè priſcum morem pertinaciter in Latio ſervatum judicabunt: ea tantum omiſſa teſtari poſſum, quæ Numinum falſorum cultum exhibebant.

CAPUT XII.

De priſcorum Latinorum cœnis, & victu.

PRiuſquam Janus Saturnum excepiſſet hoſpitio, rudis erat Aboriginum, qui Latium incolebant, victus, teſte Macrobio Saturnal. lib.1. cap.7., quandoquidem illi crudis tantum veſcebantur, & his, quæ natura ferebat, ſine igne contenti, poma, & loco frumenti glandes edebant, ut habes ex Servio ad illud lib.6. Æneidos:

Atque umbrata gerunt civili tempora quercu,

& Plinio lib.7. cap.56., ac Scaligero in Varronem de Lingua Latina lib.1. pag.27.; quumque omnes vitam paſtoritiam degerent, victum ſibi parantes manibus, ut ait Dionyſius lib.1., caſeus à coacto lacte dictus, jis fuit cibus quam delicatus teſtimonio Varronis de Lingua Latina

Latina lib. 4. quibus alludit Ovidius lib. 3. Amor. Elegia 9,

Sed glandem quercus oracula prima ferebant
Hæc cibus, & teneri cæſpitis herba thorus.

& lib. 2.

Silva domus fuerat, cibus herba, cubilia frondes.

An autem ea ætate poma decoquere in olla in uſu eſſet, non liquet, quippè idem Varro teſtatur olera acerbos terræ fructus dicta à Latinis priſcis, quod in olla eos elixarent. Sed quum Janus à Saturno edoctus peritiam ruris, ferum illum, & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegiſſet, Regnique eum ob hanc rem ſocietate muneraſſet ſi Macrobio lib. 1. cap. 7. Saturnal. fides præſtanda eſt, hinc Latini conſueverunt pulmentum edere ex pulte compoſitum, quæ ex farina, & aqua conſtabat, ſeu ut alii referunt ex aqua frumenti, & fabarum, aut hordei farina ex Valerio Maximo lib. 2. cap. 1., Plinio lib. 18. cap. 8. & cap. 11. etſi Feſtus lib. 14. eam dictam ſcribat à pullis, quod iis, in auſpiciis daretur; nullius ſane in Latio molarum fuit uſus, neque piſtores cogniti in Latio, aut Romæ: idcircò conſtat, antiquos fruges igne toſtas in pilas conjectas pinſere conſueviſſe pinſoribus miniſtrantibus ex Feſto lib. 3. ubi ait pinſorem, quem alii piſonem vocant, & coquum apud antiquos eundem fuiſſe ex Plinio lib. 18. cap. 3. & lib. 15. cap. 6. & lib. 36. cap. 18., Valerio Maximo loco mox adducto.

Anno itaque ab V.C. DC. prodırunt piſtores Romæ, & in Latio molis frumenta terere, & farinam, mulieres vero, quibus domus cura data erat, panem facere incepiſſe, ut teſtatur Plinius dicto lib. 18. cap. 3. Panem vero panificium, libum, quod libaretur priuſquam eſſet coctum, teſtuatium, quod in teſto æreo calido coqueretur, circulos, quod ii mixti farina, caſeo, & aqua circuitum æquabiliter funderent, lixulas, & ſemilixulas ejuſdem generis circulos, ſed minus conditos, globulos in oleo coctos, & cruſtulum à cruſta pultis, Latinam gentem appellaſſe conſtat ex eodem Varrone de Lingua Latina lib. 4., unde patet mulieres panificii difformes ſpecies compoſuiſſe, quod hodieque etiam faciunt in Latio fœminæ, eæ namque ex Varrone, nomina teſtuatii, circulorum, lixularum, globulorum, & libi quæ apud eas illibata adhuc ſunt, hauſiſſe videntur.

Ita

Ita vixit longo ævo Latina, & Romana gens, donec mulieres deliciis deditæ, rem domeſticam negligere auſæ ſunt: idcirco perhibent piſtores, quorum munus fuit tantummodo farinam facere, & panem dein feciſſe, ut canit Martialis lib. 8. Epigramm. 16. in Ciperium, qui ex piſtore factus erat Cauſidicus:

Piſtor qui fueras diu Cipere
Nunc cauſas agis, & ducenta quæris.
Sed conſumis, & uſque mutuaris
A Piſtore Cipere non recedis
Et panem facis, & facis farinam.

& ibidem commentatores, & præſertim Calderinus. Neque dicas Latinos priſcos uxoribus nec molere, nec coquere permiſiſſe teſtimonio Plutarchi Problem. cap. 86. qui ex hoc vetuſtiſſimo more id ipſum in fœdere à Latinis, & Sabinis cum Romanis poſt raptum icto, comprobatum fuiſſe commemorat, quod etiam refert in vita Romuli; quippe diximus mulieres panem feciſſe, aliud autem eſt molere, & coquinariam facere. Comediſſe etiam ſcimus Latinos panem farreum, ut præcedenti Capite dictum eſt & narrat Plinius lib. 18. cap. 8., atque inopia urgente conſueviſſe panem ex milio conficere, & panicum pinſitum, furfureque evolutum, atque milium cum lacte, aut uvam labruſcam cum farre minuto coctam edere ex Columella de Re Ruſtica lib. 2. cap. 9. Sed an carnes, & piſces priſci Latini ederent, non liquet. Enimvero lex, ſeu mos Latinorum vehementer abſtinendi à carnibus pici avis, quam ii venerabantut, quem morem refert Plutarchus Problem. cap. 20., ritus etiam tauri carnes non guſtandi, quod id animal religioſum eſſet, & Herculi gratum, cujus rei cauſam narrat Varro de Re Ruſtica lib. 2. cap. 4., ſatis indicant, priſcos Latinos carnes edere conſueviſſe; ſi enim omne carnium genus jis vetitum fuiſſet, fruſtra lata lex eſſet, ne pici, & tauri carnes comederent; proditum etiam eſt eos piſcibus abſtinuiſſe ex Ovidio lib. 6. Faſtor. qui de Carna Dea loquens, hæc canit:

Priſca Dea eſt, aliturque cibis quibus ante ſolebat,
Nec petit adſcitas luxurioſa dapes,
Piſcis adhuc illi populo ſine fraude natabat,
Oſtreaque in conchis tuta fuere ſuis.

Jure itaque merito Ovidius ex jis, quibus placabant Carnam Deam carnis, & vitalium præſidis, fabacea ſcilicet pulte, & larido, non autem piſcibus, arguit Jani ætate, qua Carna ejus uxor conſecrata eſt, piſcibus eam gentem abſtinuiſſe, nam ſi piſces in uſu fuiſſent, jis utique utpotè Deæ Carnis Præſidi odioſis, ea placata eſſet, quod Voſſius de Idololatria lib.4. cap.23. explicat, id quod non evincit poſt Janum, & tempore Latii Regum, Latinos piſcibus abſtinuiſſe, propterea in re tam vetuſta nemo valet certam proferre ſententiam.

Porrò neque mulieres Latinas vinum unquam ebibiſſe conſtat, quinimmo temeto, id enim vini nomen erat, ſemper abſtinuiſſe comperimus, & apud eam gentem inſtitutum, ut fœminæ cognatis oſculum ferrent, reprehendendi cauſa, ut oſculum indicium faceret, ſi bibiſsent, & cum Fauna, ſeu Fatua uxor, & ſoror Fauni Latinorum Regis clam vini ollam bibiſſet, ferunt maritum eam virgis myrtheis ob id facinus uſque ad mortem flagellaſſe, ut Cap. 4. dictum eſt, & ex Clodio notat Aulus Gellius Noct. Atticar. lib.10. cap.23., & Athenæus Deipnoſoph. lib.10, qui ſubdit mulieres id celare haud potuiſſe, quoniam Latini, neque cellam vinariam committebant mulieribus, & quotidie mariti, cognati, & conſobrini eas oſculabantur. Hujus autem ritus initium Athenæus ad Herculem refert his verbis: *Alcimus Siculus in eo libro, quem Italicum inſcripſit narrat omnes in Italia mulieres abſtinere vino, eo quod Hercules cum in Crotoniatarum agrum perveniſſet, domum quandam viæ propinquam ſitibundus acceſſit, & ingreſſus popoſcit quod biberet. Earum ædium domini uxor, quæ clanculum vini dolium ſubtus aperuerat, virum monuit, prudenter ſe facturum ſi hoſpitis cauſa dolium id reſeraret, ſatius eſſe aquam bibendam offerre. Hercules cum illam exaudiſſet ejus virum multum laudavit, introque reverti juſſit, ac dolium intueri; paruit ille, & cum dolium ſubiret, ſaxeum invenit. Hujus rei documentum in illius Regionis mulieribus adhuc extat, quoniam probroſum, ac turpe eſt ipſis vinum bibere ob hanc rationem*: hæc Athenæus. Itaque Gellius mox adductus refert mulieres in Latio ſolitas bibere loream, ſeu loram, quæ ex vinaceis aqua dilutis conſtabat, aut paſſum, vel murinam, & quæ id genus ſapiunt potu dulcia, quod ex Varrone de Vit. Popul. Roman.lib.2. Gellius hauſit. Hunc

morem

Digitized by Google

morem è Latinis in Romanas derivaſſe commemorant Valerius Maximus lib.2. cap.1., & Plinius lib. 14. cap.3.. Viros autem vinum ebibiſſe longe ante Romam conditam dilucidum eſt; quandoquidem ex jis, quæ retulimus Cap.6. Æneæ, & Aſcanii ætate vini uſum, & vineta in Latio fuiſſe patet; tametſi non deſint qui referant ante Romulum, quinimmo Romuli imperio rarum in Latio vinum.

Habemus ex Athenæo Deipnoſoph. lib.1. horum vinorum ſpecies, & virtutes, is enim Albani duas ſpecies enumerat, alterum ſubdulce, quod ſuaviſſimum, & gratiſſimum nuncupat; alterum acerbum, utrique ſuum ab anno decimo quinto vigorem aſſignat, & quod ultra inveteraſſet, excitaſſe ait celeriter capitis dolorem & gravitatem, Setinum Formiano, Trifolino, & Surrentino ſimile fuiſſe, & Falerno levius, capitique nunquam nocuiſſe narrat. Veruntamen Plinius lib. 23. cap. 1. prodit id vinum cibos concoqui coegiſſe, & lib. 14. cap. 6. illud generoſiſſimum nuncupat, & à Cæſare Auguſto adamatum, quod cruditatibus ſtomachi eſſet infenſum; inde Athenæus Tiburtinum deſcribit, id ait fuiſſe tenue, & facilè tranſpiraſſe, atque melius quum inveteraſceret, & ſic vigorem adipiſceretur. Labicanum dein, quod guſtu ſuave, ac pingue inter Albanum, & Falernum medium, ac idoneum bibendo poſt decem annos affirmat; Veliternum etiam, idque ſuave potu, eoque gaudere ſtomachum ait, & peculiare ejus vini fuiſſe, ut ſincerum, ac merum non videretur, nam guſtanti velut alterius immixti quidquam præſeferebat. Signinum quoque, & Nomentanum quorum primum ad annum uſque ſextum aridum, nulliuſque uſus, alterum poſt annum quintum potui commodum, neque admodum ſuave, neque tenue fuiſſe prodit.

Hæc dixiſſe ſufficiat de vinis Latinorum, quorum ſeriem fuſius ſuo loco exponemus; nunc ad cœnas Latinorum invitati properemus. Ex frugali antiquorum victu nata quæſtio eſt, ſemel ne in die cibum ſumpſerint, an ſæpius, hoc eſt an pranderent ſub meridiem, ut nunc fit, an vero in veſperum diſtulerint, ut cœnitarent; quandoquidem Servius ad lib.4. Æneidos prandia priſcis Latinis in uſu haud fuiſſe commemorat; idipſum probant Iſidorus lib.2.Etymol.cap.20.: *Eſt autem cœna veſpertinus cibus, quam veſpertinam antiqui dicebant, in uſu enim non erant prandia*: Salvianus de provident. Dei

lib. 1., & Severinus Boëthius lib. 2. de conſolation. Philoſoph. metr. 5.

Felix nimium prior ætas
Contenta fidelibus arvis
Nec inerti perdita luxu
Facili quæ ſera ſolebat
Jejunia ſolvere glande,

At ex Cicerone 3. Verr., & prandia, & cœnas antiquis familiares fuiſſe apparet, id quod teſtantur Valerius Maximus lib. 2. cap. 1.: *Fuit*, inquit, *etiam illa ſimplicitas antiquorum in cibo capiendo humanitatis ſimul, & continentiæ certiſſimus index, nam maximè viris prandere, & cœnitare in propatulo verecundiæ non erat, nec ſanè ullas epulas habebant, quas Civium oculis ſubjicere erubeſcerent*: Macrobius etiam Saturnal. lib. 2. cap. 13., qui ſumptuarias leges referens, ita ait: *Leges cœnis, & ſumptibus ad populum ferebantur, imperari cæpit, ut patentibus januis pranſitaretur, & cœnitaretur, ſic oculis Civium teſtibus factis, luxuriæ modus fieret*: & Plutarchus lib. 8. Sympoſiac. cap. 6. ubi prodit antiquos ſeorſim prandere, cœnare autem cum amicis ſolitos fuiſſe.

Sunt qui referant diſſidium id facilè componi poſſe, putantes eandem rem cœnæ, prandiique nomine à Scriptoribus ſignificatam, ut Feſtus lib. 3. auctor eſt, is enim ita ſcribit: *Cœna apud antiquos dicebatur, quod nunc eſt prandium, veſperna, quam nunc cœnam appellamus*, & lib. 17.: *Scenſas Sabini cœnas dicebant, quæ autem nunc prandia cum cœnas habebant, & pro cœnis veſpernas appellabant*, ſic doctiſſimus Beroaldus notis in lib. 4. Æneidos, opiniones conciliat. Ego vero arbitror apud priſcos Latinos prandia ut nunc in uſu haud fuiſſe, quinimmo, neque Romanis antiquis familiaria; quippè idem Feſtus lib. 11. hæc prodit: *Merendam antiqui dicebant pro prandio, quod ſcilicet medio die caperetur*, id ipſum teſtatur Nonius Marcellus de Proprietat. Sermon., quo fit prandium, quod omnes poſt meridiem ſumptum ajunt, priſcis temporibus nondum in uſu fuiſſe, ea namque hora merendam ſumptam teſtatur Feſtus ipſe, quem Beroaldus, & alii in ſuam trahunt ſententiam, ut Dacerius commentator Feſti eo loci ſcribit, & notat Alexan-

der

der Genial.lib.5.cap.21.. Merenda autem erat parciſſimus cibus, ita dicta, quod jis qui mererent ære, id eſt mercenariis dari conſueviſſet ex Scaligeri notis in Varronem de Re Ruſtica, & Roſino lib.5. Antiquit. Roman. cap.27., nam hodieque etiam breviſſimum cibum, quem poſt prandium capiunt, merendam dicunt. Itaque priſci Latini pro jentaculo habuerunt ſilatum, jejuni quippè de mane merum bibebant, vel etiam panem vino madefactum comedebant, idque ſilatum appellabatur ex jis quæ referunt Feſtus verbo *Silatum*, & Commentatores ejuſdem, ac Plutarchus in Sympoſiac. lib. 8. quæſt.6., poſt meridiam merendam capiebant, & poſt veſperum cœnam, quæ illis erat plena refectio, ut nunc prandium eſt. Hinc facilè intelliges, cur Macrobius, Plutarchus, Tullius, & alii morem illorum temporum referentes, & prandia, & cœnas in uſu fuiſſe narraverint; enimvero prædicti vixerunt ætate, qua Romani, & Latini adeo immenſos ſumptus faciebant, omnemque ſubſtantiam in conviviis impendebant, ut cibariis, & ſumptuariis legibus ſumptibus modum dare oportuerit. Cato enim major quum in cenſura hanc rem palàm deteſtaretur, neque exaudiretur, cenſura functus, fecit, ut C. Orchius Tribunus Plebis de Senatus ſententia legem tulerit, qua convivarum numerum præſcripſit; poſt annos XXII. Fanniam legem ingenti populi conſenſu Conſules promulgarunt, qua numero Convivarum, & ſumptibus conſuluerunt. Hæc ſanè lex Convivarum impenſis modum fecit aſſibus centum, & quum adhuc eo res rediiſſet, ut gula illecti plerique ingenui pueri pudicitiam, & libertatem ſuam venditaſſent, & in Latio, ac in univerſa Italia, parentes filias proſtituiſſent, putantibus Latinis, Italiſque non in ſe, ſed in ſolos Urbanos Cives Fanniam eſſe conſcriptam, Didia lex lata eſt, quæ & Latium, & Italiam omnem obligabat, & plectebat eos, qui majore ſumptu cœnas feciſſent, & qui illis interfuiſſent; quoniam vero obſtinatio luxuriæ, & vitiorum firma concordia adeo prævalebat, ut leges palàm factis abrogarentur, P. Licinius Craſſus edicto & Fanniam probavit, & Kalendis, Nonis, Nundiniſque juſſit, ne quis in dies ſingulos ultra triginta aſſes edundi cauſa impenderet, cæteris vero diebus, ne amplius quam carnis aridæ pondo tria, & ſalſamentorum libram unam, & quod ex terra, vite, arboreve natum eſſet menſis apponeret. Hanc legem

legem trinumdio priuſquam confirmata eſſet, Populus Romanus ſervavit, dein contempſit, quamobrem Antius Reſtio iterum plectendos eſſe edixit, qui ſumptuarias leges non cuſtodirent, ſed eam quoque legem Senatorum pervicax animus, & contraria conſuetudo irritam fecit; unde M. Antonius Triumvir edictum de ſumptibus propoſuit, quod quum ipſe præceteris in Urbe, & in Ægypto ſpreviſſet, irriſui fuit. Hinc Tiberius ſimile interdictum conſcripſerat, quod, ne legis majeſtas vileſceret, proponere noluit. Sic narrant Macrobius Saturnal. lib. 3. cap. 17., & Alexander Genial. lib. 3. cap. 8.

Itaque mirum non eſt, ſi eo tempore, quo luxuria tot legibus coerceri haud valuit, Romani, & eorum exemplo Latini, Italique univerſi & prenderent, & cœnarent, & prandium cœnam, & cœnam veſpernam nuncuparent; quippè id ipſum evincit, prandium apud majores cœnæ locum non obtinuiſſe, ſed fuiſſe extremis Reipublicæ temporibus cœnæ ſubrogatum, ut ita ſumptibus nullus fieret modus, & bis in die cœnitarent, qui gulæ blandirentur. Locus, ubi cœnabant erat inferior domus pars, dein in uſu fuit in ſuperiore ædis parte cœnitare, idcirco Cœnacula dicta ſunt, quod ad ea ſcalis aſcenderetur ex Feſto lib. 3., & Varrone de Ling. Latina lib. 4., qui ſubdit Lanuvii apud Junonis ædem amplum fuiſſe cœnaculum, quod ſcalis altis ſcandebatur: quare habes antiquos foris non cœnaſſe, Poëtæ quippè, quos in principio retulimus, & qui Latinos priſcos foris cœnitaſſe aſſerunt, meminerunt illius ætatis, qua fera nimis, & agreſtis eorum vita erat: quum vero Saturnus, & Janus & ſequuti Latii Reges victum in meliorem modum redegiſſent, palàm eſt Latinam gentem cœnacula habuiſſe, & domi comediſſe, præter liberos, qui ætate puerili eſſent, hos enim foris cœnitaſſe, ut natu majores ſpectatores, & magiſtros haberent locuples teſtis eſt Plutarchus Problem. cap. 32. qui ſcribit Lacedæmones hunc morem in Latium invexiſſe.

Quomodo vero Latini epulati ſint, pauci rectè norunt, & eſt ſanè res in tanta vetuſtate obſcuriſſima; Virgilius, qui mores priſcorum Latinorum imitatus eſt, lib. 1. Æneidos exhibens Æneam Epalantem cum Didone, ſic canit:

Jam Pater Æneas, & jam Trojana juventus
Conveniunt, ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro

Dant

Dant manibus famuli lymphas, Cereremque caniſtris
Expediunt.

Hinc Servius ait: *Antiqui ſtibandia non habebant, ſed ſtratis tribus lectis epulabantur, unde & Triclinium ſterni dicitur, unde apparet errare eos, qui Triclinium dicunt ipſorum Baſilicam, vel cœnationem*, ex quo patet antiquos in lectis diſcubuiſſe, ut idem Virgilius eodem loco paulò poſt ſubdit:

Nec non & Tyrii per limina læta frequentes
Convenere, thoris juſſi diſcumbere pictis.

Id ipſum apparet ex Plauto Amphytr. Act.2. Scen.2.

Alc. *Cœna appoſita eſt, cœnaviſti mecum, ergo accubui ſimul*,
Amp. *In eodem lecto*? Alc. *In eodem*:
Soſ. *Hei non placet convivium.*

& probat mos Romanorum, qui diſcumbentes cœnitaverunt, & circum menſas tres ut plurimum lectos collocabant, in quibus accumbebant reclinata ſupera parte corporis in cubitum ſiniſtrum, infera in longum porrecta ac jacente, capite leviter erecto, dorſoque à pulvillis modice ſuffulto, ut legitur apud Ciceronem in C. Verrem act.3. & 8. Veterem Scholiaſtem Juvenalis Satyra 5. verſ.17., Lipſium lib.3. Antiquar. Lection., Dempſterum ad Roſinum Antiquit. Rom. lib.5. cap.28., Beroaldum ad Suetonium in C. Caligula, & alios.

Veruntamen Virgilius idem lib.7. Æneidos ita convivium exponit:

Hæ ſacris ſedes epulis, hic ariete cæſo
Perpetuis ſoliti Patres conſidere menſis.

ubi Servius: *Majores enim*, inquit, *noſtri ſedentes epulabantur quem morem habuerunt à Laconibus, & Cretenſibus, ut Varro docet in libris de Vita Populi Romani, in quibus dicit quid à quaque traxerit gente*, quod & notat Iſidorus Etymolog. lib.10. cap.11.: *Apud veteres*, inquit, *non erat uſus accumbendi, unde & conſidere dicebantur*: Alexander Genial. lib. 5. cap. 21. ejuſque commentator Tiraquellus. Porrò quum Æneas ad Laurenti litus appuliſſet, & comediſſet cum ſociis, idem Virgilius, & Romani ſcriptores perhibent, ſedentes omnes epulatos: ſic Maro lib.8.Æneid. eorum epulas deſcribit:

Æneas

Digitized by Google

Æneas, primique Duces, & pulcher Julus
Corpora ſub ramis deponunt arboris altæ
Inſtituuntque dapes, & adorea liba per herbas
Subjiciunt epulis (ſic Juppiter ipſe monebat)
Et Cereale ſolum pomis agreſtibus augent.

unde fit, non accubuiſſe, ſed depoſuiſſe Æneam, & ſocios corpora ſub ramis, & ſic conſediſſe, quod clarius idem Virgilius lib. 8. probat, is enim Æneam Herculis ſacris epulis invitatum ab Evandro, & Arcadibus effingit, & ita ait:

Hæc ubi dicta, dapes jubet, & ſublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipſe ſedili
Præcipuumque thoro, & villoſi pelle leonis
Accipit Æneam, ſolioque invitat acerno.

Hinc Servius: *Bene*, inquit, *ſedili, nam in Templo Herculis lectiſternium eſſe non licebat, quamvis apud veteres, omnes ſedentes veſcerentur*, & quia ibidem Maro meminit thori, Servius ſubdit: *Thorum autem herbarum ſuper ſolium fuiſſe intelligamus, ne ſit ſedili contrarium*. Dionyſius etiam lib. 1. ubi meminit loci, in quo primum apud Laurentum epulatus eſt Æneas: *Deinde*, inquit, *eis humi ſumentibus, multi menſæ vice, cibis ſubſtraverant apium, vel (ſicuti alii dicunt) cruſta triticea, quo veſcerentur mundius*; unde Euſthatius notat ſedentes Teucros eo loci comediſſe, quod & Auctor Origin. Gent. Roman. ex Domitio prodit.

Ergo ex his conſtat priſcos Latinos non diſcubuiſſe, aut accubuiſſe in lectis, ſed ſediſſe circum menſam, idcirco legitur apud Scriptorem vitæ Catonis Uticenſis, eum majorum exemplo, antequam ſe Uticæ interimeret, ſedentem cœnitaſſe, quemadmodum poſt civile bellum conſueverat. Neque dicas carmina Maronis mox adducta menſis, & epulis ſacris Herculis tantummodo applicari poſſe; quandoquidem, ſi ætate, qua Evander Arcas Aram Maximam Herculi fecit, Hercules ipſe in ea ſacras epulas ita inſtituit, ut ſedentes epularentur, & Romani ſemper lectos, & lectiſternium ab jis epulis ſubmoverunt, ut teſtatur etiam Macrobius Saturnal. lib. 3. cap. 6., & fuſius dicam cum Herculis Setini Templum deſcribere aggrediar, nemo non videt, id factum, quia Aborigines, qui tunc ea loca tenebant,

bant, ita epularentur: ſic apud eandem Aram omnes aperto capite ſacra faciebant, quod tum ita gentes, illa ſacrificia offerrent, teſtimonio Gavii Baſſi apud eundem Macrobium lib.3. cap.6. ad finem.

Sedentem itaque comediſſe Latinam gentem arbitror, dein Roma condita & accumbendi more inducto, facilè eſt diſcubuiſſe, ſicuti Romanos: ex quibus habes mulieres etiam ſediſſe: quin cum Romæ, ut dixi inſtitutum eſſet in lectis viros diſcumbere, attamen mulieres ſedentes cum viris ſuis cœnare conſueverunt, ut auctor eſt Valerius Maximus lib. 2.cap.1.. Hunc tamen morem ultimis Reipublicæ temporibus fœdatum fuiſſe ſcimus,nam quamvis Quirites in epulo Jovis, exhiberent eum in lectulo, Junonem vero, & Minervam in ſellis ad cœnam ſtantes, unde antiquorum exemplum diſſimulare haud poterant; tamen corruptis moribus permiſerunt mulieres cubantes, ut viros, cœnitare, vel maritorum gremio inhærere; hinc idem Valerius Maximus loco quo ſupra ea tempora accuſans ait: *Quod genus ſeveritatis ætas noſtra diligentius in Capitolio, quam in ſuis domibus ſervat, videlicet, quia magis pertinet ad rem Dearum, quam mulierum diſciplina contineri*; quem morem damnaſſe comperimus Ciceronem ad Atticum lib.4. epiſt. 1., & in C. Verrem act. 1. & 2. Catilinaria.

Unde Ovidius epiſt. 15. Paridis Helenæ, ut irrideret talium virorum patientiam, Menelaum Helenæ maritum ita loquentem inducit:

Hoſtibus eveniant convivia talia noſtris
Experior poſito qualia ſepe mero.
Pœnitet hoſpitii, cum me ſpectante lacertos
Imponit collo ruſticus ille tuo.
Rumpor, & invideo (quid nunc tamen omnia narrem)
Membra ſuperjecta cum tua veſte fovet.

& Suetonius in Caligula cap.25. memoriæ prodit Caligulam Liviam Horeſtillam, quam C. Piſoni deſponſatam, duxerat, repudiaſſe, & relegaſſe, quod eundem Piſonem accumbentem cœnæ nuptiali vidiſſet eam premere: *Alii*, inquit Suetonius, *tradunt adbibitum cœnæ nuptiali, mandaſſe ad Piſonem contra accumbentem: noli uxorem meam premere, ſtatimque è convivio abduxiſſe eam ſecum*. Cæterum pro certo habeo priſcorum Latinorum fœminas, nedum nun-

quam in cœnis accubuiſſe, ſed neque conviviis adfuiſſe; enimvero ipſæ nuptiales cœnæ, quæ ſolent majori licentia fieri, id probant, nam, ut ſuperiori Capite diximus, ſponſus nuptialibus diebus per convivia amicorum, & cognatorum ambulabat, ſecum ducens ſimplatorem, id eſt amicum, qui abſente ſponſa teſtis eſſet eorum, quæ ſponſus feciſſet: quo fit ſponſam illis conviviis non adfuiſſe, idque palàm fit, ſi conſideres Græcos, quorum ſemine Latium propagatum eſt in convivium niſi propinquorum, fœminas haud adhibuiſſe, quin neque permiſiſſe mulieres ſedere niſi in interiori parte ædium, quò nemo accedebat, niſi propinqua cognatione conjunctus: quem ritum expreſſit Æmilius Probus, ſive Cornelius Nepos, aut is qui eſt Auctor vitar. Virorum Illuſtrium in præfatione ad eum librum & Cicero 3. in Verrem: & hunc Latinorum priſcorum morem ſummoperè laudandum puto, nam quæ & virorum cætibus intereſſe, & ſympoſia, ſolemnitateſque convivales ſectari audet, parum abeſt, quin quidlibet pati ſit parata, quæque jocandi libertatem patienter audire poſſit, nec concipiat quid jocans quærat, & quid matronalem pudorem offendat.

Hæc facta eſſe comperimus labentibus jam gentium moribus, & religione neglecta, nam ideo priſci Latini tam rigidi erant in conviviis, quod inter res ſacras menſas haberent, eaque reverentia comederent, qua ſacra tractabant; quandoquidem legimus eos ante focos, qui in veſtibulo erant, longis ſcamnis conſediſſe, & menſas ibi habuiſſe, putantes, quod dum ſederent, & epularentur, Numina adeſſent, idcirco in Vacunalibus feſtis, quibus morem epulandi vetuſtiſſimum exhibebant, ante focos in ſcamnis ſedentes epulabantur ex Ovidio lib.6. Faſtor.

Ante focos olim ſcamnis conſidere longis
Mos erat, & menſæ credere adeſſe Deos.

ubi Commentatores, & præcipuè Paulus Marſus id ipſum affirmant; hujus rei cauſa dapibus appoſitis poſt precationem convivis factam, cum ſingulari modeſtia veſcebantur haud aliter, quam ſi ſacrum epulum eſſet ex jis quæ tradit Alexander Genial. lib.5. cap.21.; quippè cœnæ primitias Laribus dabant, quibus ſal cum pane, & caſeo pro pulmentario ceſſit, dein uniuſcujuſque cibi aliquid in patella libabant

Numi-

Digitized by Google

Numinibus, ſacrilegumque putabant eum, qui in patella poſitum comederet ex Macrobio Saturnal. lib. 3. cap. 11., Andrea Turnebo conject. in Varronem de Ling. Latina pag.60., vel antequam ederent dapum partem aliquam decerpentes, eam in ignem, focumque conjicere, atque ita Diis ſuis religioſæ ſuæ erga illos gratitudinis teſtificandæ gratia conſecrare ſolebant; antequam etiam biberent, vinum in terram effundebant certis adhibitis cæremoniis, atque precibus in Deorum honorem. Hujus ritus meminit Virgilius lib. 3. Æneidos:

In menſa læti libant, Divoſque precantur.

& Servius & Donatus in eum locum, ac Stukius de Sacrificiis Gentil. pag. 132.

Hinc veteri more ſervatum eſt, ut bibente aliquo ex convivis, menſam tolli non ſinerent, ut menſam nunquam vacuam tolli juberent, prolapſum cibum è manibus ſtatim redderent, vel quod è menſa decidiſſet, neque tollerent, neque guſtarent, ſi credimus Plinio lib. 28. cap. 2. quoniam hæc, & ſimilia haud facere, Deos injuria afficere putabant; ſic in conviviis ſingulos vini cyathos ſub ſingulorum Deorum nomine in poculis apponebant ex Plinio lib. 19. cap. 4., pocula coronabant, libantes nihil in calice vini relinquebant, boum cornibus etiam bibebant, aſſyratum genus quoddam potionis ex vino, & ſanguine temperatum aſſumebant, quod idcirco aſſyratum Latini dicebant, quoniam ſanguinem *aſſyr* vocabant; hæc enim feciſſe ſcimus, ſive ut imitarentur Herculem, quem ferebant nihil vini in calice reliquiſſe teſte Athenæo lib. 12., quamvis poculum ligneum, quo is utebatur in ſacris, & quod Romani ne carie conſumeretur pice obſitum conſervabant, magnum eſſet, ut notat Servius ad lib. 8. Æneidos ad illud:

Et ſacer implevit dextram ſcyphus.

& Dempſterus ad Roſinum lib. 5. cap. 30., aut Æneam, quem pocula coronaſſe prodebant ex Virgilio lib. 7. Æneidos.

Crateres magnos ſtatuunt, & vina coronant

& lib. 3.

Tum Pater Anchiſes magnum cratera corona
Induit, implevitque mero, Divoſque vocavit.

ſive Bacchum, & Heroas, quos boum cornibus & vinum ſanguine

mixtum bibiſſe credebant, cujus rei auctor eſt Feſtus lib. 1. verbo *Aſſyratum*, & Athenæus lib. 11., & probant Ovidius de Arte amandi lib. 2. & 3. Faſtor., Homerus lib. 8. Iliad. verſ. 169.

Unumque cornu miſcens ad bibendum.

Ob eandem cauſam feſtis diebus commemorant Latinos coronatos, ſertiſque redimitos cum lemniſcis, faſciis ſcilicet coloratis, quas coronis addebant epulatum iviſſe, & myrtheam coronam geſtaſſe, quod Veneri obſecundarent, & eam venerarentur ex eodem Virgilio lib. 7. Æneidos:

. . . . *frondenti tempora ramo*
Implicat . . . .

& Servio ibidem Horatio lib. 1. ode 4. & 34., Voſſio de Idololatria lib. 5. cap. 48.. Laviſſe etiam eos ſcimus calidis aquis è terra ſcaturientibus, quod eas Herculi ſacras crederent teſtimonio Athenæi lib. 12. Libaſſe quoque poſt cœnam, quum jam cœtus diſsolveretur Mercurio, ut is ſomno præeſset, & ut linguam contineret, lingua enim ſacra erat ei Deo ex eodem Athenæo lib. 1.

Itidem hujus rei gratia ſoliti fuerunt priſci Latini in epulis ad tibias egregia ſuperorum opera, clarorum hominum virtutes, & Deorum facta carmine comprehenſa pangere, tum, ut ad ea imitanda juvenes alacriores redderent, ut putant Cicero lib. 1. & 4. Tuſcul. poſt princip., Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. de Inſtitut. Antiq., Gyraldus de Poëtis dialog. 4., quum, ut reverentia Numinum honeſti, & moderati fines non tranſilirent teſte Athenæo lib. 14., qui ſubdit convivas omnes in conviviis hymnos, & laudes Deorum nullo excepto cantaſſe. Hunc morem in Latio Trojanos invexiſſe conjicitur ex eodem Athenæo lib. 1.. Ego vero palàm eſse arbitror Arcadas Evandro Duce hunc ritum inſtituiſse; nam teſtimonio Dionyſii lib. 1. eos inſtrumenta muſica, lyram, tibias, trigona, & lydos in Latium tranſvexiſse conſtat, quod arguitur ex eodem Athenæo lib. 14., ubi memoriæ prodit eam gentem totius Reipublicæ adminiſtrationem muſica fuiſse moderatam; ait enim: *Itaque apud illos pueri ab infantia conſueverunt hymnos, & pæanas cantare præſcriptis numeris, quibus ſinguli, ut patrius mos eſt, gentiles heroas, & Deos celebrant, deinde poſtea cum Timothei, & Philoceni modos perdidicerint*

Digitized by Google

rint, ad tibias in Theatris quotannis ſaltant per bacchanalia, pueri quidem pueriliʼ certamine, juvenes virili, totoque vitæ decurſu in publicis conventibus ii, nonnullis introductis, quos canentes audiant, viciſſim cantare alii poſt alios jubentur: hactenus Athenæus, unde conjicitur Arcadas, apud quos is uſus invaluerat hunc morem in conviviis, Deorum laudes, & heroum facta canendi in Latium invexiſse.

Id etiam patet ex hiſtoria Romuli, & Remi; hos ex Ælio Tuberone, & Calphurnio Dionyſius lib.1. Gabiis educatos teſtatur his verbis: *Amotos à nutricis uberibus pueros Gabios ajunt (Urbem non longe à Palantio diſſitam) à nutriciis deportatos, ut Græcis ibi diſciplinis imbuerentur, ibique apud Fauſtuli hoſpites educatos literis, & muſica, tractandiſque armis inſtitutos, donec pubertatis annos attigiſſent*: ex quibus dilucidum fit in Latinis Urbibus Gymnaſia fuiſſe, ad quæ juvenes erudiendi in muſica mitterentur, ut ii dein hymnos & pæana in cœnis, & conviviis Arcadum more in honorem Deorum, & Heroum canerent, quod Plutarchus in Romuli vita comprobat.

Hinc ergo liquet, quanta reverentia majores noſtri, qui falſa Numina venerabantur, convivia celebraverint, & menſas ipſas coluerint, quanta etiam ſeveritate mulierum, & virorum cœtus ab epulis ſejunxerint; itaque libenter præterimus convivales pompas Romanorum ætate inſtitutas, quarum meminerunt Scriptores, quin & Poëtæ uſque ad nauſeam, nam labentium morum luxuriam, Gentilibus ipſis indignam, referre haud eſt in animo.

Tranſeamus ideo ad menſas & ad locum, qui in menſa honoratior erat; ferunt menſas priſcorum Latinorum quadratas, deinde orbiculatas ex acere, aut fraxino fuiſſe ex Virgilio lib.8. in verſibus ſupra adductis, Servio ibidem & Plinio lib.33. cap.11. Hunc morem Latinos à Laconibus antiqui Latii Colonis, quibus nullæ fuerunt menſæ niſi ex robore, ſumpſiſſe putat Alexander Genial.lib.5.cap.21. Feſtis vero diebus, in epulis præſertim ſacris, præter menſas, in quibus edebant, habuiſſe eos conſtat aut depeſtam, quod nomen Sabinum erat, ideſt menſam Vinariam, ubi vinorum vaſa ponerent, vel Cartibulum, menſam ſcilicet lapideam quadratam, in qua pariter vini

vini vaſa ſtàrent, & urnarium, quod ſimiliter menſæ quadratæ genus erat, ubi urnas aqua plenas haberent; vaſa etiam jis diebus parabant, ideſt calicem, ita dictum, quod in eo calidam pultem biberent, ſinum ab ſinu dictum, quod majorem excavationem poculis haberet, guttum, quo vinum dabant, ut minutatim funderent, ſimplum, ex quo vinum minutatim ſumebant ut locuples teſtis eſt Varro de Lingua Latina lib.4., & gutturnium, ex quo aqua in manus dabatur, quod hoc modo vocabant, quod propter oris anguſtiam guttatim aqua flueret, ut auctor eſt Feſtus lib.7. ad finem.

Locus autem in menſa honoratior medius erat Latinis, quamvis Romanis, uti nunc in uſu eſt, locus qui ſummus in menſa fuit honoratior eſſet; quippè Virgilius, qui ut diximus multa ex Latinorum priſcorum moribus hauſit lib.1. Æneidos deſcribens convivium Didonis, & Æneæ, Didonem mediam conſtituit, ita enim canit:

. . . . . Aulæis jam ſe Regina ſuperbis
Aurea compoſuit ſponda, mediamque locavit.

Unde Servius, & Donatus interpretes annotarunt eum locum apud veteres fuiſſe potiorem, afferuntque ad id probandum ſententiam Salluſtii in Hiſtoria Romana, quorum narrationem veram putat Tiraquellus in Alexandri Genial. lib.5. cap.21.; & ei qui in medio ſedebat, ac honorabilior erat, conſueverunt carnes dorſi bovis, vel alterius animantis apponere ex Servio ad illud ejuſdem Maronis lib.8. Æneidos:

Perpetui tergo bovis . . . . . .

Quæ ſatis ſint, ad priſcorum Latinorum victum, & menſas in re tam vetuſta indicandum, retuliſſe.

CAPUT

CAPUT XIII.

De Latinorum moribus quum Mulieres prægnantes eſſent, ac filii naſcerentur, & adolerent.

LAtinam Gentem quum pueri concepti eſſent, naſcerentur, & adolerent hæc egiſſe conſtat. Prægnantes mulieres fana in agro Ardeati Nationi, ſeu, ut alii produnt Naſcioni Deæ dicata circuibant, huic & rem divinam eodem tempore faciebant,quod putarent eam fœtui egredienti in lucem præeſſe teſte Cicerone lib. 3. de Natura Deorum, qui ſubdit ætate ſua matronas Romanas exemplo Latinarum ei Deæ in Agro Ardeatino hac de cauſa ſacrificaſſe. Nato dein puero, ſi hic vitalis erat, ab obſtetrice exceptus humi ſternebatur, quaſi divinationem futuri exitus inde auſpicari liceret, ut Varro lib. 2. de Vita Populi Romani narrat, & tradit Alexander Genial. lib. 2. cap. 25., quod tamen factum puto, ut Opis priſca Latinorum Dea, & Saturni uxor, quam terram dicebant, eum ſinu ſuo exciperet eidemque opem ferret, nam, ut ait D. Auguſtinus de Civitate Dei lib. 6. cap. 9. Latini, & dein Romani in conceptione, & nativitate puerorum Janum præcipuè, & Opim invocabant, ut Janus illorum vetuſtiſſimus Rex, à quo principium omnium rerum ſe habuiſſe dicebant, & Opis, quam matrem, & terram, ac Saturni conjugem affirmabant, naſcentibus, qui vitæ primas ſpirabant auras, opitularentur, ut fuſius patebit ex jis, quæ de Templo Saturni Setinorum infra exponemus. Inde Pilumno, & Picumno in ædibus lectus ſtatuebatur, nam ita augurabantur, ut his præſidibus Diis, pueri vitales forent, ut notat Alexander Genial. lib. 2. cap. 25. At Varro loco mox adducto memoriæ prodit id in uſu fuiſſe, quod eos pellere infantiæ mala crederent, quod ex Piſone notat Servius ad lib. 10. Æneidos. Veruntamen id factum comperimus à Romanis, in quos hic mos Latinorum derivavit, quod Pilumnus, & Picumnus Latinæ gentis vetuſtiſſima Numina forent, eorumque Templum, & Lucus ſacer Ardeæ eſſet ex Virgilio lib. 9. Æneidos ad principum.

Atque

Digitized by Google

Atque ea diverſa penitus dum parte geruntur
Irin de Cœlo miſit Saturnia Juno
Audacem ad Turnum, Luco tum forte parentis
Pilumni Turnus ſacrata valle ſedebat.

ubi Servius: *Pilumnus*, ait *& Pitbumnus fratres fuerant, & Dii horum* (Ardeatium ſcilicet) *Pitbumnus* (Picumnus ſcilicet) *uſum ſtercorandorum invenit Agrorum, unde & Sterquilinius dictus eſt; Pilumnus vero pinſendi frumenti, unde & à paſtoribus colitur, ab ipſo etiam pilum dictum; quidam Pilumnum, & Pitbumnum Caſtorem, & Pollucem accipiunt, nonnulli laudum Deos, Varro conjugales Deos auſpicatur*; alio loco idem Maro lib. videlicet 10. Æneidos Pilumnum avum Turni facit.

Indignum eſt Italos Trojam circumdare flammis
Naſcentem, & patria Turnum conſiſtere terra
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.

Ad hæc Servius: *Comparat genus Turni Æneæ dicens, etiam Turni avum Deum eſſe; Varro Pilumnum, & Picumnum infantium Deos eſſe ait, eiſque pro puerpera lectum in atrio ſterni, dum exploraretur, an utilis ſit qui natus eſt. Piſo Pilumnum dictum quia pellat mala infantiæ, ſed Pilumnus idem Stercutus, ut quidam dicunt, qui propter pilum inventum, quo fruges confici ſolent, ita appellatus eſt; ſi ergo proavus Latini eſt, non Turni avus, nam Stercuti Picus, Pici Faunus, Fauni Latinus eſt filius, ſed in his nominibus abutitur Poeta, Pilumnum autem avum Turni ideo dicit, ut à vicino nobilis genere videatur, ſicuti eſt Æneas.* Unde allucinatus eſt Grammaticus qui Saturnum cum Picumno confundit, nam Saturnus Stercutius dictus fuit, ut diximus Cap.3., & Latinus cognatus Turni fertur, quod Amata Latini uxor, & Venilia ſorores eſſent. Eodem lib.10. Æneidos ad medium Virgilius iterum Pilumnum abavum Turni canit:

Pilumnuſque illi quartus pater . . .

ubi Servius: *Quartus*, inquit, *pater abavus, nec eſt contrarium quod ait ſupra cui Pilumnus avus, potuit enim fieri, ut & avus ejus, & atavus à Pilumno Pilumni nominarentur, ergo per patris appellationem oſtendit cognationem*, & iterum Grammaticus ad lib.7. explicans illud carmen: Et

Digitized by Google

Et Turno, ſi prima domus repetatur origo
Inachus, Acriſiuſque patres . . . .

rem his verbis narrat: *Danae Acriſii Regis Argivorum filia, poſtquam eſt à Jove vitiata, pater eam intra arcam incluſam præcipitavit in mare, quæ delata ad Italiam, inventa eſt à Piſcatore cum Perſeo, quem illa enixa fuerat, & oblata Regi qui eam ſibi fecit uxorem, cum qua etiam Ardeam condidit, à quibus vult Turnum originem ducere.* Alii legunt ita: *Et oblata Regi Pilumno*, ut videre eſt apud Kircheri Vetus & Novum Latium par. 3. cap. 8. & alios.

Quare ex his patet Pilumnum Regem Rutulorum vetuſtiſſimum fuiſſe, & Ardeæ parentem, idcirco cultum ab Ardeatibus, & Latinis cum Picumno fratre, eoſque Deos infantium, & conjugales factos, quod crederentur mala infantiæ, & nuptiarum pellere, ut Piſo, & Varro, ac Nonius Marcellus de Doctorum indagine ſcribunt, & tradit Voſſius de Idololatr. lib. 1. cap. 40. Hinc lumen Feſto lib. 14., qui referens carmen ſaliare, ita ait: *Pilumnoe populoe in carmine ſaliari, Romani veluti pilis uti aſſueti, vel quia præcipuè pellant hoſtes*, nam licet doctiſſimus Jo. Meurſius animadvertat à Saliis Romulum Pilumnum dictum à Pilo, quo utebatur, & Martem à Pico Picumnum, idemque aſſerat Dacerius ad Feſtum, ſubdens hac de cauſa Romanos populos Pilumnos dictos, ideſt Romuli nepotes: attamen puto Romanos Pilumnos populos nuncupatos à Saliis, quod ita illi venerarentur in carminibus Pilumnum vetuſtiſſimum Latinorum Deum, eumque invocarent, ut mala pelleret à Romano populo ex jam adductis: nam & Lucilius, ac Ennius Romanos, Faunios, & Saturnios populos pluries dicunt, quod à Latinis priſcis orti eſſent.

Ferunt etiam Latinos Bonam Deam Fauni, Latii vetuſtiſſimi Regis uxorem pro infantibus invocaſſe: quum enim pueri partu editi non prius vocem edant, quam terram attingant, hinc Fatuam, ſeu Faunam quam eandem ac Bonam Deam ſuperius Cap. 4. diximus, Numen præcipuum infantium putabant, quod à Fando eam dictam crederent, & Fandi virtutem tribueret, ut ex Cornelio Labeone, & Theodoſio notat Paulus Marſus ad illa carmina lib. 5. Faſtorum Ovidii:

T Quo

Quo feror Auguſtus menſis mihi carminis hujus
Jus habet, interea Diva canenda Bona eſt.
Eſt moles nativa loco, res nomina fecit,
Appellant ſaxum, pars bona montis ea eſt.

Sic & Carna Dea, quam uxorem Jani diximus Cap. 3. ad finem, infantibus præerat teſtimonio Varronis apud D. Auguſtinum loco adducto, & Arnobium lib. 4. adverſ. Gent., Hujus rei cauſam, narrat Ovidius lib. 6. Faſtor. his verſibus:

Prima dies tibi Carna datur, Dea cardinis hæc eſt
Numine clauſa aperit, claudit aperta ſuo.
Unde datas habeat vires, obſcurior ævo
Fama, ſed è noſtro carmine certus eris.
Adjacet antiquus Tiberino Lucus Helerni
Pontifices illuc nunc quoque ſacra ferunt,

Inde pluribus carminibus prodit quomodo Nympha hæc cum Jano concubuerit, & Janum ſic loquentem refert:

Jus pro concubitu noſtro tibi cardinis eſto,
Hoc pretium poſitæ virginitatis habe.
Sic fatus virgam, qua triſtes pellere poſſet
A Laribus noxas (hæc erat alba) dedit.
Sunt avidæ volucres, non quæ Phineja menſis
Guttura fraudabant: ſed genus inde trahunt,
Grande caput, ſtantes oculi, roſtra apta rapinæ,
Canities pennis, unguibus hamus ineſt.
Nocte volant, pueroſque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta ſuis.
Eſt illis ſtrigibus nomen: ſed nominis hujus
Cauſa, quod horrenda ſtridere nocte ſolent.
Sive igitur naſcuntur aves: ſeu carmine fiunt
Næniaque in volucres Marſa figurat anus.
In thalamos venere Procæ, Proca natus in illis
Præda recens avium quinque diebus erat.
Pectoraque exſorbent avidis infantia linguis,
Et puer infelix vagit, opemque petit.

Ter-

Digitized by Google

Territa voce ſui nutrix accurrit alumni,
Et rigido ſectas invenit ungue genas.
Quid faceret, color oris erat qui frondibus olim
Eſſe ſolet ſeris, quas nova læſit hyems.
Pervenit ad Granen, & rem docet. illa, Timorem
Pone, tuus ſoſpes, dixit, Alumnus erit.
Venerat ad cunas, flebant materque paterque
Siſtite vos lacrymas, ipſa medebor, ait.
Protinus arbutea poſtes ter in ordine tangit
Fronde: ter arbutea limina fronde notat.
Spargit aquis aditus, & aquæ medicamen habebant
Extaque de porca cruda bimeſtre tenet.
Atque ita, Noctis aves extis puerilibus, inquit
Parcite; pro parvo victima parva cadit.
Cor pro corde precor, pro fibris ſumite fibras.
Hanc animam vobis pro meliore damus.
Sic ubi libavit profecta ſub æthera ponit:
Quique adſint ſacris reſpicere illa vetat.
Virgaque Janalis de ſpina ſumitur alba:
Qua lumen thalamis parva feneſtra dabat.
Poſt illud neque aves cunas violaſſe feruntur:
Et rediit puero qui fuit ante color.
Pinguia cur illis guſtentur larda Kalendis
Mixtaque cum calido ſit faba farre; rogas?
Priſca Dea eſt: aliturque cibis, quibus ante ſolebat,
Nec petit aſſatas luxurioſa dapes.

Et paulò poſt:

Sus erat in pretio: cæſa ſue feſta colebant:
Terra fabas tantum, duraque farra dabat.
Quæ duo miſta ſimul ſextis quicumque Kalendis
Ederit; huic lædi viſcera poſſe negant.

Ex hiſce Ovidii carminibus habes Latinos priſcos putaſſe Janum in præmium violatæ pudicitiæ Carnæ dediſſe ſpinam albam, qua poſſet pellere è domibus ſtriges pernicioſas infantibus: quas credebat ea gens eſſe nocturnas volucres, ſeu mulierculas avium ſpeciem aſſu-

mentes, quæ noctu infantium cunas adorirentur, & corpuſcula roſtris, aut unguibus fœdarent. Hinc quum apud Albam Carnæ ædes, & Sacerdotes fortaſſe adeſſent, Ovidius effingit Procam Latinorum Regem infantem, à ſtrigibus laceratum, Carnam ea virga curaſſe, quum fama eſſet Carnæ Sacerdotem, quæ anus erat, cæremoniis præmiſſis eum ſanaſſe, ita enim intelligo Ovidium: nam Procæ ætate Carna, quæ pluribus jam lapſis ſæculis vixerat, ſuis manibus eum curare haud poterat. Ex Ovidio itaque conſtat Anum Carnæ Sacerdotem, hoc modo Procam incolumem reddidiſſe; luſtravit quippè domum, & poſtes januæ ramo ex arbuto ter tetigit, ideſt ſignavit januam ipſam, & membra pueri, quæ erant veneficio notata: ac feneſtras aqua conſperſit, dein porcam bimeſtrem mactavit, & illius exta cruda tenens hæc verba protulit: parcite ſtriges extis pueri, hanc victimam parvam pro parvo immolo, ſumite precor cor lactentis porcæ pro corde pueri, fibras ſuillas offero pro fibris pueri, animam etiam ſuis pro anima hujus infantis. Poſt quam ita libavit exta porcæ profecta ſub dio poſuit, vetuitque ſacrificio adſtantes ea intueri, & virgam Janalem, de alba ſcilicet ſpina, ſumpſit, puerumque tetigit, quo peracto ſacrificio produnt ſtriges haud amplius Procam in cunis læſiſſe, & eum incolumem evaſiſſe, unde arguitur ob famam ejus facti, hoc luſtrationis, & ſacrificii genere uſos Latinos, Romanos etiam ut ſtriges abigerent, & ne inde rediiſſent, ſi ſemel cunas violaſſent, ex quo apparet hunc inſanum morem à Latinis in Romanos derivaſſe.

Conſtat itidem Carnæ priſcos Latinos ſue cæſa, lardo ſuillo, ac pulte fabacea ſacrificaſſe, & putaſse viſcera eorum, qui fabam mixtam cum calido farre Kalendis Juniis in honorem Deæ comediſsent, aliquo morbo haud corrumpi poſse, ut explicant Commentatores Ovidii loco quo ſupra; & præſertim Paulus Marſus. Id erat ſacrorum Latinæ gentis inſtitutum à priſcis, ſed incertis, & futilibus pendens monumentis; Sacerdotes quippè ſuperſtitioſis ritibus, & fabulis deludebant homines, eorumque poteſtas vana rerum geſtarum opinione comparata, ſacrificiorum compendia augebat.

Comperimus etiam Fauno Latinam gentem ſacra feciſse, ne pueros vexaret, ut Cap. 11. dictum eſt. Cæterum an turba Deorum infan-

infantium præſidum, quos pro puerorum ſalute Romanos invocaſſe narrant, Latinis priſcis nota eſſet, mihi non conſtat; enimvero licet appareat ex D. Auguſtino de Civit. Dei lib.4. cap.8. & 14., Arnobio lib.4., Lactantio, & aliis, hos apud Romanos fuiſſe infantium Deos, Vaticanum quem plerique Vagitanum vocant, quod infantium vagitibus præeſſet; Levanam, quod de terra levaret infantes; Cuninam, quæ eos in cunis decumbentes tueretur; Potinam, quæ potionem miniſtraret; Educam, quæ illis eſcam præberet; Oſſilaginem, quæ oſſa ſolidaret; Fabulinum, quod pueros fari doceret; Paventiam, quod infantibus pavorem averteret; Orbanam, ne eos orbos faceret, & his ſimiles: facilè tamen eſt Romanos eos Deos, antiquis Latinorum accenſuiſſe, vel uni Numini variá indidiſſe nomina; id tamen pro certo habeo Ruminam, Deam priſcorum Latinorum fuiſſe, quandoquidem ii mammam rumam vocarunt, unde Ruminalis ficus Roma vix condita dicta eſt, quod ſub ea Romulus lactatus eſſet, à Ruma igitur Ruminam Deam dictam produnt, quæ mammam parvulo immulgeret, quod ex Varrone, & Catone de Liber. educan. notat Nonius Marcellus de Doctor. indagine, & D.Auguſtinus cap.8., & fuſius de Latinis priſcis Plutarchus Problem. cap.58.

Sic in Latio parturientibus, & prægnantibus,mulieribus præter Nationem Deam hæc præeſſe Numina credebant, Egeriam, Faunum, ſeu Silvanum, Faunam, ſeu Fatuam uxorem Fauni, quam Bonam Deam dicebant, Junonem, Matrem Matutam, & Dianam Nemorenſem. Egeriæ meminit Feſtus his verbis: *Egeriæ Nymphæ ſacrificabant prægnantes, quod eam putabant facilè conceptam alvum egerere*, quæ lectio mendoſa eſt, & legendum puto: *Conceptum alvo egerere*; hujus rei cauſam Ovidius lib.4. Faſtorum luculenter his verſibus narrat:

Rege Numa, fructu non reſpondente labori,
Irrita decepti vota colentis erant.
Nam modo ſiccus erat gelidis Aquilonibus annus,
Nunc ager aſſidua luxuriabat aqua.
Sepè Ceres primis Dominum fallebat in herbis,
Et levis obſeſſo ſtabat avena ſolo.

Et

Et pecus ante diem partus edebat acerbos ,
Agnaque naſcendo ſepè necabat ovem .
Silva vetus , nullaque diu violata ſecuri
Stabat Mænalio ſacra relicta Deo .
Ille dabat tacitis animo reſponſa quieto
Noctibus , hic geminas Rex Numa mactat oves .

Inde prodit Numam in Fauni Templo cubaſſe, & Faunum id oraculum dediſſe.

Morte boum tibi , Rex , tellus placanda duarum :
Detue ſacris animas una juvenca duas .

Hoc reſponſo accepto, tradit, Numam Egeriam Nympham conſulviſſe, eamque ita Regi reſpondiſſe.

Expedit errantem nemori gratiſſima conjux ,
Et dixit , Gravidæ poſceris exta bovis .

dein ſic canit:

Exta bovis gravidæ dantur . fœcundior annus
Provenit , & fructus terra , pecuſque ferunt .

Hinc Commentatores factum putant, Egeriæ prægnantes mulieres ſacrificaſſe, quod crederent eam Numæ ævo fœcunditatem terræ, & ovibus impetraſſe, & curaſſe, ut oves prægnantes fœtum vitalem ederent.

Alii perhibent huic Deæ ſacra prægnantes feciſſe, quod Egeriam Dianæ miniſtram Latini putarent, idcirco quum Diana præſes mulieribus parturientibus diceretur, ut infra. Hinc Egeriam ejus Nympham, & Miniſtram colebant, ut Dianam oraret, & ab ea facilem, & vitalem partum impetraret, unde Joannes Argolus apud Tomaſſinum de Donar. cap.2. ſcribit, mulieres aquam ex Egeriæ Fonte in Aricino, ſeu Nemorenſi hauſtam, utpotè luſtralem domi ad ſacrum uſum in urnula continuiſſe, ut partus tempore ea purgarentur. Plutarchus etiam in Numa ſcribit, Numam Veſtalibus edixiſſe ut ea aqua diebus ſingulis Virgines purgarentur, luſtrarentque penetralia; hanc aquam, ut Juvenalis apud eundem Argolum teſtatur, ſacram & inviolabilem habitam, Domitianus violavit, quod tophum nativum, qui erat in antro Egeriæ, unde ea aqua emanabat, marmorum fuco alteraſſet. Hujus fontis meminit Strabo lib. 5. his verbis: *Ac fontes quidem*

quidem conſpicui ſunt, unde Lacus Dianæ Nemorenſis impletur, ex quibus eſt, qui Egeriæ appellatur eodem quo Numen quoddam nomine; ut legit cum aliis Cluverius Ital. Antiq. lib. 3. pag. 931. ad finem: ex quibus Strabonis verbis apparet Latinos priſcos in hoc antro coluiſſe Egeriam Nympham, quibus alludit illud ejuſdem Ovidii lib. 15. Metamorphoſ., ubi Hippolytum fingit caſus ſuos Egeriæ narrantem, & ita pergit:

Non tamen Egeriæ luctus aliena levare
Damna valent: montiſque jacens radicibus imis
Liquitur in lacrymas, donec pietate dolentis
Mota ſoror Phœbi, gelidum de corpore fontem
Fecit, & æternas artus tenuavit in undas.

Unde Commentatores arguunt hunc fontem eo loci à priſcis Latinis Egeriæ ſacratum; at lib. 3. Faſtor. idem Ovidius ita canit:

Nympha move, nemori, ſtagnoque operata Dianæ
Nympha Numæ conjux ad tua facta veni.
Vallis Aricinæ ſilva præcinctus opaca
Eſt lacus antiqua religione ſacer.
Hic jacet Hippolytus loris direptus equorum
Unde nemus nullis illud aditur equis.

Et paulò poſt:

Defluit incerto lapidoſus murmure rivus
Sepè, ſed exiguis hauſtibus inde bibe.
Egeria eſt, quæ præbet aquas, Dea grata camænis
Illa Numæ conjux, conſiliumque fuit.

& Statius Silvar. lib. 5. carm. 3.

. . . *ſic ſacra Numæ rituſque colendos*
Mitis Aricino dictabat Nympha ſub antro.

Quamobrem ex prædictis conſtat in hoc Luco aditum equis haud permiſſum fuiſſe ex Aricinorum lege, cui Ovidius alludit, ut Cap. 10. dictum eſt: patet etiam hunc Fontem, & Antrum in Nemorenſi propè Lacum Dianæ ſitum, Latinis priſcis religioſum fuiſſe, ejuſque aquas ægros allevaſſe, quum ob Egeriæ Nymphæ Dianæ Miniſtræ cultum, & memoriam Virbii, ſeu Hippolyti, quem Dianam ei Nymphæ in Aricino commendaſſe ferebant teſte Servio ad lib. 7. Æneidos

tum

tum ob ſacra in hoc antro à Numa facta, quamvis ſint qui referant Numam, non eo loci, ſed propè Urbem in luco Camænarum Egeriam coluiſſe, de quo ſuo loco plura dicenda ſuperſunt. Porrò non deſunt qui produnt Egeriam dictam, quod egerendo fœtui præeſſet, eamque fuiſſe quæ & Diana, Lucina, Lucifera, & Trivia ex Varrone de Lingua Latina lib.6., qui tamen Egeriæ non meminit, licet ſcribat Dianæ plura fuiſſe nomina, Junonemque Lucinam dictam, & à parturientibus invocatam: verum ex prædictis liquet Egeriam, & Dianam duo diſtincta Numina Latinis fuiſſe.

Hactenus de Egeria, nunc de Dea parturientium Diana verba faciamus. hanc Latinæ prius, dein Romanæ mulieres præcipuum parturientium Numen fecerunt, quam alii eandem ac Junonem Lucinam produnt ex Varrone ubi ſupra, quippè Horatius lib.3. Ode 22. in Dianam hæc habet:

Montium cuſtos, nemorumque Virgo
Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimiſque lætho
Diva Triformis.

Terentius in Andria Act.3. Scen.1. mulierem parere ſimulantem, ita exclamaſſe fingit:

Juno Lucina fer opem, ſerva me obſecro.

unde Scholiaſtes Dianam à parturientibus ter invocatam autumant; hinc Argolus apud Tomaſinum de Donar. cap. 2. refert ætate Card. Lælii Biſciæ propè Oppidum Nemorenſe, quod nunc Frangipanorum ſub ditione familiæ eſt, effoſſa plura capita mulierum corollis redimita, idque indicaſse ait pompam puellarum ad Artemiſium, ſeu Nemus illud Dianæ ab Aricia accenſis facibus procedentium, ut inde jis nuptis, & gravidis; in partu Diana opitularetur: plura quoque ait effoſsa vota fœminarum, quæ partum feliciter ediderant.

Erat autem ea pompa in Latio, & inde Romanis ſolemnis, quandoquidem Latinæ virgines priſco ævo Ariciam ibant decimotertio Idus Auguſti, quo die ſacra Dianæ fiebant teſte Roſino Antiquit. lib.4. pag. 345.. Ab Aricia itaque in Nemus Aricinum, ubi Templum Dianæ erat, diſcurrebant capitibus corollis redimitis, & tenentes manu faces accenſas, dein velabant liciis ſepes circumcirca

Dianæ ædem, & ruſticas tabellas Numini ſuſpendebant teſtimonio Ovidii lib. 3. Faſtor.

Licia dependent longas velantia ſepes,
Et poſita eſt meritæ multa tabella Deæ.
Sæpè potens voti frontem redimita coronis
Fœmina lucentes portat ab Urbe faces.

hujus etiam moris meminit Propertius lib. 2. Eleg. 32.

Cum videt accenſis devotam currere tædis
In nemus, & Triviæ lumina ferre Deæ.

& Statius lib. 3. Silvarum:

Jamque dies aderat, profugis cum Regibus altum
Fumat Aricinum Triviæ nemus, & face multa
Conſcius Hippolyti ſplendet lacus . . . .

quod ipſum probat & Calendarium antiquum, & Alexander Genial. lib. 3. cap. 18. ad finem.

Quare palàm fit, non ab Urbe Roma, ut putat Alexander, ſed ab Aricia hanc pompam incæpiſse; Ovidius enim verſibus adductis, qui plures fefellerunt, *Urbis* nomen tribuit Ariciæ, uti Romæ, in gratiam Regnantis Auguſti, cujus mater Aricina fuerat. Porrò veriſimile non eſt, Romanas fœminas, quæ ad Artimiſium facibus accenſis eo die incedebant, ita Roma, Ariciam uſque, & ad laudatum nemus diſcurriſse, ut Argolus apud Tomaſinum cap. 2. animadvertit: qui ſubdit luxuriante Romano populo, eam ſacram pompam profanatam, quod per licentiam cæteræ etiam mulieres nuptæ, & viduæ, quin & meretrices inter virgines incederent, & currerent. Ex Gratio vetuſtiſſimo Poëta conſtat, faculas, quas currentes geſtabant, medias inter ſpicatos faſciculos præluxiſse: en verba Gratii:

Spicataſque faces ſacrum ad Nemorale Dianæ
Siſtimus . . . .

quod factum eſse dicitur, ut imitarentur Oreſtem, quem ferebant ſimulacrum Dianæ faſce lignorum involutum in id nemus invexiſse, ſi Hygino Fabul. cap. 271., & Servio ad lib. 2. Æneidos fides præſtanda eſt: unde Faſcelis ea Dea dicta eſt à faſce lignorum, cum qua pingebatur, ut ait Servius: & Faſcelitis etiam Diana Nemorenſis

vocatur à Lucilio in fragmentis libri 3. Satyrarum collectis à Franciſco Douſa pag.29. editionis ſecundæ.

. . . . . *& Faceliti templa Dianæ.*

Itaque mulieres prægnantes, & parturientes ſe Dianæ devovebant quod crederent eam eſſe Lunam, quæ plurimum fœtui egerendo prodeſt, aut nocet, Cicerone de Natura Deor. lib.2. teſte, quod & canit Catullus carm.35.

Tu Lucina dolentibus
Juno dicta puerperis,
Tu potens Trivia & notho es
Dicta lumine Luna.

& confirmat tabula effoſſa apud Templum Dianæ Nemorenſis exhibens obſtetricem, quæ dextra mulierem ſuſtinet ferè nudam habitu dimiſſo apud Tomaſinum de Donar. cap.14. quæ ſatis ſit attigiſſe, quum ſuo loco multa de hac æde Nemorenſis Dianæ dicturus ſim. Fuit & mater Matuta in Latio parturientium præſes ex Roſino lib.2. cap.19. Hoc vetuſtiſſimum Latinarum mulierum Numen fuiſſe narrat Ovidius lib.6. Faſtor. hoc modo:

Ite bonæ matres (veſtrum Matralia feſtum)
Flavaque Thebanæ reddite liba Deæ
Pontibus, & magno juncta eſt celeberrima Circo
Area: quæ poſito de bove nomen habet:
Hac ibi luce ferunt Matutæ ſacra parenti
Sceptriferas Servi Templa dediſſe manus.
Quæ Dea ſit: quare famulas à limine Templi
Arceat &c.

Explicat inde Poëta eam Deam Inon fuiſſe Cadmi ex Hermione filiam, Athamantis uxorem & Bacchi nutricem, quæ cum filio Melicerta ex ſcopulo in mari ſe præcipitem egit quod Athamas furiis agitatus alterum filium Learchum interfeciſſet: refert dein eam à Diis maris ſervatam, delatamque ad Oſtia Tiberina, ad Lucum Semele, aut Stimele dictum in Latio perveniſſe, & ita pergit:

Lucus erat: dubium Semele, Stimelene vocetur:
Mænadas Auſonias incoluiſſe ferunt.

Quærit

Quærit ab his unam: quæ gens foret: Arcades eſſe
Audit, & Evandrum ſceptra tenere loci.
Diſſimulata Deam Latias Saturnia Bacchas
Inſtimulat fictis inſidioſa ſonis.

Deinde tradit Junonis inſidiis Bacchi Sacerdotes, quæ eo in Luco Deo ſacra faciebant in furorem verſas, in Melicertam, & Inon ejus matrem irruiſſe, & contendiſſe puerum eripere: Herculem vero adveniſſe, & Mænadas, ideſt Bacchi Sacerdotes fugaſſe, ac Carmentæ matri Evandri Inon commendaſſe; Carmentæque vaticinio eam factam à Latinis maris Deam, & matrem Matutam dictam, quam rem ita proſequitur.

Hoſpita Carmentæ fidos intraſſe penates
Diceris, & longam depoſuiſſe famem.
Liba ſua properata manu Tegæa Sacerdos
Traditur, in ſubito cocta dediſſe foco.
Nunc quoque liba juvant feſtis Matralibus illam.

& paulò poſt ſic Carmentam vaticinantem inducit:

Læta canam: gaude defuncta laboribus Ino,
Dixit, & huic populo dextera ſemper ades.
Numen eris pelagi: natum quoque pontus habebit:
In noſtris aliud ſumite nomen aquis.
Leucothoe Graiis, Matuta vocabere noſtris:
In portus nato jus erit omne tuo.
Quem nos Portumnum, tua lingua Palæmona dicet:

Et quanvis hæc fabuloſa ſint (palàm enim id eſt, quum omnis Deorum Latii, & Romæ cultus fabulis fœdatus eſſet) fabulis tamen aliquid veritatis inerat, quum enim Evander id Numen ad Latina littora invexiſſet, & Latini priſci eam Deam mutato nomine matrem Matutam appellaſſent, hinc Ovidius Inon cum Melicerta filio in Latium Arcadum ætate veniſſe effingit, eamque Carmentæ vaticinio Deam maris factam ut commentatores Ovidii loco quo ſupra teſtantur, & prodit Dionyſius lib. 1. ubi ſcribit Arcades, qui Latium incoluerunt Nymphis prata, & loca virentia, & marinis Numinibus littora, & inſulas dedicaſſe. Porrò Romani, & Latini palàm jactabant matrem Matutam Inon eſſe, & Palæmonem filium, eundem

ac Melicertam, & Portumnum teſtimonio Servii ad lib. 5. Æneidos ad illud:

Et pater ipſe manu magna Portumnus eundem
Impulit . . . .

Cicero Tuſculan. 1.: *Quid Ino Cadmi filia, nonne Leucothoe nominata à Græcis, Matuta habetur à noſtris?* Idem habet lib. 3. de Natura Deorum, Lactantius de Falſa Religione lib. 1. cap. 21., aliique, & præcæteris Plutarchus Problem. cap. 15.: *Quid eſt quod ancillis ædem Matutæ ingredi fas non eſt, unam vero tantum mulieres introducunt, quam alaphis cædunt? An quia hanc unam ita pulſari ſignum eſt, ſervas aditu probiberi? Reliquas autem propter fabulas repellunt; Ino enim virum rem cum ſerva habere ſuſpicata, filium deperiiſſe dicitur, ſervam vero Græci ex Ætolia oriundam fuiſſe dicunt nomine Antipheram, ex quo apud nos in Chæronea pro æde Matutæ æditu us lorum tenens pronunciat: non ſervam ingredi, non ſervum, non Ætolum, non Ætolam.*

Huic Arcades Templum Satrici non longè ab Antio dicarunt cujus meminit Livius decad. 1. lib. 6.: *Ira, & rabies Latinorum quia nec Romanos bello lædere nec Volſcos in armis retinere poterant eo eripuit, ut Satricum Urbem, quæ receptaculum primum eis adverſæ pugnæ fuerat igni concremarent, nec aliud tectum ejus ſuperfuit Urbis, quum faces pariter ſacris profaniſque injicerentur quam matris Matutæ Templum: inde eos nec ſua religio, nec verecundia Deum arcuiſſe dicitur, ſed vox horrenda edita Templo cum triſtibus minis, ni nefandos ignes procul delubris amoviſſent,* ex quibus Livii verbis apparet, id Templum, & Matutæ Numen vetuſtiſſimum Latinis fuiſſe, ut interpretes ejuſdem exponunt. Sed cur Dea parturientium mulierum Matuta in Latio dicta ſit, non liquet, niſi dicas id factum, quod Ino filium Melicertam plus equo adamaſſet, & ſororis filio mammam præbuiſſet, quod conjicitur ex Plutarcho Problem. cap. 16. aliis 17., & Feſto lib. 11. ubi ſcribit priſcos matrem Matutam dixiſſe ob bonitatem, quod bona mater fuiſset & infelix, idcirco putaſse eam mulierum parturientium commiſereſcere.

Bonam Deam Roſinus lib. 2. cap. 19. Numinibus parturientium præſidibus accenſet; ejus tamen rei cauſam non explicat, propte-

Digitized by Google

rea noſtrum erit id indagare. Hanc eandem & Faunam, ſeu Fatuam ſororem, ſeu filiam, & uxorem Fauni Regis Latinorum fuiſse diximus Cap.4., eam Latini Majam etiam vocabant, & parturientium Numen affirmabant, quod Junonis potentiam habere dicerent, ut memoriæ prodit Macrobius Saturnal. lib.1. cap.12.: *Auctor*, is inquit, *eſt Cornelius Labeo huic Majæ ædem Kalendis Maii dedicatam ſub nomine Bonæ Deæ, & eandem eſſe Bonam Deam, & terram ex ipſo ritu occultiore ſacrorum doceri poſſe confirmat: hanc eandem Bonam Deam, Faunamque, & Opem, & Fatuam Pontificum libris indigitari; Bonam quod omnium nobis ad victum bonorum cauſa eſt: Faunam quod omni uſui animantium favet: Opem quod ipſius auxilio vita conſtet: Fatuam à Fando, quod ut ſupra diximus, infantes partu editi non prius vocem edunt, quam attigerint terram. Sunt qui dicant hanc Deam potentiam habere Junonis, ideoque ſceptrum Regale in ſiniſtra manu ei additum. Beothi Semelem credunt, necnon eandem Fauni filiam dicunt*: & paulò poſt: *Varro Fauni filiam eſſe tradit*: Hinc patet Latinas fœminas huic Deæ ſacra feciſſe, ut infantibus, qui naſcerentur Fandi facultatem daret, & parturientibus, ſicuti Juno, opem ferret. Id ipſum probat Plutarchus in Cæſare, ubi ſcribit Latinos, & Romanos Bonam Deam Nympham Dryadem Fauni uxorem, Fatuam, & Faunam eandem affirmaſſe, & Varro de Lingua Latina lib.6.; quæ Macrobii ſententia Virgilio lib.8. Æneidos non adverſatur; nam etſi Maro Majam Atlantis filiam, & Mercurii matrem faciat his carminibus:

Vobis Mercurius pater eſt, quem candida Maja
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit,
At Majam (auditis ſi quicquam credimus) Atlas
Idem Atlas generat, Cæli qui Sidera fulcit.

Attamen hæc alia Maja ab hac Latinorum Dea difformis dicitur ut notat Tiraquell.ad Alexandrum Genial.lib.6.cap.26.ad finem; Latini quippè, ſicuti Faunum Regem Latii, Pana mutato nomine, ita Faunam ejus uxorem Majam appellarunt, ſic igitur mortuis conſecratis nomina commutarunt, ne quis putaret eos homines fuiſſe, ut diximus cap.4. & 5.; adoleſcentes ei Deæ quam Majam, & Fatuam appellabant, ac Statano, & Fabulino quem plures Faunum, ſeu Fatuum

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe commemorant, more patrio immolaſſe teſtatur idem Varro lib. 1. de Puer. educan. apud Nonium Marcellum de Doctor. Indagin. ad finem, & Alexandrum Genial. lib. 2. cap. 25.

Faunum itidem mulieres invocaſſe teſtis eſt Varro apud Divum Auguſtinum de Civit. Dei lib. 6. cap. 9., qui licet prodat Silvanum id Numen dictum, & ſacra ei facta à mulieribus, quod crederent eum pueros vexare, ut dictum eſt ſupra & Cap. 11. attamen Faunum Regem Latinorum Silvanum nuncupatum fuiſſe ſatis probatum eſt Cap. 4. & prodit Varro lib. 6. de Lingua Latina, quo loci: *Fauni*, inquit, *Dei Latinorum, ita ut Faunus, & Fauna ſint in verſibus, quos vocant Saturnios. In ſilveſtribus locis traditum eſt ſolitos Fari, à quo Fando Faunos dictos*: ex quo patet Silvanum Faunum dictum, quod in ſilveſtribus locis oracula ederet. Sic Juno vetuſtiſſima Latinorum Dea, & Regina Dearum dicta ex jis quæ prodit Roſinus Antiquit. lib. 2. cap. 6., & ſuo loco referam, parturientium Numen dicitur; alludit ad hoc Propertius lib. 4. Eleg. 1.

Idem ego cum Cinare traheret Lucina dolores
Et facerent uteri pondera lenta moram.
Junonis votum facite, impetrabile dixi
Illa parit, libris eſt data palma meis.

ubi interpretes id ipſum affirmant & Cicero de Natura Deorum lib. 2. *Ut apud Græcos*, inquit, *Dianam, eamque Luciferam, ſic apud nos Junonem Lucinam in pariendo invocant*. An vero ea fuerit Diana Lochia, ut putat Claudius Acantherus apud Tomaſinum cap. 14. an Proſerpina teſte Varrone lib. 4. de Lingua Latina, an Luna, cui mulieres potiſſimum ſupercilia ſua attribuebant ut Varro loco quo ſupra ait; an Juno, quam antiqui Lunæ titulo venerabantur, ut prodit Joannes Seldenus de Diis Syris Syntagm. 2. cap. 2., mihi non conſtat, quamvis Voſſius de Idololatr. lib. 2. cap. 26. ſcribat in Latio mulieres laborantes, non tam Dianam, quam Junonem invocaſſe. Scriptum etiam reperio, fœminas, quæ ſanguinis fluxu in conceptu laborabant, Junoni Fluoniæ ſacra feciſſe, quod eam ſanguinis fluorem in conceptu retinere putarent. Hanc etiam referebant præſidere fluoribus menſtrualibus, & eſſe Jovis filiam, ac privignam Junonis Lucinæ, teſtimonio Feſti lib. 5., de quo fuſius agunt Arnobius lib. 3.

Divus

Digitized by Google

Divus Auguſtinus de Civitate Dei lib.7. cap.2. & 5., & Voſſius de Idololatr. cap.26., ex quibus conjicitur priſcis Latinis Junonem, & Dianam inter ſe diſtincta Numina fuiſse.

Hactenus de prægnantium, & parturientium mulierum Latinarum conſuetudine, nunc dicendum reſtat de cura parentum filios educandi. Ferunt parentes filios ad concordiam, & laborem, ad virtutem, & religionem quaſi ad certum inſtruxiſse patrimonium Caſella de Antiq. Ital. Colon. pag.8. teſte; id ipſum probant exempla, nam ſtatim natis liberis, in lætitiæ ſignum, & voti ſolutionem, poſtes ornabant floribus, lares domeſticos coronabant, iiſque sacrificabant, caſque coronas ſuſpendebant, vetus namque Scholiaſtes Juvenalis id ſcribit ad ea carmina Satyr.9.

Tollis enim, & libris actorum ſpargere gaudes
Argumenta viri, foribus ſuſpende coronas.

& Caſella ubi ſupra confirmat. Dein fata proſpera pueris nuper editis cum voto concepta, tabuliſque obſignata capitibus ſubjiciebant, quæ execrationes parentum vocant Seneca epiſt. 60. Auſonius, & Tertullianus de anima. Ad evertendam autem aciem malignam, & faſcinum, & ne quid eis obeſset, ſive boni ominis cauſa, jis turpiculam rem collo ſuſpendebant ex Varrone lib. 6. de Lingua Latina. Hanc rem Hadrianus Turnebus in Varronem pag.118. ait cranium aſinæ, ſatyricum ſignum, ſeu veretum, & lib.9. adverſar. cap. 29. Satyrion fuiſse, Mercurialis autem de Morb. pueror. lib.1. cap.1. infantium collo ad invidiam depellendam Satyrii ſpeciem, quæ vulgò Orchis fœmina dicitur, appenſam opinatur. At Tomaſinus de Donar. cap.10. eam rem fuiſse ſcribit formam quandam genitalium virilium: quod verum probat mos adhuc conſtans Latinarum mulierum, quæ ſimilem formam collis puerorum, neſcio quo animo appendunt, & Priapus æneus unciculo in ejuſmodi uſum paratus, quem in Muſeis ſe vidiſse teſtatur idem Tomaſinus & ego ſimilem effoſsum Norbæ conſpexi; veteres enim Faſcino vires quaſdam ineſſe credebant, & ideo apud Valerium Maximum lib.4. cap.4. tit.5. legitur, Faſcinum Deum inter ſacra Romana Veſtales coluiſse, & ſub curribus Imperatorum triumphantium pendere conſueviſse, qui Triumphantes tueretur, & invidiæ aliorum medicus eſset. Sic puellis, ne faſci-

faſcinarentur, aliquo dicto ſeu facto occurrebant ut notat Scaliger ad Feſtum verb. *Proſpera*, ubi referens carmina Titinii in Setina ſic dicentis:

Paula mea amabo, Pollulam laudem addito
Præfiſcini.

ait *Præfiſcini* indicare aliquod fieri, aut dici, ut puellarum faſcino occurreretur: Junoni deinde ſobolem commendabant, quam rem teſtantur vetera monumenta apud Tomaſinum cap. 10.

Pueros ſtatim editos mero abluebant, quod vino admoto reſolvi ægritudines putarent, ſi fides danda eſt Plutarcho in vita Lycurgi ubi notare videtur veteres Spartanos, quos Cap. 1. dixi priſcos Latii accolas fuiſſe, hunc morem in Latium invexiſſe, quod clarius affirmat Alexander Genial. lib. 2. cap. 25., & mos vetuſtus, quem nunc etiam Latini ſervant, comprobat. Mater lacte ſuo potius, quam apud coemptas nutrices filium alebat ex Alexandro cap. 25.; maribus nono die poſt quam in lucem editi fuiſſent, fœminis vero octavo, nomina imponebant, nonunquam ſeptimo, iſque dies luſtricus dicebatur. Hac de re apud eos Nundina Dea, à nona die naſcentium nuncupata eſt: qua die certis præmiſſis cæremoniis infantes luſtrare ſolitum fuit ex Macrobio Saturnal. lib. 1. cap. 16., & Feſto verb. *Nundina*, eoque tempore, quo pueros luſtrabant, jis nomina imponebant, & ſæpe tria maſculis, duo vero fœminis, prænomen ſcilicet, nomen, & cognomen: quippè Romanos ab Albanis, Latinis, & Sabinis multiplicandorum nominum conſuetudinem traxiſſe palàm eſt, ut Auctor eſt Valerius Maximus lib. 10. tit. de prænomine & notant Tiraquellus ad Alexandrum Genial. lib. 5. cap. 4., & Beroaldus ad Suetonium in Tiberio: quamvis Varro apud eundem Beroaldum arbitretur Latinis priſcis ſimplicia nomina fuiſſe, exemplo Romuli, Remi, & Fauſti: quod tamen haud verum eſt, quum conſtet Albanis Regibus plura fuiſſe nomina ex jis, quæ diximus Caput 6.. Proditum tamen memoriæ eſt, Antoninum Philoſophum, natos liberos apud Præfectos ærarii profiteri, & tertio die à partu nomina ferre edixiſſe ex Julio Capitolino in ejus vita: quo fit ab illo tempore in poſterum tertio die Romæ, & in Latio nomina liberis natis impoſita.

Subdit

Subdit Scaliger ad Feſtum verbo *Luſtrici dies* lib.9., eo die, quem nominalem vocabant, infantem expiari, & purificari conſueviſſe; ita autem nomen imponebant, eligentes ſcilicet aliquem, qui præeſſet huic nominis impoſitioni, ejuſque quaſi magiſter foret: omina etiam captabant, nam accenſis multis luminibus, unicuique nomen aſſignabant, atque ejus demum, qui, cæteris extinctis ſupervixerat, nomen arripiebant, ac puero imponebant, idque ſua ætate adhuc obſervatum fuiſſe quæritur Divus Chryſoſtomus in 4. cap. ad Corinthios. Si puer mancus, aut deformis naſceretur, in locis vaſtis, & præruptis eum exponebant, quod Spartanos, qui ad Latina littora appulerunt docuiſſe refert Ælianus Var. Hiſtor. lib. 14. cap. 7.. Hinc Romulus Latinorum moribus eruditus, conſtituiſſe dicitur, ut ſi mancum quid editum, aut monſtrificum fuiſſet, ſtatim à partu in flumen aut in mare projiceretur ex Alexandro Genial. lib.2. cap.25.. Veruntamen ex Dionyſio lib. 2. conſtat id Romulum edixiſſe, quod Latini fœtum mutilum, aut monſtruoſum facile exponerent, idcirco ad refrænandam parentum licentiam, is juſſit tales pueros antequam exponerentur oſtendi quinque viris è vicinia proximis, ut ii judicarent, an exponendi eſſent.

Inde primæ adoleſcentiæ juvenes bonis exemplis, artibuſque honeſtiſſimis educabant, plerumque apud patruos, ne nimia parentum indulgentia laſcivirent, quod ex Nonio Marcello de Doctor. indagin. hauſit Alexander lib.2.cap.25.. Ejus rei cauſa ferunt parentes coram infante nil inſolens, aut perniciosum, aut quicquam, quod minus eſſet decorum feciſſe, aut dixiſſe teſte Plutarcho de liber. educan., ubi & illud citat Phocylidis:

Dum tener eſt natus generoſos inſtrue mores.

propterea priuſquam Roma condita eſſet produnt Latinis publica fuiſſe Gymnaſia, ubi juvenes bonis artibus inſtruerentur, loca etiam ubi ii leges ediſcerent; quippè Cicero lib. 1. de Legib. teſtatur more Latino, ſapientes, & ſenes in ſolio conſulentibus reſpondiſſe & legum inſtituta dictaſſe. Dionyſius etiam lib. 2. memoriæ prodit Romulum, & Remum Gabios deportatos, ut Græcis ibi diſciplinis, literis, muſica, tractandiſque more Græco armis imbuerentur, donec pubertatis annos attigiſſent. Magiſtri autem, qui docebant pueros, erant amici,

& propinqui, & ſine mercede, honoris, amoriſque tantum gratia eos inſtruebant, quod & feciſſe Romanos longo ævo conſtat, donec Sp. Carbilius ludum Romæ aperuit, ubi mercede diſcipulos docuit teſtimonio Plutarchi Problem. cap. 59., & Pauli Marſi ad lib. 6. Faſtor. Ovidii.

Gabiis itaque Latini pueri, Spartanorum, Arcadum, & Græcorum more inſtruebantur, ut ait Dionyſius lib. 2., idcirco Etruſcas, dein Græcas literas quas Evander in Latium invexerat ibi ediſcebant; muſicas quoque artes, & vocum concentus, & ad tibiam canendi ad annum uſque trigeſimum: pingendi etiam, quinimmo exercebantur palæſtra, in diſcorum jactu, curſibus, & quotidie in ſaltatione, tanquam ad bella utili, ut greſſu compoſito incederent, & ut concinna fieret motio in congrediendis hoſtibus; hæc enim omnia Latinos pueros feciſſe conſtat ex eodem Dionyſio loco quo ſupra. Porrò ſaltationis diſciplinam in Latium Lacedæmonios invexiſſe palàm eſt ex Athenæo lib. 14. cap. 13. Quintiliano lib. 1. cap. 19., Spartanos autem palæſtræ ſtudium ex Plutarcho in vita Lycurgi, Propertio lib. 3. eleg. 4., Græcos pingendi artem ex Plinio lib. 35. cap. 10.; Arcades, & Lacedæmonios muſicam ex Polybio lib. 4. Plutarcho in vita Lycurgi, Athenæo ubi ſupra. Sic itaque inſtruebantur adoleſcentes dura, horridaque diſciplina, ſobrioque convictu ad laborem, & bonas artes, ut ſeveriſſimis moribus aſſuefierent, neque vitia mentem adhuc rudem inficerent, neve moribus incompoſiti evaderent; unde Cicero in Bruto memoriæ prodit Latium ſemper oratoria arte floruiſſe, & apud Latinos priſcos, oratores illuſtres fuiſſe, qui cauſas oratoria agerent.

Comperimus etiam Albæ, qui pueros Trojæ ludos docerent fuiſſe; id enim ludicrum ab Aſcanio Æneæ filio primum omnium in Latium veniſſe prodit Virgilius lib. 5. Æneidos, ubi ita canit:

Hunc morem curſus, atque hæc certamina primus
Aſcanius longam muris cum cingeret Albam
Rettulit, & priſcos docuit celebrare Latinos:
Quo pater ipſe modo ſecum, quo Troja pubes
Albani docuere ſuos, hinc maxima porro
Accepit Roma, & patrium ſervavit honorem,
Trojaque nunc pueri Trojanum dicitur agmen.

quo

quo loci Servius ſcribit hunc ludum equis celebratum à pueris majoribus, & minoribus turmatim congredientibus, quibus qui præſidebat Princeps Juventutis vocabatur, & ſubdit hæc verba: *Ludus ipſe, quem vulgo Pyrrhicham appellant, Troja vocatur*, idem probant Feſtus lib. 18. Suetonius in Cæſare cap. 39., & de puerorum ludis, de quo tamen plura ſuo loco dicam. Hunc morem Romani pertinaciter ad excidium uſque Imperii ſervarunt; legimus namque Cæſarem duplici turma majorum, minorumque puerorum Trojam luſiſſe; Auguſtum etiam, & Tiberium, Claudium, Neronem, & ſequutos Imperatores, quod ex Suetonio in Cæſare cap. 39. in Auguſto cap. 43. in Tiberio cap. 6. ad finem, in Claudio cap. 21., & in Nerone cap. 7. in principio, atque ex Tacito lib. 11. Annalium, & Dione Nicæo lib. 43. 48. & 51. conſtat.

Puellas lanificio applicabant, ut inde mulieres factæ ei arti operam darent, obſervatumque eſt in Latio nobiliſſimas Matronas manibus ſuis lanam filaſſe, & tunicas feciſſe teſtimonio Dionyſii lib. 3., cui priſco mori alludit Ovidius lib. 2. Faſtor. ad finem, ubi narrat Lucretiam Collatini uxorem à viro, qui cum Sex. Tarquinio noctu Collatiam advenerat, inter ancillas, domi ſuæ, lanæ deditam inventam fuiſſe, ita enim rem explicat:

Inde cito paſſu petitur Lucretia, cujus
Ante thorum calathi, lanaque mollis erat.
Lumen ad exiguum famulæ data penſa trahebant,
Inter quas tenui ſic ait illa ſono.

& paulò poſt:

Deſinit in lacrymis, inceptaque fila remiſit,
In gremio cultum depoſuitque ſuo.

Livius etiam dec. 1. lib. 1.: *Pergunt* (inquit, Sextus ſcilicet, & Collatinus) *inde Collatiam ubi Lucretiam haud quaquam ut Regias Nurus, quas in convivio, luxuque cum æqualibus viderant tempus terentes, ſed nocte ſera deditam lanæ inter lucubrantes Ancillas medio ædium ſedentem invenerunt*: id ipſum prodit Plutarchus in Romulo, quo loci ſcribit in fœdere inter Sabinos, Romanos, ac Latinos icto ſtatutum, ut Romanæ Latinis, Sabiniſque nuptæ, & è contra, neque coquinariam facere, neque molere, ſed tantum lani-

Digitized by Google

ficio operam dare deberent : ex quo conſtat more priſco omnes fœminas in Latio lanæ deditas fuiſſe, ut idem Plutarchus ait Problem. cap.85. Quin apud Matronas lanificium magnæ laudi fuit, lanamque feciſſe mulierem, pudicitiæ, & probitatis ſignum erat, unde Varro apud Plinium lib. 8. cap. 84. tradit lanam cum colo, & fuſo Tanaquilis, & Sandalia in Templo Anci Martii ad ſua tempora adhuc duraſſe ; & Suetonius in Aguſto Octaviano ſcribit eum domeſticis tunicis ab uxore, matre, & ſorore, aut nepte confectis, uſum eſſe.

CAPUT XIV.

De Latinorum Faſtis.

ANtiqui Latii populos non iiſdem Faſtis uſos fuiſſe dilucidum eſt; nam apud Lavinienſes, à quibus Alba, & dein Roma ortæ ſunt, annus treſdecim menſium ſpatio, hoc eſt CCCLXX., vel CCCLXXIV. ut alii, produnt diebus claudebatur, ut auctor eſt Solinus Polyhiſtor. cap.3. quod notant etiam Paulus Marſus ad lib.1. Faſtor. Ovidii poſt principium, Alexander Genial.lib.3. cap.24. & alii. At Cenſorinus de die Natali cap.7. & 15. refert alium fuiſſe annum Ferentinorum, alium Lavinienſium, Albanorum, & Romanorum. Plures perhibent Albanis annum decem menſium fuiſſe, ut M.Varro, Fulvius nobilior, & Junius Gracchus apud Cenſorinum, & Solinus; unde fertur, Romulum Albanorum exemplo Romæ annum decem menſium conſtituiſſe teſtimonio Plutarchi in Romulo, & in Numa, Macrobii Sarurnal. lib.1. cap.12., & Ovidii lib.1. Faſtorum, ubi ſic canit:

Tempora digereret cum Conditor Urbis in anno,
Conſtituit menſes quinque bis eſſe ſuo.

& iterum lib.3. Faſtor.

Annus erat, decimum cum Luna reciperet orbem,
Hic numerus magno tunc in honore fuit.

Sunt etiam qui exiſtiment priſcis Latinis eruditis ab Evandro, & Arca-

Digitized by Google

Arcadibus, qui cum eo in Latium venerunt, annum trium menſium fuiſſe, ita ut quadripartitis temporibus diviſo Solis curſu per ſingula tempora annum efficerent, ſi credimus Solino cap. 3., Macrobio cap. 12., Plinio lib. 7. cap. 48., licet Plutarchus in Numa opinetur Arcades annum quatuor menſibus conſtituiſſe.

Neque deſunt qui ſcribant annum Latinis Romaniſque ſtatim ab initio duodecim menſium fuiſſe, id enim ſcripſiſſe Licinium Macrum, & Feneſtellam docet Cenſorinus de die Natali cap. 8., quod Servii ſententia confirmari poteſt, nam is lib. 3. Æneidos ad illud Virgilii carmen:

Interea magnum Sol circumvolvitur annum.

ita ait; *Poſſumus tamen accipere Trojanos ibi annum duodecim menſium feciſſe*, Plutarchi etiam in Numa, & Macrobii Saturnal. lib. 1. cap. 12. ubi ſcribit omnes ferè Græcos trecentis quinquaginta quatuor diebus annum computaſſe: quo fit Græcanicam gentem, quæ ut Capite 1. diximus, Latium incoluit, hunc morem annum duodecim menſium faciundi in Saturniam Terram invexiſſe. Veruntamen palàm eſſe puto Albanos decem, Lavinienſes treſdecim menſium annum feciſſe: Latinoſque cæteros annum ſicuti Albanos computaſſe adhuc incertum eſt, ſed veroſimile fit pleroſque annum duodecim menſium habuiſſe; quandoquidem probatæ fidei ſcriptores, & quidem antiqui, quos ſupra adduxi probant Romulum exemplo Albanorum, annum Romæ decem menſium conſtituiſſe. Hujus rei cauſam refert Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 16. his verbis: *Latii vero veteres incolæ, quia nihil jam tum diſcere ab Ægypto licebat, ad quam nullus illis commeatus patebat, morem Græciæ in numerandis menſium diebus ſequuti ſunt*: quo fit erudiri haud potuiſſe Latinos ab Ægyptiis, quos annum ſemper duodecim menſium feciſſe conſtat. Id ipſum Ovidius lib. 1. Faſtor. aperuit eo carmine;

Scilicet arma magis, quam ſidera Romule noras.

quo aſſeruit Romulum, & Albanos, à quibus ille anni ſpatium acceperat, annum haud quaquam lunarem, ſed civilem conſtituiſſe, & quidem *quum is numerus neque Solis curſui, neque Lunæ rationibus conveniret, & nonunquam veniebat frigus, anni æſtivis menſibus, & contra calor hyemalibus proveniret*, ut ait Macrobius cap. 12., hinc

hinc factum eſt Albanos, Latinoſque, & dein Romanos tantum dierum ſine ullo menſis nomine abſumpſiſſe, quantum ad id anni tempus adducerent, quo Cœli habitus inſtanti menſi aptus inveniretur, unde ii duos menſes extra ordinem adſciverunt, quorum intercalatione annum civilem cum Solari aut Lunari conciliarent ex Macrobio ubi ſupra, & aliis Romanæ hiſtoriæ Scriptoribus. Ex Plutarcho vero in Numa habetur priſcos Latinos, & Romanos menſes aliquot trigintaquinque, & quadraginta dierum habuiſſe, ita ut annus tercentum ſexaginta dierum eſſet, quorum tamen fas non eſt certam proferre ſententiam.

An vero Latini poſt quam Numa annum duodecim menſium fecit, id exemplum ſequuti ſint, incertum videtur, licet Plutarchus in Numa, & Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 13. memoriæ prodant omnes Urbi finitimos annum juxta ordinem à Numa præſcriptum feciſſe; quippè conjicio pleroſque vetuſtum retinuiſſe morem, quod conſtet Prænestinos ſuos habuiſse faſtos, quos Verrius Flaccus ordinaverat, & marmoreo parieti inciſos publicarat, cujus rei cauſa ſtatuam in parte inferiore fori municipii Prænestini contra hemicyclum promeruit teſte Suetonio de Illuſtr. Grammat., quem refert, & ita intelligit Voſſius de Idololatr. lib. 1. cap. 11.. Apparet etiam Aricinos, Laurentes, & Tuſculanos ſuos ordinaſse faſtos, ut infra dicam: veruntamen neque id quidquam probat, quum hæ Urbes potuerint faſtos habere, quibus feſti, profeſtique dies notati eſsent, & duodecim menſes numerare ſicuti Romani, quod comprobat Prænestinorum factum: ii quippè Tiberii ætate, qua vixit & deceſſit Verrius Flaccus, faſtos ordinarunt, quum palàm ſit, Cæſarem, qui Tiberium anteceſſit, & dein Auguſtum annum duodecim menſium definiviſse, & vagam atque adhuc incertam inconſtantiam temporum in ordinem ſtatæ definitionis coegiſse, ita ut annus Lunaris, & Solaris in poſterum eſset ex Macrobio Saturnal. lib. 1. cap. 14., Plutarcho in Cæſare, Dione, & aliis; unde patet Prænestinos tùm haud valuiſse immutare annum ſtatutum à laudatis Imperatoribus, qui edixerunt cæteris Imperio ſubjectis, unum, eundemque eſse annum, quem ipſi deffiniverant, ut narrant jam adducti. At lectio Suetonii mendoſa eſt, & loco *Præneſte* ibi legendum eſt *prope edem Veſtæ*; loquitur enim

enim Suetonius de Verrio Flacco, qui Romæ faſtos marmori inciſos publicarat, & idcirco ſtatuam habuit Romæ in parte inferiore Fori, ubi Templum Veſtæ extabat, quod docuit poſtea eventus, nam Verrii faſti in ea parte Fori Romani propè Veſtæ Templum effoſſi ſunt, ſicuti Panvinius in Procemio Faſtorum narrat, & commentatores Suetonii animadvertunt.

Hactenus de anno Latinorum, cujus menſes, & menſium nomina hæc traduntur: Martius, Aprilis, Majus, Junius, Quintilis, Sextilis, September, October, November, & December. Nomina vero trium menſium, quos Lavinienſes, præter jam adductos, habuiſſe diximus, facile non eſt proferre, quum nemo antiquorum ea exponat; ſed ex jis, quæ conjici poſſunt infra indicabo. Neque dicas hæc nomina, & hunc menſium ordinem à Romulo fuiſſe inſtitutum, ut putant Romani ſcriptores; quandoquidem ſatis clarum eſt Romulum, annum, menſes, & illorum nomina atque ordinem ab Albanis, vel cæteris Latinis accepiſſe. Enimvero licet Plutarchus in Romulo, & alii tradant, Romulum primum anni menſem Martium nuncupaſſe, eumque patri ſuo Marti dicaſſe, attamen palàm eſt Latinos Martium menſem ante Romulum habuiſſe, illumque Marti ſuo præcipuo Numini devoviſſe, id enim prodit Ovidius lib.3. Faſtorum ubi ſic canit:

Mars Latio venerandus erat, quia præſidet armis,
Arma feræ genti remque decuſque dabant.
Quod ſi forte vacat, peregrinos inſpice faſtos,
Menſis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanis, quinctus fuit ille Faliſcis,
Sextus apud populos Hernica terra tuos.
Inter Aricinos, Albanaque tempora conſtat,
Factaque Thelegoni mœnia celſa manu.
Quinctum Laurentes, bis quinctum Æquicolus acer,
A tribus hunc primum turba Ferentis habet.
Et tibi cum proavis miles Peligne Sabinis
Convenit huic genti quartus utrique Deus.
Romulus hos omnes, ut vinceret ordine ſaltem
Sanguinis auctori tempora prima dedit.

Hinc

Digitized by Google

Hinc patet Martium menſem Marti dicatum Latinos habuiſſe, & Romulum ordinem tantum immutaſſe; quippe quum is menſis Albanis, Aricinis, & Tuſculanis tertius in ordine anni eſſet, Laurentibus vero quinctus, ſicuti Faliſcis, Sextus Hernicis, Ferentinis quartus, uti Sabinis, & Pelignis, Æquicolis vero decimus; Romulus eum menſem primum anni fecit, ut commentatores Ovidii explicant,& præſertim Paulus Marſus, & Alexander Genial.lib.3.cap.24. Latini quippe, & Albani Martem præcipue venerabantur, quoniam antequam Æneas in Latium veniſſet, Faunus Picum patrem Martis cognomento conſecravit, ut Cap.4. & alibi dictum eſt. Æneas vero, & dein ejus filii, qui Albæ regnarunt, Marti Templa, & Aras dicarunt, quod putarent Venerem prius quam Æneam ex Anchiſe generaſſet, conſtupratam à Marte, teſte Lactantio de Falſa Relig. lib. 1. cap.17., quare narrant Albæ vetuſtiſſimum fuiſſe Martis Templum, & Lucum ei ſacratum ex Dionyſio lib.1. pag.62. Plutarcho in Romulo, & aliis.

Quinimmo Feſtus de verbor. ſignific. lib. 11. hoc modo ejus menſis meminit: *Martius*, inquit, *menſis initium anni fuit & in Latio, & poſt Romam conditam, eo quod gens erat bellicoſiſſima, cujus rei teſtimonium eſt, quod poſteriores menſes, qui annum finiunt à numero appellati, ultimum habent Decembrem*: & Plutarchus tradere videtur Numam finitimorum moribus obſequentem, Martium tertium anni menſem feciſſe. Quare ex his intelligitur, Romulum haud quaquam menſium ordinem immutaſſe, ſed in honorem Martis, quem ejus fuiſſe patrem jactabant, initium anni feciſſe à Martio, ut omnibus fere Latinis in uſu erat, non autem à Majo, vel Junonio, ſeu Junio, aut ab Aprili, ut fortaſſe Albani, Aricini, & Tuſculani conſueverant; ego enim arbitror Tuſculanis primum anni menſem Majum fuiſſe ex infra dicendis, Albanis, & Aricinis Aprilem in memoriam Veneris, quam genitricem appellabant, atque ab ea ſe genus ducere credebant. Reliquis vero Latinis qui Albam conditam præceſſerunt, Martium in honorem Martis, ſeu Pici, quem loco Martis venerabantur anni principium fuiſse opinor, ut ita locus Ovidii reſpondeat altreri Feſti.

Haud ſecus Aprilem menſem Latini habuerunt priuſquam Roma

Roma conderetur, eum namque vocarunt *Aphrilem* à ſpuma maris, quam Græci Ἀφρὸν dicunt, unde orta Venus creditur & ſic ab Æneæ matre, id enim teſtantur Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 12., Varro lib. 5. de Lingua Latina, Plutarchus in Numa, & præ cæteris Ovidius lib. 4. Faſtorum:

Venimus ad quartum, quo tu celeberrima menſem,
Et vatem, & menſem ſcis Venus eſſe tuos.

& infra ſic pergit:

Sed Veneris menſem Grajo ſermone notatum,
Auguror. à ſpumis eſt Dea dicta maris.
Nec tibi ſit mirum Græco rem nomine dici,
Itala nam tellus Græcia major erat.
Venerat Evander cum plena claſſe ſuorum,
Venerat Alcides; Grajus uterque fuit.
Hoſpes Aventinis armentum pavit in arvis
Claviger: & tanto eſt Albula pota Deo.
Dux quoque Neritius: teſtes Leſtrygones extant,
Et quod adhuc Circes nomina littus habet.
Et jam Thelegoni, jam mœnia Tiburis udi
Stabant: Argolicæ quæ poſuere manus.
Adjice Trojanæ ſuaſorem Antenora pacis,
Et generum Oeneiden, Appule Daune, tuum.
Serus ab Iſiacis, & poſt Antenora, flammis
Attulit Æneas in loca noſtra Deos.

& paulò poſt

Quo non livor adit! ſunt qui tibi menſis honorem
Eripuiſſe velint, invideantque Venus.

Hinc rejicies eos, qui nomen Veneris nunquam auditum Romuli ætate affirmant, negantes hunc menſem Veneri ſacrum, ut Cincius, & Varro. Poſt quam cauſam erroris eorundem adduxit Ovidius, ſic canit:

Rite Deam colitis Latiæ Matreſque, Nuruſque,
Et vos, quis vittæ longaque veſtis adeſt.

Unde habetur, Ovidium palàm affirmare hunc menſem Latinos priſcos habuiſſe & à Venere, cui is menſis ſacer erat, nuncupaſſe. Habetur

etiam Romanos opinionem Cincii haud quamquam hunc menſem à Venere dictum narrantis, falſam, & Veneri contumelioſam putaſſe, quod etiam ex Macrobio lib. 1. cap. 12. conjicitur, & ſupra Cap. 9. fuſius probatum eſt.

Majum itidem menſem ante Romulum Latinam gentem in faſtis numeraſſe ſatis conſtat, quandoquidem Feſtus lib. 11. ita ait: *Majus menſis in compluribus Civitatibus Latinis ante Urbem conditam fuiſſe videtur, qua ex cauſa utrùm à majoribus, ut Junius à junioribus dictus ſit, an à Maja, quod Mercurio filio ejus res divinæ . . . fiant ſolemnes, an quod ipſi Deæ in multis Latinis Civitatibus ſacrificia fiebant ipſo menſe . . .* quæ hic deſunt ſic ſuppleri poſſunt, *quod Mercurio filio ejus res divinæ Idibus fiant ſolemnes*. Subdit eodem lib. 11. Feſtus, Oſcos etiam habuiſſe hunc menſem ab eis dictum Mœſium: *Mœſius lingua Oſca menſis Majus, Oſci enim à regione Campaniæ, quæ eſt Oſcos vocati ſunt*; id ipſum ſcribit Servius ad Virgilium lib. 1. Georgic. ad illud:

Vere novo, gelidus canis cum montibus humor
Liquitur.

Majus, is inquit, *à Maja, Junius à Junone, quamquam alii à majoribus, & junioribus hos duos menſes velint eſſe nominatos*: & referunt Plutarchus in Numa, & fuſius Macrobius Saturnalium lib. 1. cap. 12.: *Sunt*, is ait, *qui hunc menſem ad noſtros faſtos à Tuſculanis tranſiſſe commemorent, apud quos nunc quoque vocatur Deus Majus, qui eſt Juppiter à magnitudine ſcilicet, ac Majeſtate dictus. Cincius menſem nominatum putat à Maja, quam Vulcani dicit uxorem, argumentoque utitur, quod Flamen Vulcanalis Kalendis Maii huic Deæ rem divinam facit, ſed Piſo uxorem Vulcani Majeſtam, non Majam dicit vocari. Contendunt alii Majam Mercurii matrem menſi nomen dediſſe, hinc maximè probantes, quod hoc menſe Mercatores omnes Majæ pariter Mercurioque ſacrificant. Affirmant quidam, quibus Cornelius Labeo conſentit, hanc Majam cui res divina celebratur, terram eſſe hoc adeptam nomen à magnitudine, aſſertionemque æſtimationis ſuæ etiam hinc colligunt, quod ſus prægnans ei mactatur, quæ hoſtia proprie eſt terræ.*

Hinc fides haud danda eſt iis qui commemorant hunc menſem à majo-

majoribus Romuli nomen traxiſſe, quum conſtet ante Romulum, Oſcos, Tuſculanos, & Latinos omnes eum Majæ ſacraſſe, ut Commentatores Feſti probant. Quoniam vero antiqui contendunt de Dea, cui is menſis ſacer eſſet, & à cujus nomine nuncupatus eſt, quamquam ſciam Plutarchum in Numa, & plures apud Macrobium mox adductum exiſtimare Majam fuiſſe matrem Mercurii, Ovidium itidem lib. 5. Faſtorum:

At tu materno donaſti nomine menſem
Inventor curvæ, furibus apte, fidis.

& lib. 6.

An potuit Majo pellex dare nomina menſi?
Hic honor in nobis invidioſus erit?

ego arbitror eam Deam fuiſſe Faunam, ſeu Fatuam ſororem, & uxorem Fauni Latinorum Regis, quæ Maja, & Bona Dea dicta eſt. Quandoquidem ſuperiori Capite latè id probavi, & Majam matrem Mercurii difformem ab hac dixi, & conſtat ex Macrobio lib. 1. cap. 12., hanc fuiſſe Cornelii Labeonis, & Varronis ſententiam: en Macrobii verba: *Auctor eſt Cornelius Labeo, huic Majæ ædem Kalendis Maiis dedicatam ſub nomine Bonæ Deæ, & eandem eſſe Bonam Deam, & terram ex ritu occultiore ſacrorum doceri poſſe confirmat; hanc eandem Bonam Deam, Faunamque, & Opem, & Fatuam Pontificum libris indigitari*: & infra: *Varro Fauni filiam eſſe tradit*: idque Paulus Marſus commentator Ovidii lib. 5. Faſtorum comprobat ad illa carmina:

Quo feror? Auguſtus menſis mihi carminis hujus
Jus habet, interea Diva canenda Bona eſt.

Argumenta vero, ex quibus Cincius, & alii apud Macrobium Majam Vulcani uxorem fuiſſe contendunt, id non evincunt, quum appareat Latinos, & Romanos Majo menſe, Majæ ſub nomine Bonæ Deæ ſacrificaſſe ex jam adductis.

Quare intelliges opinionem antiquorum referentium Tuſculanos unicè Jovem, Majum nuncupaſſe, & ab eo menſis nomen derivatum, ut Macrobius narrat, ſpernendam haud quaquam eſſe, ſi conſideres Faunam uxorem Fauni, Majam à Latinis dictam, unde Faunus vir Faunæ, quem fortaſſe ſub Jovis nomine Tuſculani venera-

bantur ab jis Majus dici potuit. Is fuit error Latinorum, & dein Romanorum, ut Reges priſcos conſecrarent, jiſque nomina immutarent, ne homines fuiſſe viderentur ex Lactantio Cap. 4. adducto. Idcirco Latinum Jovem Latiarem, Æneam Jovem Indigetem, Aſcanium Æneæ filium Jovis filium, & Jovem dixerunt, & coluerunt ex relatis Cap.5.; quemadmodum enim Latini, & Romani Diis plura nomina dabant, & Faunum Silvanum, & Inuum nuncuparunt, ut Cap.4. dictum eſt, ſic contigiſſe credo, Tuſculanos Faunum Majum, & Jovem vocaſſe, quum ejus uxorem Faunam conſecratam, Majam, & Bonam Deam ii cæterique Latini,& dein Romani dixerint: ex quibus, ni fallor, Labeonis opinio conſentit aliis, qui apud Macrobium Majum menſem, Jovi, qui Majus dictus eſt, à Tuſculanis ſacratum affirmant. Neque me terret, eundem Labeonem narraſſe hanc Majam Terram eſſe; quippè hæc erant gentium figmenta; ſicuti enim Latini Saturnum priſcum Latii Regem Cælum dicebant, & Opim ejus uxorem Terram; Janum quoque & Veſtam, ignem, & ſpiritum, quo vivimus, & ſimilia; ita laudantes falſa Numina, jiſque tribuentes terrena, aut cæleſtia, deinde de eorum origine diſputabant & nominibus, ac fabulis, atque erroribus omnia involvebant. Hac itaque de cauſa potuerunt Bonæ Deæ, quæ eadem eſt ac Maja, & Fatua, ſeu Fauna Fauni ſoror, ſeu ut alii produnt filia, & uxor, Terræ potentias tribuere, quemadmodum Macrobio teſte, Junonis quoque vim ei attribuerunt. Hæc tamen de Fauno me dixiſſe velim, non tanquam vera, ſed veroſimilia, & Tuſculanorum faſtis magis conſentanea, præſertim quum conſtet Romanos fabulis cultum priſcorum Latii Regum obumbraſſe exemplo Latini, quem Jovem Latiarem dictum, & in Monte Albano feſtis, & feriis celebratum poſteri ignoraſſent, ni Feſtus id indicaſſet ex jis, quæ notavi Cap.8.

Quod Junium itidem menſem Romulus à Latinis acceperit, in comperto eſt; id enim teſtatur diſertiſſime Ovidius lib.6. Faſtorum, ubi poſtquam eum menſem Junonium dictum, & à Latinis priſcis Junoni dicatum expoſuit, his carminibus rationem hujus rei adducit:

Inſpice quos habeat nemoralis Aricia faſtos,
Et Populus Laurens, Lanuviumque meum.

Eſt

Eſt illic menſis Junonius, aſpice Tibur,
Et Præneſtinæ mœnia ſacra Deæ;
Junoniſque leges tempus, nec Romulus illas
Condidit.

Ergo ex his intelligitur ante Romam conditam in faſtis Aricinorum, Laurentium, Lanuvinorum, Tiburtinorum, & Præneſtinorum menſem Junonium fuiſſe notatum. Id ipſum probat Macrobius Saturnalium lib. 1. cap. 12., qui referens Cincii ſententiam, hæc habet: *Aut ut Cincius arbitratur quod Junonius apud Latinos ante vocitatus, diuque apud Aricinos, Præneſtinoſque hac appellatione in faſtos relatus ſit, adeo ut ſicuti Niſus in Commentariis Faſtorum dicit, apud majores quoque noſtros hæc appellatio menſis diu manſerit, ſed poſt detritis quibuſdam literis ex Junonio, Junius dictus ſit, nam & ædes Junonis monetæ Kalendis Junii dedicata eſt*: Plutarchus itidem hunc menſem à Junone dictum prodit, & Panvinius lib. 1. Faſtor. pag. 138. eum à Latinis in Romanos derivaſſe oſtendit.

Facile ergo interpretaberis Feſtum lib. 10. ubi ita ſcribit: *Junium menſem dictum putant à Junone, iidem ipſum dicebant Junonium, & Junonialem*: id eſt iidem Latini, qui Junium menſem à Junone dixerunt, illum Junonium, & Junonialem appellarunt; Lanuvii quippè, Ariciæ, Tiburi, Præneſte, & Laurenti Templa erant vetuſtiſſima in honorem Junonis condita, ut ſuo loco referam; immo Laurentes, priuſquam Alba conderetur, omnes Kalendas Junoni conſecraverant, & Templum Junoni Kalendari dicaverant, cui omnibus Kalendis à menſe Martio ad Decembrem ſupplicabant ex Macrobio Saturnalium lib. 1. cap. 15. ad finem: *Ut autem*, is ait, *Idus omnes Jovi, ita Kalendas Junoni tributas, & Varronis, & Pontificalis affirmat auctoritas, quod etiam Laurentes patriis religionibus ſervant, qui & cognomen Deæ ex cæremoniis addiderunt, Kalendarem Junonem vocantes, ſed & omnibus Kalendis à menſe Martio ad Decembrem huic Deæ Kalendarum die ſupplicant.*

Ex quibus Macrobii verbis palàm fit, ante Romam conditam, à Laurentibus, & Latinis univerſis menſes ſequentes, ſcilicet Quintilem, Sextilem, Septembrem, Octobrem, Novembrem, atque Decembrem in faſtos fuiſſe relatos, quippè dum Laurentes à menſe Martio

tio ad Decembrem Junoni Kalendari omnibus Kalendis ſacrificabant, idque faciebant, ut patrias cæremonias, id eſt vetuſtiſſimos ritus à majoribus proditos ſervarent, ut Macrobius ait; clarum eſt Decembrem menſem jis fuiſſe: qui menſis quum dictus ſit à numero, quod decimus eſſet, hinc comperimus eos alios habuiſſe menſes à numero dictos, & computatos, quod idem Macrobius præcedenti Cap. 12. affirmare videtur; & tradunt ſupra adducti Scriptores, qui produnt annum, & menſes, ac ordinem anni Romulum à Latinis accepiſſe.

Alexander Genialium lib. 3. cap. 25. menſes jis Numinibus dicatos fuiſſe ſcribit; Januarium Junoni, Neptuno Februarium, Minervæ Martium, Aprilem Veneri, Majum Apollini, Junium Mercurio, Jovi Quintilem, quem Julium dicimus, Cereri Sextilem, qui nunc Auguſtus, Vulcano Septembrem, Marti Octobrem, Dianæ Novembrem, & Veſtæ Decembrem. Hæc tamen Alexandri opinio haud vera deprehenditur, quandoquidem prætermiſſis Januario, & Februario, de quibus infra plura dicam, compertum eſt Martium non Minervæ, ſed Marti, Majum non Apollini, ſed Majæ & Majo; Junium Junoni non autem Mercurio ſacros fuiſſe ex ſupra adductis. Decembrem quoque non Veſtæ, ſed Saturno dicatum meminit Macrobius Saturnalium lib. 1. cap. 7. quamquam Plutarchus Problem. cap. 33. Alexandro conſentiat. Cæterum an October Jovi ſacer eſſet, mihi non conſtat, niſi ex Feſto lib. 14. qui hoc menſe equum Jovi mactatum tantummodo ſcribit, de quo Capite ſequenti fuſius agam, quum alii ſuſpicentur eum menſem Jano dicatum, quod tamen in tanto rerum vetuſtarum diſcrimine haud facilè affirmo.

His poſitis videndum ſupereſt, an Januarius, & Februarius in faſtos alicujus Latini populi priuſquam Numa Romæ imperaſſet, relati eſſent. Hos menſes Albanos, alioſque Latinos, qui annum decem menſium fecerant, haud habuiſse ſuſpicamur. Veruntamen Lavinienſes, qui treſdecim numerabant menſes, Januarium, & Februarium in faſtos ſuos retuliſse conjicitur, quod Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 7. poſtquam ſcripſit Saturnum, & Janum Latinis priſcis, & Aboriginibus imperitaſse, & Latii Oppida communi opera condidiſse, ut probaret, hæc notatu digna refert: *Etiam illud in promptu eſt*,

eſt, quod poſteri quoque duos eis continuos menſes dicarunt, ut December ſacrum Saturni, Januarius alterius vocabulum poſſideret: hinc colligitur priſcos Latinos Jano antiquiſſimo Regi unum menſem ab ejus nomine Januarium dictum, dicaſse; at quum conſtet Albanos, & alios Latinos populos, quos nominavimus, annum decem menſium feciſse, neque inter eos Januarium numeraſse, hinc ducimur ad affirmandum eum menſem in Lavinienſium faſtis fuiſse notatum; enimvero Laurentes, quorum parens Picus dicitur, Faunus, ſiue Picus idem, edocuit Janum, & Saturnum, cæteroſque Regiæ ſobolis Viros, & Mulieres venerari, unde veroſimile eſt Laurentes Latini ætate Lavinium traductos, in honorem Jani menſem hunc Januarium nuncupaſse, idque etiam arguitur quod treſdecim menſium annum iidem fecerint, unde facilè eſt eos unum illorum, Januarium à Jano nuncupaſse. Porrò ſi hoc non eſset, Macrobius falſo aſſereret Latinos priſcos unum integrum menſem Jano ſacraſse, & ab ejus nomine appellaſse: quod ſi dicas Macrobium apertè non affirmare, facilè redargueris, ſi conſideres laudato Cap. 7. Macrobium probare, Jani, & Saturni cultum, Saturnalium quoque dierum ſolemnia, & his ſimilia è Latinis priſcis in Romanos propagata. Quamobrem nimis oſcitanter, quin ineptè is hujus cultus vetuſtiſſimi cauſam oſtendere ſatagens, eam eſse protuliſset, quod poſteri Januarium à Jano nuncupaverint, ſi menſis tale vocabulum Numæ tantum ætate poſsediſset: quinimmo Numæ meminiſset, & Romanorum, & quemadmodum is eo loci memorat poſteros Saturno, & Jano duos continuos menſes dicaſse, Decembrem ſcilicet, & Januarium, & nemo eſt, qui inficiari poſſit Decembrem à Latinis priſcis Saturno ſacrum factum longè ante Romam conditam, ut ſupra dictum eſt, hinc ſcimus Macrobium de Latinis priſcis verba feciſse.

Neque dicendum Plutarchum in Numa, Ovidium lib. 1. Faſtor., Cenſorinum, & alios, quin & Macrobium ipſum eodem lib. 1. cap. 13. referre, Numam hunc menſem anno Romanorum accenſuiſse; quippè Romani id ſcripſerunt, ut hanc laudem Numæ darent: hac de cauſa prodiderunt etiam Romulum annum reperiſse, & nomina menſibus dediſse, cum conſtet eum, annum, menſes, eorumque ordinem à Latinis accepiſse, ut jam probavimus. Cæterum Plutarchus in Numa

Numa à pluribus proditum affirmat Romuli ætate Januarium, & Februarium menſes in Romanorum faſtos relatos, & Macrobius laudato Cap.13. ordinationem Numæ Romæ factam refert, & teſtatur tantummodo eum Regem menſibus quos Romulus definierat, Januarium, & Februarium addidiſse, ex quibus non infertur Laurentes, & Lavinienſes Januarium haud habuiſse; Romulus enim, ut diximus, annum Romæ conſtituit ſecundum morem Latinorum, ſed plura carpſit ab Albanis, quædam ab Aricinis, Laurentibus, Lavinienſibus, & Tuſculanis, vel aliis Latinis populis, cum quibus ideo ſingulis haud conſenſit in pluribus; quamobrem quamvis is ſciret Lavinienſes treſdecim menſium annum feciſse, attamen Romæ eum decem menſium conſtituit ut ſupra dictum eſt.

Præterea neque ſcripta reperio nomina menſium, quos Laurentes habebant, nam diximus jis Martium qnintum in ordine fuiſse, at non ſcimus Majum, aut Aprilem jiſdem innotuiſſe, & facilè eſt, priuſquam Æneas Veneris Numen in Latium invexiſſet, eos loco Aprilis à Venere Aphrodite ſic dicti, Januarium computaſſe, ſeu (quod eſt veroſimilius) poſt Decembrem, numeraſſe Januarium, & ſic duodecim menſium annum feciſſe, Lavinienſes præſertim, quibus annus, ut dictum eſt, treſdecim menſium fuit, ut infra ex Plutarcho patebit. Ejus quoque rei indicio eſt quod Scriptores Romani memoriæ prodiderunt, Numam Februarium addidiſſe, quum tamen Latinis hic menſis, ejuſque cauſa innotuiſset, ſi Feſto, & Varroni credimus; Feſtus enim lib.6. ita rem enucleat: *Februarius menſis dictus quod tum, ideſt extremo menſe anni, populus februaretur, ideſt luſtraretur, & purgaretur, vel à Junone Februata, quam alii Februalem, Romani Februlim vocant, quod ipſi eo menſe ſacra fiebant, ejuſque feriæ erant Lupercalia, quo die mulieres februabantur à Lupercis amiculo Junonis, ideſt pelle caprina, quam ob cauſam is quoque dies Februatus appellabatur: quæcumque denique purgamenti cauſa in quibuſcumque ſacrificiis adhibentur, februa appellantur, id vero quod purgatur dicitur februatum*: Varro autem lib. 5. de Lingua Latina ita loquitur: *Rex cum ferias menſtruas Nonis Februariis edidit, hunc diem Februatum appellat: Februum Sabini purgamentum, & in id ſacrum noſtris verbum, nam & Lupercalia, februa-*

bruatio, ut in antiquitatum libris demonſtravi: & paulò poſt: *Prior à Principe Jano Januarius appellatur, poſterior ut jidem dicunt Scriptores ab Diis Inferis Februarius appellatus, quod tum bis parentetur. Ego magis arbitror Februarium à die Februato, quod tum februatur populus, ideſt Lupercis nudis luſtratur antiquum Oppidum Palatium gregibus cinctum.*

Ovidius etiam lib. 2. Faſtorum clarius idipſum explicat his carminibus:

Ipſe ego Flaminiam poſcentem Februa vidi,
Februa poſcenti pinea virga data eſt.
Denique quodcumque eſt, quo corpora noſtra piantur,
Hoc apud intonſos nomen habebat avos.
Menſis ab his dictus, ſecta quoque pelle Luperci
Omne ſolum luſtrant, idque piamen habet.
Aut quia placatis ſunt tempora pura ſepulcbris
Tunc quum Ferales præteriere dies.
Omne nefas, omnemque mali purgamine cauſam
Credebant noſtri tollere poſſe ſenes.
Græcia principium moris dedit, illa nocentes
Impia luſtratos ponere facta putat.

& paulò poſt.

Sed tamen antiqui ne neſcius ordinis erres
Primus ut eſt Jani menſis, & ante fuit.
Qui ſequitur Janum, veteris fuit ultimus anni,
Tu quoque ſacrorum, Termine, finis eras.

inde Ovidius pergit, & hujus menſis cauſam quærit, aitque hunc morem Evandrum Arcadum ducem in Latium invexiſſe.

Itaque Ovidius verſibus prædictis ſatis expreſſit menſes Januarium, & Februarium à priſcis Latinis Roma haud condita eodem nomine dictos, & in faſtos relatos: quin ex Varronis ſententia dilucidum fit id nomen à Sabinis derivaſſe, eoque menſe Arcades, qui Palatium incolebant, hoc genere luſtrationis, quo luſtrabatur populus, nudis Lupercis uſos fuiſſe, quod Plutarchus in Numa & Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 13., qui hunc menſem Numæ ordinationi attribuunt, negare auſi non ſunt, ii enim ſcribunt, Numam Februarium

 dicaſſe

dicaſſe Februo Deo, qui luſtrationum potens credebatur, & Lupercalia eo menſe feciſſe, mortuiſque parentaſſe. Quum igitur is Deus, & id nomen, luſtrationis cauſſa, Lupercalia, & Parentalia à Sabinis, & Latinis priſcis manaverint, ut latius Capite ſequenti explicabimus, palàm eſſe videtur Februarium, ſeu Februarum Sabinis, & Latinis innotuiſſe priuſquam Numa eum menſem inſtitueret.

Hac de cauſſa, ut Plutarchus teſtatur Problem. cap. 18., non deſuerunt vetuſtiſſimi Romani Scriptores, qui monumentis mandarint, Annum apud pleroſque Latii populos eo ordine ſtatutum fuiſſe, ut Martius primus anni menſis eſſet, December decimus, Januarius undecimus, & Februarius, quo purgationibus utebantur, & mortuis parentabant annum definiret: quem ordinem Numa immutavit, & Januario inter menſes principatum dedit, Februario vero ſecundum in ordine fecit: cujus rei cauſſa fama prævaluit, Numam hos menſes addidiſſe; quum re vera is auctor prædictorum menſium non eſſet, ſed tantummodo eos anno Romuli adjeciſſet, unde menſis Januarius Jano, non Junoni, & Februarius Februo Deo, non Neptuno, quod tamen Alexander putat, dicati fuerunt. Cæterum teſtimonio Macrobii lib. 1. cap. 12. & 13., Numæ ordinatio Latinis placuit, idcirco illi totidem diebus, ideſt 354. & dein 355. uno die addito, totidemque menſibus, duodecim ſcilicet, Annum ſuum computare cæperunt, in hoc ſolo diſcrepantes, quod menſes undetricenum, tricenumque numero alternaverunt; licet Numa Januario, Aprili, Junio, Sextili, Septembri, Novembri, & Decembri undetricenos dies; Martio vero, Majo, Quintili, & Octobri tricenos dies, & Februario viginti octo dies aſſignaſſet, quod referunt etiam Cenſorinus cap. 15., Solinus lib. 1. cap. 3., Plutarchus in Numa, & alii apud Panvinium in lib. 1. Faſtor. pag. 140.. Quinimmo quamvis poſt additos Anno Januarium, & Februarium, Quintilis menſis, quem nunc Julium vocant, ſeptimus in ordine eſſet, attamen placuit eundem, & ſequentes vetuſtis nominibus appellari teſte Macrobio loco indicato.

Hunc morem retinuit Latina gens, donec ad Cæſarum tempora ventum eſt, quibus Augeſti ætate quædam officioſæ in eum Latii Urbes, quo die ad illas primum is Imperator veniſſet, anni initium fecerunt, ut Suetonius in ejus vita auctor eſt: quin Nerone regnante, Sena-

Senatus cenſuit, ut Decembri menſe, quo in lucem editus erat, Anni principium fieret ex Tacito lib. 13. Annal.; factum etiam eſt, ut Cæſares menſibus quoque ſua nomina imponerent: ſic Quintilem, legem ferente M. Antonio M. Filio Conſule, Julium à Julio Cæſare dixerunt ex Suetonio in ejus vita cap. 76. & Macrobio Saturnal. lib. 1. cap. 12., qui decretum Senatus refert. Sextilem Auguſtum ab Octavio Auguſto nuncuparunt ex Ovidio lib. 4. Faſtor. Suetonio in Auguſto cap. 31. & Macrobio. Horum exemplo nonnulli ex Imperatoribus perpetua felicitate inſolentes, & favore imperitæ multitudinis ducti, idipſum facere auſi ſunt: nam legimus apud Suetonium in Caligula cap. 15., hunc, Septembrem Germanici appellatione in memoriam Patris invaſiſſe, Domitianum etiam Septembrem, & Octobrem ex appellationibus ſuis Germanicum, & Domitianum tranſnominaſſe, quod is altero ſuſcepiſſet imperium, altero natus eſſet ex eodem Suetonio in Domitiano cap. 13. Plutarcho in Numa; ita Claudius Majum à ſuo nomine dixit ex Tacito lib. 16. Annalium, Nero etiam Aprilem, Neroneum appellari juſſit ex eodem Tacito lib. 15. ad finem, & iterum lib. 16.: & Tacitus Septembrem, Tacitum in faſtos referri voluit ex Flavio Vopiſco in ejus vita ad finem. Commodus autem Antoninus uno non contentus menſe, plurium nomina invaſit, is quippè Auguſtum Commodum, Septembrem Herculeum, Octobrem Invictum, Novembrem Exſuperatorium, Decembrem Amazonium vocavit, ut teſtatur Lampridius in Vita illius, licet aliter prodant Eutropius lib. 8. cap. 7., Dion in vita ejuſdem, & Herodianus lib. 1.

At ubi infauſta vocabula Domitiani, Caligulæ, Commodi, & Neronis ex omni ære, vel ſaxo eradi placuit, aut infamia notari, menſes quoque uſurpatione tyrannicæ appellationis exuti ſunt, ut Suetonius, & Macrobius teſtantur: idcirco præter Julium, & Auguſtum, quos vulgi opinio, & Optimatium conſenſus laudatis Cæſaribus conſecravit, cæteri menſes veterem appellationem, mortuis jis, qui eos invaſerant, retinuerunt. Hujus timore Tiberius ne September ſuo nomine, neve October Livius vocaretur apud populum interceſſit, & pervicit teſtimonio Suetonii in vita illius cap. 26.; veruntamen Antoninus Pius, ne ſuperbiret, ſententiam Senatus, qua

Z 2 men-

menſes Septembrem, & Octobrem Antoninum, & Fauſtinum appellari decreverat, modeſte reſpuit ex Julio Capitolino in ejuſdem vita, idque à pluribus Principibus factum fuiſse ait Macrobius, quod crederent priſca nomina menſibus immutari, ominoſum eſse.

Quot autem partes diei, & noctis apud Latinos eſsent, penes Cenſorinum de die Natal. cap. 19., Macrobium lib. 1. cap. 3. & alios invenies. Id ergo ſolum notandum ſupereſt, Latinos diem ita diviſiſſe: primum tempus diei, id ſpatium, quo media nox inclinat dixerunt, deinde Gallicinium, inde conticuum, quum & Galli conticeſcunt; dein diluculum, id eſt cum inciperet dies dignoſci; inde mane, quum dies clarus eſset. Mane dictum putat Feſtus lib. 11. à Diis manibus, Varro lib. 5. de Ling. Latina, quod tum manaret dies ab Oriente. Macrobius vero lib. 1. Saturnal. cap. 3. ab omine boni nominis, nam priſci Latini, maximè Lanuvini, mane pro bono dicebant, & immane pro non bono, cui idem Varro ubi ſupra conſentit, ſcribens Latinos priſcos bonum, *manum* vocaſse, ut etiam tradunt Servius ad lib. 3. Æneidos, & idem Feſtus eodem lib. 11., ubi ita ait: *Manuos in carminibus ſaliaribus Ælius Stilo ſignificare ait bonos*: & infra: *Dii manes pro bonis dicuntur ut immanes quoq; pro valde non bonis dicuntur*, forſan legendum *manos*, non *manuos*, cum in carmine ſaliari eſset *Cerus manus*, ideſt *Creator bonus*, vel *Bonus Genius* ut Scaliger, & Dacerius in Feſtum produnt; Manium enim Latini appellabant qui mane natus eſset teſte eodem Feſto verbo *Manius*.

Deinde de mane, ad meridiem tranſitus fiebat, hoc eſt ad medium diei: Latini autem id tempus dixerunt *Medidiem* ut auctor eſt Varro de Lingua Latina lib. 5., ubi refert Præneſte in vetuſtiſſimo Solario quod in foro exiſtebat, horam, qua medius dies indicabatur ſe ita notatam vidiſse; quod & Macrobius in Somnio Scipionis lib. 2. cap. 5. teſtatur; unde Feſtus lib. 11.: *Medialem*, inquit, *appellabant hoſtiam atram, quam meridie immolabant*, quo probatur Latinos Medialem pro Meridiali dixiſse tempus autem, quod ſupererat uſque ad noctem, Sol Occaſus, vel Solis Occaſus dicebatur. Inde ſuprema tempeſtas, dein veſpera, quod nomen Latinam gentem à Græcis priſcis Latii accolis traxiſse conſtat ex Macrobio Saturnal. lib. 1. cap. 3.. Hæc attigiſse ſufficiat, ut Annum, Menſes, & Diei partes è Latinis

priſcis

Digitized by Google

priſcis in Romanos derivaſse pateat, nam cætera tacemus, quum Cenſorinus, Macrobius, aliique Romani Scriptores fuſius de hac re agant, neque notum ſit Latinos, antequam Roma conderetur, in tot partes noctem, & Menſes in Quintanas, & Septimanas, ſicuti Quirites, diviſiſse.

CAPUT XV.

De Calendario Latinorum.

CAlendas, Idus, & Nonas Romanos à Latinis mutuaſse, teſtatur Ovidius lib. 1. Faſtor. ubi ſic canit:

Vendicat Auſonias Junonis cura Calendas,
Idibus alba Jovi grandior agna cadit.

unde Calendæ, Junoni in Latio, quod Auſones tenuerunt, & ſic in priſco Latio, Idus vero Jovi ſacratæ fuerunt, quod & Macrobius Saturnal. dierum lib. 1. cap. 15. clarius exponit, ubi, ut ſuperiori Capite diximus, memoriæ mandavit, Laurentes patriis religionibus edoctos, Junoni cognomentum *Calendaris* addidiſſe, quod ei omnibus Calendis à menſe Martio ad Decembrem, porca, vel agna immolata ſupplicarent, & Calendarem Deam dicerent: ſubdit etiam hæc notatu digna: *A qua* (Junone ſcilicet) *etiam Janum Junonium vocatum eſſe diximus, quod illi Deo omnis ingreſſus, huic Deæ cuncti calendarum dies videntur adſcripti, quum enim initia menſium majores noſtri ab exortu Lunæ ſervaverint, jure Junoni addixerunt Calendas, Lunam, ac Junonem eandem putantes*: & paulò infra: *Juno autem aeris arbitra eſt, merito initia menſium, id eſt Calendas huic Deæ conſecraverunt.*

Ex his ſequitur ritum, & nomen Calendarum à Laurentibus in Romanos derivaſſe, non autem, ut putat Macrobius à Romanis inventum, quamvis enim is ita ſcribat: *Priſcis ergo temporibus, antequam faſti à Cn. Flavio Scriba invitis Patribus in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc Provincia delegabatur, ut novæ Lunæ principium obſervaret, aſpectam viſamque Regi ſacrificulo nuntiaret, itaque ſacrificio à Rege, & minore Pontifice celebrato,*

brato, idem Pontifex Kalata, ideſt vocata in Capitolium plebe juxta Curiam Kalabram, quæ caſæ Romuli proxima eſt, quot numero dies à Calendis ad Nonas ſupereſſent pronunciabat, & quintanas quidem dicto quinquies verbo voco, ſeptimanas repetito ſepties prædicabat, & hunc diem, qui ex his diebus, qui Kalarentur primus eſſet, placuit Calendas vocari. Ideo autem minor Pontifex numerum dierum, qui ad Nonas ſupereſſent Kalando prodebat, quod poſt novam Lunam oportebat Nonarum die, populares, qui in agris eſſent confluere in Urbem accepturos cauſas feriarum à Rege ſacrorum, ſcripturoſque quid eſſet eo menſe faciendum: quod etiam referunt Varro lib. 4. & 5. de Lingua Latina, Cenſorinus, & alii. Attamen, ſi ex Ovidio, & Macrobio compertum eſt Calendarum nomen, & inſtitutum vetuſtiſſimum fuiſſe Latinis, & Laurentibus priuſquam Roma conderetur, aſſequimur Calendas dictas haud fuiſſe quod Kalata, ideſt vocata eſſet eo die plebs in Capitolium, vel hunc ritum vocandi plebem, eique ferias pronunciandi, Laurentes nominis Calendarum auctores, reperiſſe, quod veroſimilius videtur quum univerſus ritus, quem refert Macrobius, & cauſa hujus inſtituti à Laurentibus in Romanos manarit, & quum pateat priſcos Latinos primum cujuſcumque menſis diem Calendas dixiſſe à Græco vocabulo Kalo, ideſt voco, quo frequenter utebantur, uti ex Varrone & aliis docet Roſinus Antiquit. Roman. lib. 4. cap. 4.

Sic Iduum nomen, & cauſa Tuſcis primum, dein Latinis priſcis debetur teſte eodem Macrobio: *Iduum porro nomen*, inquit, *à Tuſcis, apud quos is dies Itis vocatur, ſumptum eſt. Item autem illi interpretabantur Jovis fiduciam, nam cum Jovem accipiamus lucis auctorem, unde & Lucerium Salii in carmine canunt, ipſi quoque Romani Dieſpitrem appellant, ut diei patrem, jure hic dies Jovis fiducia vocatur, cujus lux non finitur cum Solis occaſu, ſed ſplendorem diei, & noctis continuat illuſtrante Luna, quod ſemper in plenilunio, ideſt medio menſe fieri ſolet. Diem igitur, qui vel nocturnis caret tenebris Jovis fiduciam Tuſco nomine vocaverunt, unde & omnes Idus Jovis ferias obſervandas ſanxit antiquitas. alii putant Idus, quod ea die plena Luna videatur, à videndo vidus appellatas*: & infra: *Sunt qui exiſtimant Idus ab ove Iduli dictas, quam hoc*

nomine

nomine vocant Tuſci, & omnibus Idibus Jovi immolatur à flamine; nobis illa ratio nominis vero propior æſtimatur, ut Idus vocemus diem, qui dividit menſem, iduare enim Etruſca lingua dividere eſt, inde vidua, quaſi valde idua, ideſt valde diviſa: hæc Macrobius, ex quo liquet, quot ſæculis Iduum nomen, & origo Romulum antecedat. Neque Varro lib.4. & 5. de Lingua Latina diſſentit, quippè de Jove verba faciens, ſic ait: *Nam olim Dijovis, & Dieſpiter dictus, hoc eſt aer, & Diei pater, à quo Dei dicti, qui inde & Dies, & Dius, & Divus*, & lib.4. memorat id nomen apud Sabinos primum, dein apud Latinos auditum fuiſſe, de quo fuſius Paulus Marſus in Ovidium lib. 1. Faſtorum. Quamobrem, ut antiqui Idus Jovi ſacras proclamarent, ovem albam, quam Jovi omnibus Idibus mactabant *Idulem* dixerunt ex Feſto lib.9. in principio, Macrobio ubi ſupra, & Ovidio in carminibus jam relatis.

Tuſculani, dies qui Idus ſequebantur, vocabant Triatrum, Quinquatrum, Sexatrum, & Septimatrum: Faliſci etiam Decimatrum; Triatrum enim dixerunt tertium diem poſt Idus, quintum quinquatrum, ſextum ſexatrum, ſeptimum ſeptimatrum, & decimum decimatrum, ut ſcribunt Varro lib. 5. de Lingua Latina, & Feſtus lib. 15., unde Quinquatria in honorem Minervæ dicta ſunt. Neque dicendum Tuſculanos quinquatrum, triatrum, ſexatrum, & ſeptimatrum dixiſſe tantummodo dies poſt Idus menſis Martii Minervæ dicatos, ut Dacerius ad Feſtum ſcribit; nam Varro contrarium probat his verbis: *Quinquatrus, hic dies unus à nominis errore obſervatur proinde, ut ſint quinque, dictus à Tuſculanis; poſt diem ſextum eidus ſimiliter vocatur ſexatrus, & poſt diem ſeptimum ſeptimatrus, ſic hic, quod erat poſt diem quintum eidus, quinquatrus*: & Feſtus non repugnat, quippè is hæc habet: *Quinquatrus appellari quidem putant a numero dierum, qui fere his celebrantur, qui ſcilicet errant, tam Hercule, quam qui triduo Saturnalia, & totidem diebus compitalia, nam omnibus his ſingulis diebus fiunt ſacra: Forma autem vocabuli ejus, exemplo multorum populorum Italicorum enunciata eſt, quod poſt diem quintum Iduum eſt is dies feſtus, ut apud Tuſculanos triatrus, & ſexatrus, & ſeptenatrus, & Faliſcos decimatrus; Minervæ autem dicatum eum diem exiſtimant*,

mant, *quod eo die ædes ejus in Aventino conſecrata eſt*. Porrò Feſtus Varroni conſentit, proditque Tuſculanos diem tertium poſt Idus triatrum, quintum quinquatrum, ſextum ſexatrum, & ſeptimum ſeptenatrum, ſive ut tradit Varro ſeptimatrum nuncupaſſe, ex hoc Feſtus putat quinquatrum diem Minervæ ſacrum dictum, quod quinto die poſt Idus Martias coleretur, arguitque eos, qui credebant quinquatrus dictas, quod quinque dies continui ad Ferias Minervæ pertinerent, quum unus tantum dies ab antiquis Minervæ ſacer haberetur, licet poſtmodum inſtitutum fuerit quinque diebus feſtas ſolemnitates ejus Deæ celebrari ex Ovidio lib. 3. Faſtorum cujus carmina infra referam, quibus non recte diſtinctis hallucinatus eſt Porphyrion in Horatium epiſt.2. lib.2. dum ſcribit, quinquatrus à quinque diebus Minervæ dicatis appellatas.

Inter Calendas, & Idus, Nonas quoque habuerunt Latini; quandoquidem Tuſci ante Romam conditam Nonas dixerunt nonum diem, quo per totum anni curſum Regem ſuum ſalutabant & de propriis negociis conſulebant, ut auctor eſt Macrobius Saturnal.lib.1. cap.15.; Latini autem Nonas vocarunt, quaſi novæ obſervationis initium, quod in eas occurreret principium Lunæ, vel quod ab eo die ſemper ad Idus novem dies putarentur, eodem Macrobio teſte, unde factum eſt, Nonas ſub nullius Numinis tutela fuiſſe, ut Junoni, & Jovi communes relinquerentur, ſi credimus Ovidio lib. 1. Faſtorum:

Nonarum tutela Deo caret . . . .

ubi Paulus Marſus animadvertit Auſones, ideſt priſcos Latinos id inſtituiſſe ut Nonas Junoni, & Jovi ſacras facerent. Poſtridie Calendas, Nonas, & Idus immolare, nuptias contrahere, aut quoquam exire, vel peregrè proficiſci non conſueverunt, quod ii dies atri cenſerentur,& utpotè Diis Manibus dicati, religioſi, & infauſti haberentur ex Macrobio lib.1.cap.15., Plutarcho Problem.cap.24. ubi hunc morem à Græcis manaſſe putat.

His poſitis, Calendarium Latinæ gentis exponam, ſed operæ pretium eſt animadvertere in re tam vetuſta haud poſſe unicuique menſi dies feſtos aſſignari, & quo loco, quave in æde ſacra eo die ſolemnia fierent enarrari, quamobrem, ne divinationi locus ſit, ſufficiat

ficiat feſtos dies, quos Latina gens menſibus præſcriptis quotannis celebrabat enunciare, ut poſteri ſciant ſacra & ferias, quas Latium coluit uſque ad Romam conditam, & quas in Romanos derivaſſe commemorant. Quoniam vero Latinis fere univerſis, præter Albanos, & eos populos quos ſuperiori Capite enumeravimus, Martius primus anni menſis fuiſſe dicitur, idcirco ejus menſis dies feſtos proferre incipiemus.

Primo die Martii, ideſt Calendis Martii, populi qui Martium primum in ordine anni numerabant, Veſtæ Templum ritu ſolemni frequentabant: ferunt enim Æneam ſacra Veſtæ ab Ilio Lavinium adſportaſſe, & Virginibus Deæ ſacratis ea tradidiſſe, focumque publicum, & Palladium, quod ſecum è Troja advexerat illarum cuſtodiæ conſignaſſe. Hujus rei meminit Dionyſius lib. 1. & 2. narrans quovis anno oportuiſſe ex patrio inſtituto ignem in eo Templo ſervatum renovari, ut fuſius ex relatis Cap. 9. patuit. Latini itaque populi, quibus cordi ſummopere fuit ſacra, quæ Æneas inſtituit propagare, ſimiles ædes Veſtæ dicarunt, unde Calendis Martiis Virgines Deæ devotæ ignem novum Veſtæ aris accendebant, ut incipiente anno cura denuo ſervandi novati ignis inciperet, ex Macrobio Saturnalium lib. 1. cap. 12., & Ovidio lib. 3. Faſtorum, qui de eo die ſic canit:

Laurea Flaminibus, quæ toto perſtitit anno
Tollitur, & frondes ſunt in honore novæ.
Janua tunc Regis poſita viret arbore Phœbi,
Ante tuas fit idem, Curia priſca, fores.
Veſta quoque, ut folio niteat velata recenti,
Cædit ab Iſiacis Laurea cana focis.
Adde quod arcana fieri novus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Ex hiſce igitur Ovidii verſibus liquet & ignem, & lauream veterem in Veſtæ æde mutatam, novamque additam, rejectam quoque veterem coronam ex lauro, quæ toto anno in domibus Flaminum perſtiterat, novamque appoſitam, quod & prodit Macrobius.

Eodem die Matronæ Latinæ, & dein etiam Romanæ Junoni, & Marti ſacrificabant, ut veteres Horatii Interpretes ad illud Ode 8. lib. 3. notant.

Martiis cœlebs quid agatur Calendis.

cujus rei cauſam Ovidius eodem lib. 3. Faſtorum his verſibus adſignat:

Tempora jure colunt Latiæ fœcunda Parentes,
Quarum militiam, votaque partus habet.

& infra;

Mater amat nuptas: Matrum me turba frequentat,
Hæc vos præcipue tam pia cauſa decet.
Ferte Deæ flores: gaudet florentibus herbis
Hæc Dea, de tenero cingite flore caput.
Dicite: tu nobis lucem, Lucina, dediſti,
Dicite: tu voto parturientis ades.
Si qua tamen gravida eſt, reſoluto crine precetur,
Ut ſolvat partus molliter ipſa ſuos.

Hinc Marſus conjicit verum hujus feſti ritum fuiſſe, quod Matronæ Junonem Martis matrem in honorem filii eo die colerent; quamvis enim Laurentes, & alii Latini populi Junoni cunctas Calendas ſacraſſent, ut jam dictum eſt, hunc tamen diem Matronæ præcipue ei Deæ dicabant, Martis in matre recolentes memoriam. Ferunt eodem die amicos, & propinquos munera mulieribus miſiſſe ex Juvenali Satyra 9.

. . . . longaque cathedra
Munera fœmineis tractat ſecreta Calendis.

ubi Joannes Britannicus interpres id notat, unde lumen Plauto in Milite Glorioſo Act. 3. Scen. 2.

Da mihi vir Calendis, quæ mittam quum Martiæ venerint.

quibus verbis Plautus expoſuit morem mulierum, dona accepta eo die aliis fœminis mittendi. Huic etiam ritui alludit Tibullus lib. 4. Eleg. 2. his verſibus:

Sulpitia eſt tibi culta tuis, Mars magne, Calendis,
Spectatum è Cœlo (ſi ſapis) ipſe veni.

Hoc quoque die mulieres ſervos cœna excipiebant, tanquam exhortantes eos ad inſequentis anni operam ex Tibullo lib. 3. Eleg. 1. ad Neaeram ubi ita canit:

Martis

Martis Romani feſtæ venere Calendæ:
Exoriens noſtris hic fuit annus Avis.
Et vaga nunc certa diſcurrunt undique pompa,
Perque vias Urbis munera, perque domos;
Dicite, Pierides, quonam donetur honore
Seu mea, ſeu fallor, chara Neaera tamen.

Conſtat etiam ex jam adductis, eo menſe Latinos quotidie Marti ſacrificaſſe: quin & ſcriptum reperio, eos quum in magnis forent periculis, conſueviſſe quidquid intra Calendas Martias, & pridie Calendas Majas natum eſſet, Marti vovere ex Livio Decad. 4. lib. 4. & Strabone lib. 5.. Idcirco narrant ſequenti anno hoc menſe & animalia, & pueros, ac puellas innocentes, voti compotes factos, immolaſſe: at quum id crudele videretur, perhibent pueros, & puellas perductas in adultam ætatem velaſſe, atque ita extra fines ſuos exegiſſe, ut Feſtus lib. 19. & 20. verbo *Ver ſacrum*, ejuſque interpretes affirmant. Ejus rei cauſam Servius ad lib. 7. Æneidos Ardeatibus attribuit, ait enim, eos peſtilentia laborantes ver ſacrum primum voviſſe, & Latinos ob hanc rem *Sacranos* appellaſſe quotquot Ardeæ nati eſſent. Dionyſius vero lib. 1., id ad Aborigines primos Latii accolas refert his verbis: *Primum finibus egreſſa eſt ſacra quædam juventus exigua numero, ad quærendum victum à ſuis emiſſa Parentibus more antiquo, quem receptum ſcimus à multis Græcis: quoties enim vulgi multitudo in aliqua Civitate nimium excreſceret, nec alimenta domi omnibus ſufficerent, aut aeris intemperie læſa terra fruges proferret pauciores ſolito, aut alia talis Civitatem occuparet calamitas, Deo cuipiam ſacrantes quantum hominum annus pareret, emittebant armis inſtructos è ſuis finibus, peractis ante ſolemnibus ſacris, fauſta ominatione proſequentes abituros in Coloniam*: & infra: *Ex eo more tum quoque Aboriginum quidam, regione ſua viris florente (natorum enim quemquam necare nolebant, rati facinus id cum primum execrabile) Numini cuipiam ſacratis unius anni partubus, hos cum primum virilem ætatem attigiſſent colonos miſerunt alio.*

Veruntamen Strabo lib. 5. ad finem, rem aliter narrat: *Sabinos,* inquit, *quum diuturno bello cum Umbris conflictarentur, voviſſe,*

Digitized by Google

quod & Græcor um faciunt quidàm, Diis ſe fructus ejus anni conſecraturos, potitoſque victoria, immolaſſe partim, partim conſecraſſe ejus anni proventa: inſequuta autem ſterilitate, monuiſſe quemdam, prolem quoque fuiſſe Diis dicandam; obtemperaſſe Sabinos, eoque anno editos filios Marti nuncupaſſe, quumque ii virilem attigiſſent ætatem, Duce Tauro, ad Coloniam alicubi condendam emiſiſſe; ſed Feſtus ubi ſupra id Latinis priſcis attribuit: cujuſcunque autem ea fuerit cauſa, certum eſt conſueviſſe Latinos ver ſacrum vovere, neve pueros, & puellas immolaſſent, eas hoc piaculari ſacro expiaſſe, adultos velantes, velatoſque extra fines ſuos exigentes, quo piaculo ſeſe liberos religione putabant, uti ex Feſto, ejuſque Commentatoribus conſtat: hos Vernas nuncupatos fuiſſe auctor eſt Nonius Marcellus de Propriet. Sermon.. Sunt qui referant Calendis Martii maritos Pilumno, & Picumno ſacra feciſſe, eumque menſem iiſdem etiam ſacrum fuiſſe, ut notat Tomaſinus de Donar. cap. 15.

Idibus Martii Annæ Perennæ feſtum ſolemne Latinis fuit. Hujus feſti ritum narrat Ovidius lib. 3. Faſtor., ubi poſtquam pluribus carminibus expoſuit hanc Deam fuiſſe ſororem Didonis, quam Æneas adamavit, & in Laurentem agrum veniſſe, ibique agnitam ab Ænea, Laviniæ commendatam, ita pergit:

Nox erat, ante thorum viſa eſt adſtare ſororis
Squallenti Dido ſanguinolenta coma:
Effuge, ne dubita, mœſtum ſoror, effuge tectum
Sub verbum querulas impulit aura fores.
Exilit, & velox humili ſuper arva feneſtra
Se jacit, audacem fecerat ipſe timor,
Quumque metu rapitur tunica velata recincta,
Currit, ut auditis territa dama lupis.
Corniger hanc tumidis rapuiſſe Numicius undis
Creditur, & ſtagnis occuluiſſe ſuis.
Sidonis interea magno clamore per agros
Quæritur, apparent ſigna, notæque pedum,
Ventum erat ad ripas, inerant veſtigia ripis,
Subſtinuit tacitas conſcius amnis aquas,

Ipſa

Ipſa loqui viſa eſt: Placidi ſum Nympha Numici,
Amne perenne latens, Anna Perenna vocor.
Protinus erratis læti veſcuntur in agris
Et celebrant largo ſeque, diemque mero.

Patet ergo cauſa hujus Feſti, & quare eo die largioribus poculis Latini, & dein Romani etiam indulgerent, & pro cyathorum numero annos mutuo precarentur, ut idem Ovidius hoc modo refert:

Plebs venit, & virides paſſim disjecta per herbas
Potat, & accumbit cum pare quiſque ſua.
Sub Jove pars durat, pauci tentoria ponunt,
Sunt quibus è ramis frondea facta caſa eſt.
Pars ibi pro rigidis calamos ſtatuere columnis,
Deſuper extenſas impoſuere togas.
Sole tamen, vinoque calent, annoſque precantur
Quot ſumunt cyathos, ad numerumque bibunt.
Invenies illic qui Neſtoris ebibat annos,
Quæ ſit per calices facta Sibylla ſuos.
Illic & cantant quidquid didicere Theatris,
Et jactant faciles ad ſua joca manus.
Et ducunt poſito duras cratere choreas,
Cultaque diffuſis ſaltat amica comis.

Patet etiam hoc die feſto puellas jocoſa quædam, & obſcœna carmina cantare conſueviſſe, ut idem Ovidius his verſibus concludit:

Nunc mihi cur cantant, ſupereſt, obſcœna puellæ
Dicere, nam coeunt, certaque probra canunt.

ſubditque id factum, quod Anna inter Divos relata, & à Marte precibus ſollicitata, ut Minervæ, cujus amore tenebatur nuptias ſibi conciliaret, eum deluſerit.

Neque facilè conceſſerim id feſtum Romæ celebratum in pratis Campi Martii propè Tiberim fluvium, inſtitutumque in honorem Annæ Bovillanæ, quod ea Plebi, quæ ſeceſſerat in Montem ſacrum pecunia laboranti, quotidie liba attuliſſet, ex Ovidio, ut putant Raderus in Martialem lib.4. Epigramm.64., Voſſius de Idololatr. lib.1. cap.12., & de Inſtitut. orator. lib.1. cap.6. §.8. quandoquidem Ovidius, qui quidem refert etiam hanc ejus feſti cauſam, primam tamen deſum-

deſumptam ex priſco Latinæ gentis ritu veriorem dicit; quippè palàm eſt propè Aricinum Nemus, ſpeculumque Dianæ, fuiſſe ædem Annæ Perennæ Didonis ſorori dicatam ex Martiali lib.4. Epigr.64., ubi ſic ſcribit:

Et quod virgineo cruore gaudet
Annæ pomiferum nemus Perennæ.

ubi Calderinus, cæterique Interpretes notant Martialem enunciare Templum Annæ Perennæ non longè ab Aricino conditum, cujus & Silius lib.3.meminit, atque Alexander Genial. lib.3.cap.18.: *Idus vero Martias*, inquit, *ad Annam Perennam*, *quo commodè annare*, *& perannare liceret feſtas genialeſque obſeruarunt*, *largioribus poculis indulgentes*: *ea enim Nympha ſoror Didonis credita*, *in Aricino*, *ſeu Laurente ſedem habuiſſe fertur*, *quam à perpetuitate Perennam nuncuparunt*: ergo ex his manifeſto liquet hanc Deam, ejuſque feſta Latinos ante Romam conditam concelebraſſe: Romanos etiam fortaſſe occaſione ſumpta ab Anna Bovillis nata, quæ plebi liba ſubminiſtraverat, quum enim ea Anna etiam vocaretur, plebs grati animi ergo ritum hunc à Latina gente habitum Romam invexit, ac ſacra Annæ Perennæ fecit: quod in cauſa fuit, cur Romani Ovidii ævo dubitarent an is dies feſtus Annæ Bovillanæ eſset dicatus, licet Dionyſius lib. 6. & nemo antiquorum teſtetur Annam illam in numerum Dearum,& Nympharum relatam. Hinc Macrobius, qui longè poſt Ovidium Theodoſii ætate ſcripſit, referens eum diem feſtum, illius cauſam tacet: *Eodem quoque menſe*, inquit, *& publice*, *& privatim ad Annam Perennam ſacrificatum itur*, *ut annare*, *perennareque commodè liceat*.

Itaque hoc die ſive in Laurenti agro, ſeu propè nemus Aricinum apud Annæ Perennæ Templum Latini in pratis læti bibebant, menſaſque parabant, choreaſque agebant, annumque illum, & ſequentes ſibi invicem precabantur, & puellæ jocoſa quædam, & obſcæna carmina cantabant, aliaque patrabant turpia, quæ narrare modeſtia non ſinit, & Ovidius jam relatus exponit.

Decimo ſexto Calendas Aprilis, qui eſt dies Martii decimus ſeptimus Liberalia fuiſſe commemorant, ut videre eſt apud eundem Ovidium lib. 3. Faſtorum, & omnes hiſtoriæ Romanæ Scriptores.

Id

Id feſtum Latinis populis vetuſtiſſimum fuit, nam ex Varrone lib. Rerum Humanarum & Divinarum, quem refert Divus Auguſtinus de Civitate Dei lib.7. cap.21. conſtat, in Latii compitis, *quædam ſacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis, ut in ejus honorem pudenda virilia colerentur; id enim turpe membrum per Liberi dies feſtos cum honore magno ploſtellis impoſitum, prius per rura in compitis, & uſque in Urbem poſtea vectabatur; in Oppido Lavinio unus Libero totus menſis tribuebatur, quibus diebus omnes verbis flagitioſiſſimis utebantur, donec illud membrum per forum tranſuectum eſſet, atque in loco ſuo quieſceret, cui membro inboneſto, matrem familias honeſtiſſimam palàm coronam neceſſe erat imponere.*

Lactantius de Falſa Religione lib. 1. cap. 22. ſcribit Orpheum primum hæc ſacra in Græcia indixiſſe, & in monte Bœothiæ Thebis ubi Liber natus eſt, proximo, celebraſſe, dein Laomedontis ætate Ilium ea tranſuexiſſe, unde Interpretes putant à Trojanis Lavinium translata. Idcirco Salii Romanorum in Carminibus Liberum patrem, ſicuti Martem patrem cognominabant, tanquam antiquiſſima Latinæ, & dein Romanæ gentis Numina ex Macrobio Saturnalium lib.1. cap.19.. Additur etiam, hoc die feſto Sacerdotes coronatos ſerpentibus ululantes inceſſiſſe ex Nazianzeno in oratione de Luminibus, Theodoreto lib. 1. Themp. ac Macrobio lib. 1. in Somnium Scipionis, idque feciſſe Lavinienſes putat Alexander loco ſupra adducto, ubi ſubjicit membrum turpiſſimum delatum per agros Lavinii, atque aliarum Italiæ Urbium cum cantu, & ululatu; unde Ovidius à nobis relatus Cap.13. alludens huic Latinorum priſcorum mori, canit Evandri ævo, Inon matrem Matutam dictam cum Melicerta filio in Latinas oras appulſam, reperiſſe apud Semelem, ſeu Stimelem lucum Bacchi, ſeu Liberi, Sacerdotes ejus Dei ſacra concelebrantes, ut innueret hunc Liberi cultum in Latio vetuſtiſſimum fuiſſe; quamobrem Antonius Volſcus commentator Propertii Eleg.8. lib.4. de Cynthia, & Dracone, ſcribit ex eodem Varrone & Lanuvii integrum menſem Libero ſacratum, & in foro per Matronam honeſtiſſimam membro virili coronam impoſitam. Vereor tamen mendum Codicibus Volſci ineſſe, & loco Lanuvii, *Lavinii* legendum eſſe.

An vero hæc in Latio fierent menſe Martii, incertum eſt. Plures

res ſanè ſcribunt id Lavinii factum menſe Octobris, quo vindemiæ fiebant, quod Heliogabalus horum ſacrorum exemplo, primus edixerat, ut in vindemiarum feſtivo multa in Dominos jocularia, & turpia audientibus Dominis dicerentur, quæ ipſe compoſuerat, & Græca maxime ex Lampridio in ejus vita, & Latini eo tempore, quo vinum colligebant, Libero vini inventori ſacrificarent. Plerique etiam perhibent id feſtumm menſe Auguſti celebratum, quod Romæ eo menſe Matronæ virilis membri figuram divinis percolerent honoribus, quam extra portam Collinam ad ædem Veneris cum pompa ſacrorum deferebant, & una ex illis caſtiſſima, & ſpectatæ pudicitiæ præter matronale decus in ſinu Veneris locabat ex Alexandro Genial. lib.3. cap.19.. Et ego puto Liberalium die uſque ad diem decimum ſeptimum Aprilis prædicta in Latio facta; nam cur Priapus Bacchi ſacris frueretur, multa ſunt in cauſa, primum, quod Priapus comes fuerat Bacchi expeditionum: deinde quod ſine beneficio Bacchi frigeat, ideo filius putabatur Liberi, & Veneris: & demum quod crederent Liberum ſeminibus præeſſe, quorum membrum, inſtrumentumque inter omnia primum eſt Priapus. Hac de cauſa hortis præficiebatur, ejuſque ſacra per pagos, villáſque à ruſticis magna lætitia, luſuque celebrata ſunt. Itaque his cæremoniis credebant ab agris repelli faſcinationem, & bonum ſeminum eventum augurari, ideoque prædicti dies, quibus terra herbas, flores, & ſemina parere incipit magis proprii aliis viſi ſunt, ut conjicitur ex Divo Auguſtino lib. 7. cap.21., Luciano lib.10. Dialog.3., Joanni Smetio Antiq.Neomagenſium pag.79., & aliis.

Decimo quarto Calendas Aprilis, qui eſt decimus nonus dies Martii, Latinos quinquatria in honorem Minervæ celebraſſe palàm eſt. Diximus ſupra Tuſculanos, diem, quo Feriæ Minervæ inſtitutæ erant, quinquatrus vocaſſe, quod quinto die poſt Idus Martias ex feriæ colerentur. Retulimus etiam, unum diem decimum nonum Martii fuiſſe à priſcis Latinis Minervæ dicatum, dein quinque diebus continuatas ferias; & quamvis Feſtus lib.15. fuiſſe referat qui putarent has ferias inſtitutas quod eo die ædes Minervæ in Aventino conſecrata eſſet, Tuſculanorum tamen vetuſtiſſimus mos, à quibus & nomen feſti in Romanos derivaſſe ajunt, falſam evincit ſententiam illorum

illorum, qui Romanis omnes ritus priſcos, quos ii à Latinis acceperant, attribuunt. Enimvero ſatis conſtat Ilienſes jactaſſe, Minervam Ilio ortam, eamque præcipuè coluiſſe, ejuſque ſimulacrum religiosè cuſtodiviſſe, Dionyſio lib. 1., & Strabone lib. 13. teſtibus: unde Servius ad lib. 3. Æneidos pag. 283. Minervam Deam Trojanorum appellat; Æneam vero Ilio everſo Palladium, & Minervæ ſacra, quæ ſecum aſportaverat, Lavinium intuliſſe liquet ex Dionyſio lib. 1., Auctore Origin. Gent. Roman., Plutarcho in Pararell. cap. 35., & in Camillo, quibus conſentit Varro in libris quos de Familiis Romanis ſcripſit apud Servium in lib. 5. Æneidos ad illud.

Tum ſenior Nautes unum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaque inſignem reddidit arte.
Hæc reſponſa dabat . . . . . .

ubi prodit Nautiæ genti Romæ, Minervæ ſacra commendata, quod Æneas Nautio ejus gentis auctori Palladium tradidiſſet, & iterum in lib. 2., ubi explicans hæc carmina:

Omnis ſpes Danaum, & cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis ſemper ſtetit, impius ex quo
Tydides ſed enim, ſcelerumque inventor Ulyſſes
Fatale aggreſſi ſacrato avellere Templo
Palladium, cæſis ſummæ cuſtodibus Arcis
Corripuere ſacram effigiem, manibuſque cruentis
Virgineas auſi divæ contingere vittas.

ait eam Arcem Ilienſium Minervæ ſacram fuiſſe, ibique Palladium ſervatum, quod Æneas Lavinium advexit: quamvis Romanorum quidam narrarent, id ſimulacrum à Trojanis fuiſſe abſconditum intra extructum parietem, & inventum bello Mithridatico, Fimbriam Romanorum Ducem indicaſſe, Romamque aſportaſſe: alii vero dicerent multa ſimilia ſimulacra Mamurium fabrum Romæ feciſſe, quod Dionyſius affirmat, ſcribens Trojanos duo ſervaſſe Palladia, quorum unum Ulyſſes, & Diomedes ſurripuerunt, cujus meminit Virgilius: alterum Æneas ſecum deportavit, & Lavinii in Templo Minervæ, aut Veſtæ poſuit, quod Romani falſò in æde Veſtæ ſervari ferebant, quum Lavinii eſſet, & Romæ innumera extarent Palladia teſtimonio Strabonis lib. 5. apud Tomaſinum de Donar. cap. 3. pag. 33., & Servii

loco mox relato; fortaſſe quod plura, ut Servius ait ad ſimilitudinem ejus, quod Lavinii erat, facta eſſent. Hinc Lampridius in Heliogabalo irridens inſcitiam ejus, ita ſcribit: *Signum quod Palladium credebat, abſtulit, & auro vinctum in ſui Dei Templo locavit.*

Itaque ex prædictis, & ex Ara Minervæ ſacra, quæ in Circæjenſi Colonia erat, & quam accolæ Ulyſſem condidiſſe prodebant, ut exponemus infra quum de Circæjenſium Templis verba faciemus, liquet cultum Minervæ apud Lavinium, Circæjum, Albam, cunctoſque Latinos antiquiſſimum fuiſſe; neque illum Romanos, ſed Trojanos primum in Italia propalaſſe: unde quinquatrus, ſeu ferias Minervæ notato die, Latinis vetuſtiſſimas affirmare non hæremus, eo præſertim quod quinquatruum die proderent antiqui Minervam natam, ut infrà: quo fit concelebraſſe Latinos hoc die annalem Deæ diem, non autem conſecrationem ejus Templi in Aventino, ut Feſto placet. Domitianus Cæſar in Albano villam extruxit magnificam, cujus adhuc veſtigia extant in Barberinorum hortis propè Caſtrum Gandulphi. Ejus ædificia uſque ad ſitum ubi Albana Urbs nunc eſt, protendebantur: ibi & Amphitheatrum erat, cujus rudera nunc in extremitate Albæ viſuntur; iſthic Domitianus quotannis quinquatria die prædicto Minervæ ſacro celebrabat, ut Dion lib.66. teſtatur: *Domitianus*, inquit, *Patrem timens apud Albanum Montem plurimum agebat, ubi vero Imperium adeptus fuit, tunc Minervam præcipuè ex omnibus Diis coluit, atque eam ob cauſam quinquatria magnificè celebravit, in quibus certamina Poetarum, Oratorum, & Gladiatorum quotannis ferè exhibebat in Albano, nam eum locum ſub Albano monte, unde is locus nomen babet, tanquam arcem aliquam elegerat*: quod & narrat Suetonius in eodem Domitiano cap.48.: *Celebrabat*, ait, *in Albano quotannis quinquatria Minervæ, cui Collegium inſtituerat.* Quare Domitianus, qui perpetuis ludis, ſcenicisque ſpectaculis, necnon Gladiatoriis certaminibus deditus erat, locum neceſſario, in quo prædicta exhiberentur, & ſic Amphitheatrum, paravit, quod arguit Kircherus de Veteri & Novo Latio par.1.cap.5. merito ſubdens rudera Amphitheatri, quæ in Albano ſpectantur, Domitiani opus exſtitiſſe.

Hos ludos Domitianum per quinque dies exhibuiſſe patet, nam Ovidius

Ovidius lib. 3. Faſtorum loquens de more ſuorum temporum quinquatria colendi, ſic canit:

Una dies media eſt, & fiunt ſacra Minervæ,
Nominaque à junctis quinque diebus habet.
Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro,
Cauſſa quod eſt illa nata Minerva die;
Altera, treſque ſuper, ſtrata celebrantur arena,
Enſibus expertis bellica læta Dea eſt.

ex quibus conſtat, ætate Domitiani per quinque dierum ſpatium quinquatria celebrari conſueviſſe. Porphyrion etiam enarrans illud Horatii lib. 2. Epiſtol. epiſt. 2.

At potius puer, ut feſtis quinquatribus olim.

id ipſum affirmat, quamvis falſo aſſerat ſemper ita factum fuiſſe. Ex hiſce quoque habemus primo die quinquatruum, quo credebant Deam natam eſſe, Gladiatorum certamina haud exhibita fuiſſe quemadmodum ſequentibus, & Poëtarum, & Gladiatorum ludi agebantur.

Collegium itidem Sacerdotum Minervæ in Albano Domitianus inſtituit Suetonii teſtimonio. Ex eo forte ducti magiſterio fungebantur, reddebantque eximias venationes, ac ſcenicos ludos, ut produnt Scholiaſtes Juvenalis in ea carmina Satyr. 10.

. . . . *& totis quinquatribus optat*
Quiſquis adhuc uno ſanctam colit aſſe Minervam.

ubi notant eum Imperatorem in his ludis ter Congiarium populo dediſſe, eaque feſta menſe Martii, & Maii bis in anno celebraſſe: quamvis Feſtus lib. 11. verbo *Minuſculæ* prodat antiquos Minervam ſolo menſe Martii coluiſſe. Repræſentatum vero certamen inter Minervam, & Martem; ferebant enim habito certamine de nuptiis, Martem à Minerva victum, eam ob ſervatam virginitatem Nerienem appellaſſe, ideoque omnis generis certamina, ludique ſcenici exhibebantur, quod ita Minervam honorari putarent. Collegio Sacerdotum Minervæ in Albano alludit idem Juvenalis Satyr. 2. his verſibus:

. . . . *accipient te*
Paulatim qui longa domi redimicula ſumunt
Frontibus.

 lauda-

laudati enim Sacerdotes parum à mulieribus forma diſtabant, tanquam mulieres mitras alligatas geſtantes, molles & effeminati. Ejus Poëtarum certaminis in Albano exhibiti meminit pluribus locis Martialis, & præcipuè lib.4. Epigr.1. ſic canit:

Cæſaris alma dies, & luce ſacratior illa,
Conſcia Dictæum, qua tulit Ida Jovem,
Longa precor, Pylioque veni numeroſior ævo,
Semper, & hoc vultu, vel meliore nite.
Hic colat Albano Tritonida multus in auro,
Perque manus tantas plurima quercus eat,
Hic colat ingenti redeuntia ſæcula luſtro,
Et quæ Romuleus ſacra Tarentus habet.

& lib.5. Epigr.1.

Hoc tibi Palladiæ, ſeu collibus uteris Albæ
Cæſar, & hinc Triviam proſpicis inde Thetin.
Seu tua veridicæ diſcunt reſponſa ſorores,
Plana ſuburbani qua cubat unda freti &c.

Ex his patet, cum ſitum, quo rus Domitiani extructum erat, fuiſſe in Collibus, unde & Nemus Aricinum, & Antium facilè conſpici poterant. Lib.9.Epigr.24.

O cui virgineo flaveſcere contigit auro
Dic ubi Palladium ſit tibi chare decus?
Aſpicis, en Domini fulgentes marmore vultus,
Venit ad has ultro noſtra corona comas.
Albanæ libare poteſt pia quercus olivæ
Cinxerit invictum quod prior illa caput.

& Epigrammate ſequenti, poſt plura ſic pergit:

Non ſolum tribuit Pallas tibi chare coronam,
Effigiem Domini, quam colis, illa dedit.

Ergo conſtat Domitianum corona aurea, vel oleagina victores in quinquatriis donaſſe, vt patet etiam ex eodem lib. Epigram.36., & lib.12. Epigr.48.

Non Albana mihi ſit comeſſatio tanti
Nec Capitolinæ, Pontificumque dapes.

Domitianus itaque in quinquatriis nocturnum Epulum in Albano exhi-

exhibuit: perhibent quoque eo die in Albano in Arenam deſcendiſſe Equites, Patricioſque Romanos, ſi Dioni, & aliis mox adductis fides præſtanda eſt.

Decimo Calendas Aprilis, qui eſt dies Martii vigeſimus tertius, & ultimus quinquatrium, Tubiluſtrium erat, cujus meminit Feſtus lib. 18. his verbis: *Tubiluſtria quibus diebus adſcriptum in faſtis eſt, cum in atrio Sutorio agna tubæ luſtrantur, quod genus luſtrationis ex Arcadia Pallanteo tranſvectum eſſe dicunt*: Paulus Feſti mutilator hæc habet: *Tubiluſtria dies appellabant, in quibus agna tubas luſtrabant*: Scaliger, ſic legendum cenſet: *Tubiluſtria dies, quibus diebus in atrio Sutorio, agna tubæ luſtrentur, ab eis tubis appellant, quod genus luſtrationis ex Arcadia, Pallante eo transferente veniſſe*: ſed prima lectio juxta antiquos Codices magis arridet, ut apud Varronem de Lingua Latina lib. 5.. Hinc colligitur id genus ſacrificii, quo Tubicines Sacerdotes agnam Minervæ mactabant, eique ſacra hoc die, tubarum luſtrandarum gratia faciebant ex eodem Feſto verbo *Tubicines*, ex Arcadia in Latium Evandro duce, & dein Romam tranſvectum, quod probat Stuckius de Sacrificiis Gentilium fol. 113.. Diem prædictum ita adnotat Ovidius lib. 3. Faſtorum.

Summa dies è quinque, tuba luſtrare canora
Admonet, & forti ſacrificare Deæ.

quibus carminibus & quintus dies Quinquatrium deſignatur, & ſacra facta eſſe Minervæ.

Cur autem Feſtus plures, non unum diem luſtrationibus tubarum addictum enunciet contra id, quod Varro, & Ovidius referunt, obſcurum eſſet, ni idem Ovidius lib. 5. Faſtorum iterum decimo Calendas Junias luſtrari Tubas, & Vulcano per Tubicines ſacra fieri proderet: en ejus verſus:

Proxima Vulcani lux eſt, Tubiluſtria dicunt,
Luſtrantur puræ, quas facit ille, Tubæ.

Hi ſunt feſti dies, quos Latina gens, antequam Roma conderetur Martio menſe colebat, omiſſis pluribus patriis uniuſcujuſque populi, quorum memoriam in re tam antiqua edacitas temporis obliteravit. Neque ideo, quod prædicti dies notarentur in Romanorum veteri Calendario, idcirco dicendum eſt eoſdem non pertinuiſſe ad Latinos; quan-

quandoquidem, ut jam ex adductis patuit, Romani Martium menſem, & ejus menſis dies feſtos, ſacra, ritum ſacrorum, & cætera, quæ ad dictas ſolemnitates ſpectabant à Latinis acceperunt. Quare ex diebus, quos Calendarium recenſet, arguitur jiſdem diebus eas feſtas ſolemnitates Latinis fuiſſe: quibus ſi addatur, quod pleræque illarum inſtitutæ fuerunt ut recolerent natalem diem Minervæ, vel Liberi, aut ſacra facerent priſcis Latinæ gentis Numinibus, & quod Romani omnia ſacra ab Albanis, Sabinis, aut Tuſcis acceperint, teſtimonio Strabonis lib. 5., Dionyſii lib. 1. & 2., res in propatulo erit. Nunc dies feſtos menſis Aprilis, & ſequentium numerantes, hos, Capitibus diſtinctis exponemus, ne lectori plus æquo moleſti ſimus.

CAPUT XVI.

De menſe Aprilis, & ejuſdem diebus Feſtis apud Latinos veteres.

DIximus Capite 14., Latinos Aprilem Veneri dicaſſe priuſquam Roma conderetur, unde eo menſe Veneri eoſdem ſacrificaſſe nulli dubium eſt. Porrò Calendis hujus menſis Latina gens Veneri ſacra faciebat floribus, & myrto: nuptæ quoque myrto coronatæ Deam placabant, quod Venus ſub ea latuiſſet arbore quum ſibi à Satyris caveret; vel ea arbor ſub tutela Deæ eſſe putaretur. Eo etiam die, quum mulieres thura adolebant, papaveris ſuccum lacte, & melle mixtum ſumebant, quo liquore Veneris amorem conciliari opinabantur. Laviſſe etiam ſe Virgines myrto coronatas conſtat ex Ovidio lib.4.Faſtorum qui Latinarum, & Romanarum morem referens, ſic canit.

Rite Deam colitis Latiæ matreſque, nuruſque,
Et vos, queis vittæ, longaque veſtis abeſt.
Aurea marmoreo redimicula demite collo,
Nunc alii flores, nunc nova roſa danda eſt.
Vos quoque ſub viridi myrto jubet illa lavari,
Cauſaque, cur jubeat, diſcite, certa ſubeſt.

Littora

Digitized by Google

Littora ſiccabat, rorantes rore capillos;
Viderunt Satyri, turba proterva, Deam;
Senſit, & oppoſita texit ſua pectora myrto,
Tuta fuit facto, voſque referre jubet.

& paulò poſt:

Ne pigeat tritum niveo cum lacte papaver
Sumere, & expreſſis mella liquata favis.
Cum primum cupido Venus eſt deducta marito,
Hoc bibit, ex illo tempore nupta fuit.
Illam ſupplicibus verbis placate, ſub illa
Et forma, & mores, & bona fama manent.

Solemnem præcæteris hunc diem Latinis fuiſſe comperimus, & nullam ferè Urbem in Latio, quæ Templo Veneris careret. Lavinium ſanè hoc die cunctos Magiſtratus Latinarum Urbium conveniſſe palàm eſſe arbitror, ex jis, quæ Cap. 9. Strabonis lib. 5. teſtimonio adduxi: is enim ſcribit Lavinium quotannis conveniſſe Latinos populos, ut in Templo Veneris communi voto ſacra facerent, unde verosimile, immo exploratum eſt id eos feciſſe, menſe, & die prædictis ei Deæ ſacratis. Sic pro certo habeo alio die ejuſdem menſis apud Templum Veneris Aphroditis in agro Ardeati, aut Laurenti, publicum habitum fuiſſe Latinæ gentis conventum, de quo eodem Cap. 9. dixi, niſi dicendum ſit Calendis Aprilis in hac Aphroditis æde, die vero Veneralium, de quo infra, in altera Lavinii ſacrificatum, fortaſſe quod prima die menſis Veneri ſacri, ea gens vota offerret ſimulacro Veneris, quod Æneas advexerat, & eo loci matri dicaverat, ut jàm probavi.

Cæterum Servius ad lib. 1. Æneidos explicans illud Virgili:

. . . . *& memor ille*
Matris Acidaliæ . . . .

Sane, inquit, *Veneri multa nomina pro locis, vel cauſis dicuntur impoſita; nam Venerem vocari quidam propter promptam veniam dicunt; alii Suadam appellant, quod ipſa conciliatio Suada ſit. Dicitur quoque obſequens Venus, quam Fabius Gurges poſt peractum bellum Samniticum, ideo hoc nomine conſecravit, quod ſibi fuerat obſequuta. Hanc Itali* (Latini ſcilicet) *Poſtuotam dicunt. Dicta eſt etiam*

etiam Equeſtris Venus; dicta & Cloacina, quia veteres cloare pugnare dixerunt. Dicitur & Myrica, & Myrtea, & Purpuriſſa, & Erycina, quam Æneas ſecum advexit. Dicitur & Salacia, quæ proprie meretricum Dea appellata eſt à veteribus, & Lubentina, quæ Lubentiam mentibus novam præſtat. Alii Mimnerniam, vel Meminiam dicunt, quod meminerit omnium: eſt & verticordia, & Militaris Venus, eſt & Limneſia, quæ Portubus præeſt; ipſa & Victima, & Netrix ex Cæſaris ſomnio ſacrata: eſt & Venus Calva &c.: ex his liquet Latinos habuiſſe Templum Veneris Poſtuotæ, ſed quo loco fuerit, incertum eſt: ædem Veneris Militaris, ſeu Virilis, & Armatæ, quæ Antii erat, ut alibi referam. Fanum quoque Veneris Equeſtris, quod Albæ viſebatur ex relatis Cap.9. ad finem: aliud Veneris Aphroditis, ut jam dictum eſt: Templum etiam Veneris Salaciæ apud Laurentum, de quo ſuo loco dicam: illud & Veneris Erycinæ, quam Æneas ſecum advexit juxta Servii ſententiam, in qua tamen Urbe Latii id eſſet, mihi non conſtat. At ſuſpicor id ſimulacrum Æneam poſuiſſe in Templo Veneris Æneadis in Elymi, ſeu Erycis vertice, quod is in Sicilia extruxit, dum exularet teſte Dionyſio lib.1., quod Templum venerandum Græcis, Romaniſque memorat Ælianus variar. Hiſtor. lib.1. cap.15., unde fertur Q. Fabium Maximum Dictatorem ſimilem ædem Veneri cognomento Erycinæ voviſſe, quum è Sibyllinis libris edictum eſſet, ut is voveret, cujus maximum imperium in Urbe eſſet ex Livio lib.22., & aliam ad portam Collinam dedicaſſe L. Porcium Levinium Conſulem bello Lyguſtico, teſte eodem Livio lib.40.. Tanta erat hujus Erycinæ ædis opinio apud Romanos, fortaſſe ob ſimulacrum Veneris, quod ibidem Æneas, gentis auctor matri ſacraverat, cujus Servius meminit, & ob Anagogia ſacrificia, quæ certo tempore ea in æde offerebantur, ut auctor eſt Ælianus ſupra adductus. Hac de cauſa idem Servius lib.3. Æneidos explicans carmina hæc Virgilii:

Ære cavo clypeum magni geſtamen Abantis
Poſtibus adverſis figo, & rem carmine ſigno.

ſcribit clypeum apud Samothraciam in quodam Templo poſitum religioſum fuiſſe, magnique factum à Romanis, quod jactarent Æneam illum conſecraſſe. Sic Templum Veneris in Leucate monte ab Ænea condi-

conditum tantæ dicitur famæ fuiſſe, ut quotannis religionis gratia eſſent, qui de eo monte ſe præcipites jacerent in pelagus teſte eodem Servio loco adducto, qui ex Varrone ſe id hauſiſſe memorat. Sunt qui tradant antiquos Veneri dedicaſſe ex præſtantioribus puellas, quæ ad ejus Templum proſtarent, veluti ſacræ, & deinde viris traderentur. Has Plautus in Pænulo, & in Rudente vocat *Clientas Veneris*, & ſacris Deæ præfectam, *ejus Antiſtitam* appellat, ut animadvertit Tomaſinus de Donariis cap. 16.

Pridie Nonas Aprilis, ideſt die quarto Aprilis Cybelis, ſeu Matris Magnæ Deorum feſta recolebantur ex Ovidio lib. 4. Faſtorum. Id enim feſtum ante Romam conditam Latinis fuiſſe palàm eſſe arbitror, quandoquidem Servius ad lib. 7. Æneidos propè finem referens illud Virgilii:

Et ſacranæ acies, & picti ſcuta Labici.

Dicunt, inquit, *quemdam Corybantem veniſſe in Italiam, & tenuiſſe loca, quæ nunc vicina ſunt* (Romæ): *ex eo populos ducentes originem, ſacranos appellatos, nam ſacrati ſunt Matri Deum Corybantes; alii ſacranas acies Ardeatum volunt.* Ergo patet Cybelis ſacra anriquiſſima in Latio fuiſſe, ſi enim Roma non adhuc condita quidam vicini populi erant huic Numini ſacrati, & Scriptores Romani Sacranos ob hanc cauſam eos populos appellatos affirmarunt, nemo eſt, qui non videat vetuſtiſſimos Latii accolas Cybeli ſacra feciſſe. Addas prædictis Cybelem Trojanorum præcipuum fuiſſe Numen, Diodorus Siculus enim lib. 3. alias lib. 4. cap. 5. narrat Jaſium, Corybantem genuiſſe, Jaſio vero mortuo, Dardanum & Corybantem in Phrygiam ſacra hæc detuliſſe, ſacriſque initiatos Corybantes nominaſſe. Virgilius etiam lib. 4. Æneidos Phrygium, & Trojanum id Numen facit his carminibus:

. . . . qualis Berecynthia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per Urbes.

ubi Servius, Donatus, & Phurnutus ſcribunt Phryges, & Trojanos maxime Cybelem coluiſſe; idcirco eam Ideam etiam nuncupatam ajunt ab Ida monte Phrygiæ, in quo plurimum culta eſt: quo poſito veroſimile eſt Æneam, & Trojanos ejus ſacra in Latium tranſvexiſſe.

Id ipſum probat Varro de Lingua Latina lib. 4. aliis 5. ubi affirmat Cybelem eandem eſſe ac Rheam, & Opim uxorem Saturni, quam Tellurem Romani dicebant, quod etiam narrat Divus Auguſtinus de Civitate Dei lib. 7. cap. 23. & cap. 24., quin & Ovidius lib. 4. Faſtorum diſertè narrat Cybelem, & Rheam, Opimque uxorem Saturni eandem eſſe. En ejus carmina:

Reddita Saturno ſors hæc erat, optime Regum,
A nato ſceptris excutiere tuis.
Ille ſuam metuens, ut quaque erat edita, prolem
Devorat, immerſam viſceribuſque tenet.
Sæpe Rhea queſta eſt toties fæcunda, nec unquam
Mater, & indoluit fertilitate ſua.
Juppiter ortus erat (pro magno teſte vetuſtas
Creditur) acceptam parce movere fidem.
Veſte latens ſaxum cæleſti gutture ſedit;
Sic genitor fatis decipiendus erat.
Ardua jamdudum reſonat tinnitibus Ida,
Tutus ut infanti vagiat ore puer.
Pars manibus clypeos, galeas pars tundit inanes
Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.
Res latuit patrem, priſcique imitantia facti
Æra Deæ comites, raucaque terga movent.
Cymbala pro galeis, pro ſcutis tympana pulſant,
Tibia dat Phrygios, ut dedit ante modos.

Hiſce verſibus Ovidius tangit morem Sacerdotum Deæ, qui Corybantes dicebantur, & qui furore quodam divino correpti & bacchantes, armata ſaltatione cum tumultu, & ſtrepitu tintinnabulis, tympanis, armis, tibia, & clamore, in ſacrificiis perterrebant homines ſub adminiſtrorum ſpecie. Inde Deam Rheam Saturni uxorem facit, quod & canit Tibullus lib. 1. Eleg. 4.

At qui non audit Muſas, qui vendit amorem,
Ideæ currus ille ſequatur Opis.

& memoriæ produnt Strabo lib. 10., Diodorus Siculus, Fulgentius, aliique. Immo Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 12. hanc Deam eandem ac Majam, Bonam Deam, Terram, Faunam, & Fatuam, pleriſ-

Digitized by Google

pleriſque factam prodit: & lib. 1. cap. 21. hæc habet: *Quis enim ambigat matrem Deûm Terram haberi*.

Quare ni fallor, apparet Latinos priſcos, quorum principes Dii, Varronis teſtimonio, fuerunt Saturnus & Opis, hanc Deam maximè coluiſſe. Porrò narrant in Epulis hujus Deæ hoc die appoſitum herboſum moretum ex herbis elixis, lacte, & caſeo confectum, ut innuerent eam eſſe priſcam Deam gaudentem primis cibis, qualibus Saturni ævo veſci conſueverant ex Ovidio lib. 4. Faſtor.

Non pudet herboſum, dixit, poſuiſſe moretum
In Dominæ menſis? An ſua cauſa ſubeſt?
Lacte mero veteres uſi narrantur, & herbis,
Sponte ſua ſi quas terra ferebat, ait.
Candidus elixæ miſcetur caſeus herbæ,
Cognoſcat priſcos, ut Dea priſca cibos.

Nec eſt quod aliquis contra hæc objiciat, Romanos id Numen non niſi ſero recepiſſe, & ſacra ejus Deæ, quin & ipſam Deam Peſſinunte Romam advectam Attali Aſiæ Regis ætate, & ſecundo bello Punico ex Sybillinorum librorum oraculo, ut auctor eſt Livius Decade 3. lib. 9., quod factum haud eſset, ſi Numen, & ſacra in Latio tunc fuiſſent, ut Cluverius, & Bochartus apud Theodorum Ryckium de Primis Italiæ Colonis cap. 12. arguunt. Quippè id futile eſt, nam Veneris cultum ab Ænea in Latium aſportatum ſupra diximus: & tamen Romanos Veneris Erycinæ ſacra Romam advexiſse ex voto Fabii Maximi Dictatoris, paulò ante memoravimus; quinimmo quum Æſculapii ædes ſacra, & veneranda Latinis, Antii eſset, & ſacra ejus palàm in Latio fierent; attamen Romani bello Samnitico peſtilentia preſſi, ex eodem librorum Sybillinorum oraculo, Æſculapium ab Epidauro Romam accerſendum curarunt eodem Livio Decad. 1. lib. 10. ad finem teſte, de quo latius ex Valerio Maximo, & Ovidio dicturus ſum, quum de Antiatum Templis verba faciam: unde colligitur hæc feciſse Romanos, ut religioſè cuſtodirent quæ ex jis libris carpſerant, non autem quia in proximis Latii Urbibus ea ſacra non eſsent; & quamvis Ovidius loco mox adducto, Æneam id Numen in Latium haud aſportaſse his carminibus innuat:

Quum Trojam Æneas Italos portavit in agros,
Eſt Dea ſacriferas pene ſecuta rates.
Sed nondum fatis Latio ſua Numina poſci
Senſerat, aſſuetis ſubſtiteratque locis.
Poſt ut Roma potens opibus, jam ſæcula quinque
Vidit, & edomito ſuſtulit orbe caput &c.

Attamen viri docti putant Poëtam cultum Cybelis in priſco Latio dictis verſibus innuiſse, nam ſi Æneas, & Trojani id Numen tum venerabantur, veroſimile non eſt, gentem, quæ animo omnia Trojana Numina ferebat, eorum ſacra in regione, quam incoluerunt omiſiſse.

Cæterum ex Servii mox relati ſententia mihi conſtat & Corybantes, ideſt Sacerdotes matris Deûm in Latio fuiſse: an vero ii ſuis ipſi virilibus litarent amputato etiam ſexu, vel Archigalli vocarentur, aliaque facerent, quæ Lactantius de Falſa Religione lib. 1. cap.21., Arnobius Adverſ. Gent. lib.5., & alii referunt, aliunde non liquet. Id ſanè certum eſt ludos Megalenſes in honorem ejus Deæ à Romanis die ejus feſti habitos, tunc primum factos quum ædes ejuſdem Romæ condita fuit ex Livio loco ſuperius adducto: ex quo arguitur fortaſse, non die 4. Aprilis, ſed alio tempore, & facilè Opalium die, id feſtum Latinos priſcos coluiſse, quod tamen incertum eſt.

Decimo ſeptimo Calendas Maii, qui eſt dies Aprilis decimus quartus Fordicidia erant, feſtum Latinis priſcis ſolemne; etenim Varro lib.4. de Lingua Latina ſic ſcribit: *Fordicidia à fordis bubus, bos forda, quæ fert in ventre, à fordis cædendis, fordicidia, quod eo die publicè immolantur boves prægnantes in Curiis complures.* Hinc habetur ex priſco nomine hujus feſti origo; quippè Latini priſci bovem prægnantem *Fordam* dixerunt, eodem Varrone teſte, ubi Interpretes clarius id explicant, & Feſtus etiam lib. 5. innuit. At Ovidius lib.4. Faſtorum diſertiſſimè hanc rem enucleat, ait enim Numam Fordicidiorum ſacrum inſtituiſse ex oraculo Fauni Latinorum Numinis & Regis, & Egeriæ Nymphæ in Aricino, ut ita placarent Romani Opim, ſeu Tellurem Deam, & Terra fructus gigneret: quæ carmina relata ſunt Cap 13.. Hinc ſunt qui conjiciunt ſacra hæc, quibus boves gravidæ Opi, ſeu Telluri, vetuſtiſſimo Latinorum Numini

Numini mactabantur ad uberes fructus impetrandos, inſtituta fuiſse à Latinis hoc menſe, quo ſpem fructuum maximè ii populi auſpicabantur, cognomento ſacri deſumpto ex priſco nomine Fordæ Bovis: ſubduntque Ovidium retuliſſe monitu Fauni, & Egeriæ impulſu Numam id feſtum feciſſe, & ſacris Opim, ſeu Tellurem honoraſſe, ad indicandum quod idem Rex fordicidia à Latina gente, cujus Numina erant Faunus, Egeria, & Opis, ſeu Tellus, accepiſſet, Romaniſque indixiſſet; Latini enim priſci ideo *Fordam* dixerunt bovem prægnantem, quia ferebat, aut quod ferax eſſet, & fœtum haberet, uti fœcundum dictum putant à ferendo, & faciendo.

Hæc opinio minimè aſpernenda eſt, nam hoc die Virgo Veſtalis conſuevit cremare vitulos, quorum cinis ſervabatur in Templo Veſtæ, ut inde ſuffimen fieret, quo populus Palilibus purgaretur ex eodem Ovidio lib.4. Faſtorum ubi ſic canit:

Aſt ubi viſceribus vitulos rapuere Miniſtri,
Sectaque fumoſis exta dedere focis,
Igne cremat vitulos quæ natu maxima virgo eſt,
Luce Palis populos purget ut ille cinis.

Hic Poëta exponit vitulos ex prægnantibus bobus Telluri mactatis raptos, maximam Veſtalium cremaſſe, ſervaſſeque cinerem illum pro die Palilium, eo namque die populus ſuffitione ſanguinis equi, ſtipulæ fabarum, & dicti cineris purgabatur. Quum autem Palilium feſtum, & ritus ejuſdem à Latinis in Romanos derivaverit, ut infra dicam, palàm eſt, Latinos ante Palilia ſacrificaſſe boves gravidas Opi, unde vitulos Deæ ſacros rapere poſſent, & cinerem illorum ſervare.

Decimo nono die Aprilis erant Equiria in Circo Maximo, & vulpes cum ſtipulis ardentibus in Circum mittebantur ex eodem Ovidio, qui hujus rei cauſam refert ad adoleſcentem quemdam Carſeolanum. Hic quum maturis frugibus vulpem laqueis implicitam comprehendiſſet, eamque ſtipula involuiſſet, & accenſo igni dimiſiſſet, fugiens illa, maturas fruges aduſſiſſe dicebatur: quare id ſingulis annis Romani repetebant, ut vulpes Cereri ob aduſtas fruges pœnas darent. Equiria igitur à Romanis primum, non à priſcis Latinis celebrata fuiſse comperio. Sunt vero qui ferunt, vulpes ſtipulis alligatas

accenſa flamma curſitaſſe, ut memorarent prodigium, quod Æneæ, & Trojanis oblatum eſt dum Lavinium conderetur, quum, in nemus ſua ſponte accenſum lupus ore geſſiſſet fomitem aridum, atque illuc aquila advolaſſet, & alarum ventilatione flammam excitans, vulpes contra, cauda in flumen intincta ignem ab illis accenſum aſperſit, & tandem abiit conatu irrito, ut auctor eſt Dionyſius lib. 1., qui hæc addit: *Quo viſo Æneam dixiſſe illuſtrem quidem, & mirandam futuram eam Coloniam, ſed ſuis incrementis invidioſam, & moleſtam circumvicinis: fore tamen, ut tandem vincat adverſarios, humanæ invidiæ prævalente favore Numinum. Tam inſigne futuræ Urbis fortunæ præſagium tunc accidiſſe dicitur, extantque rei monumenta in foro Lavinienſium, ære horum animalium effigies longiſſimo ibi tempore aſſervatæ.* Hinc tradunt Dionyſii Scholiaſtes, à Lavinienſibus hujus rei feſtum indictum fuiſſe: quæ ſi vera ſunt, facilè eſt Latinos hoc feſto exhibuiſſe ſtipula alligatam accenſa flamma curſitantem vulpem, quæ ignem, ideſt Lavinii gloriam extinguere contendebat, ut ita invidum animal pœnas lueret, quod tamen pro commento exiſtimo, veroſimiliùs tamen eſt fabulâ illâ, quam Ovidius adducit.

Eodem die Cerealia fuerunt in honorem Cereris, de quibus alio loco dicam. Id feſtum hoc ipſo die notatur in Calendario Romano, & apud Roſinum lib. 4. cap. 8., ejuſque ritum Quirites à Latinis accepiſſe non dubito, ſic prodente Dionyſio lib. 1., qui loquens de feſtis quæ Arcades in Latium tranſvexerunt: *Cereri quoque*, inquit, *Templum extruxerunt, & per fœminas Sacerdotes ſacra ei fecerunt abſtemia more Græco, quorum nihil mutatum eſt noſtro tempore*; quo die facilè eſt, ut dixi, Latinos in memoriam prodigii, quod jactabant Æneæ accidiſſe Lavinium condenti, recoluiſſe.

Undecimo Calendas Majas, qui eſt dies Aprilis vigeſimus primus, erant Palilia, quæ plerique Parilia vocant, cjuſque feſti meminit Ovidius lib. 4. Faſtorum, qui tamen id refert ad duodecimum Calendas Majas. Hic dies fuit ſolemnis Latinis populis ante Romulum, nam etſi Dionyſius lib. 1. propè finem hæc habeat: *Quem diem* (quo ſcilicet fundata eſt Roma) *Romana Civitas noſtro quoque tempore ſingulis annis feſtum celebrat, vocatque Parilia, quum ineunte*

by Google

eunte vere Agricolæ paſtoreſque pro partu quadrupedum Diis acturi gratias ſacra faciunt; utrum vero hunc diem jam ante proſperis ſucceſſibus feſtum Urbi etiam condendæ auſpicatum duxerint, an Urbis initio conſecraverint, Deoſque paſtorales in eo honorandos ſanxerint, affirmare certo non poſſum: (quo fit Dionyſium de origine hujus feſti dubitare) attamen Plutarchus in Romulo diſertiſſimè probat eodem die, quo Urbs condita eſt, Palilia à Latinis priſcis celebrari conſueviſse; & quidem feſti ritum id ipſum evincit, quandoquidem celebritas hujus diei peracta fertur his cæremoniis ex Ovidio:

Sanguis equi ſuffimen erit, vitulique favilla,
Tertia res, duræ culmen inane, fabæ.

Hæc pertinent ad luſtrationem, ſeu purgamen populi, quod piaminis genus paulò ſuperius attigimus: quippè manibus tollebant vituli cinerem ſervatum à Veſtalibus inſperſum equino ſanguine, aridoſque fabarum culmos, hiſque ſuper prunas impoſitis fiebat ſuffitio, qua luſtrabantur. Unde Poëta cæremonias in ovium purgatione ita exponit:

Paſtor oves ſaturas ad prima crepuſcula luſtret,
Unda prius ſpargat, virgaque vertat humum.
Frondibus & fixis decorentur ovilia ramis,
Et tegat ornatas longa corona fores.
Cærulei fiant puro de ſulphure fumi,
Tactaque fumanti ſulphure balet ovis.
Ure mares oleas, tædamque, herbaſque Sabinas,
Et crepet in mediis laurus aduſta focis.
Libaque de milio, milii fiſcella ſequatur
Ruſtica: præcipuè eſt hæc Dea læta cibo.
Adde dapes, mulctramque ſuas; dapibuſque refectis,
Silvicolam tepido lacte precare Palem.

Paſtores ergo eo die conſueverunt ovilia frondoſis, & virentibus ramis, ac florum ſertis ornare, & luſtrare oves primum aqua, quo tempore virga paſtorali tellurem verrere oportebat, dein accenſis focis fumo oleæ ſterilis, tædæ, herbæ Sabinæ, ac laurus viridis, quo etiam fumo paſtores ipſi luſtrabantur. His peractis liba de milio, & fiſcel-
lam

lam milio plenam Deæ offerebant, & lac tepidum libabant, ut Paulus Marſus in eum locum narrat: demum recitatis verbis, quibus precari Deam moris erat, ſic concludit Ovidius:

His Dea placanda eſt, hæc tu converſus ad ortus,
Dic quater, & vivo perlue rore manus.
Dum licet appoſita veluti cratere canella,
Lac niveum potes, purpureamque ſapam.
Moxque per ardentes ſtipulæ crepitantis acervos
Tranſilias celeri ſtrenua membra pede.

Inter cauſas tamen hujus moris plures adducit, quarum unam ad Æneam refert his verſibus:

An magis hunc morem pietas Æneïa fecit,
Innocuum victo, cui dedit ignis iter?

His ergo carminibus Poëta prodit, paſtores converſos ad Orientem precibus quater dictis, aqua fluminis manus abluiſse, & lac, atque ſapam potaſse; inde noctu per ignes tranſiliiſse; erant enim ob hanc rem ea nocte, tam in Urbibus, quam in ovilibus accenſi foci per ordinem diſpoſiti, quorum flammas ad extremam luſtrationem tranſilire oportebat, ut Naſo ipſe paulò ante canit.

Certe ego tranſilii poſitas ter in ordine flammas,
Virgaque rorales laurea miſit aquas.

quem morem refert etiam Tibullus lib.2. Eleg.6.

At madidus Baccho ſua feſta Palilia paſtor
Concinet, à ſtabulis tunc procul eſte lupi.
Ille levis ſtipulæ ſolemnes potus acervos
Accendet, flammas tranſilietque ſacras:

& Propertius lib.4. Eleg.4. de fabula Tarpejæ:

Cumque ſuper raros fœni flammantis acervos,
Trajicit immundas ebria turba dapes.

Ritus itaque priſcus paſtorum jam expoſitus nil prorſus ad Feſtum natalis diei Urbis Romæ pertinet, neque contrarium probant Solinus Polyhiſtor. cap.2. Ovidius, Cenſorinus lib. 1. de Die Natali, Feſtus lib.14., Varro de Re Ruſtica lib.2. cap.1., Cicero lib.2. de Divin., & alii, qui ajunt eo die obſervatum Romæ fuiſse ne qua hoſtia cæderetur, quod eum diem, qui Romæ natalis erat à cæde, & ſanguine

Digitized by Google

ſanguine decebat eſse purum, & nequicquam facit quod Palilibus dies Urbis natalis incurreret, jam enim diximus, hoc die, quo Latini id feſtum agitabant, Romulum Romam condidiſse ex Plutarcho aliiſque.

Palem Paſtorum Deam appellant Ovidius, Virgilius lib. 3. Georgic., Lucius Florus Geſtorum Romanorum lib. 1. cap. 20., Feſtus lib. 14., Varro, Dionyſius, & alii. Plerique Deam pabuli, & Veſtam, aut Matrem Deorum: alii non Deam, ſed Deum faciunt, ut videre eſt apud Servium ad lib. 3. Georgicorum. Non deſunt qui *Parilia* ſic dicta putant, quod illis pro *partu* pecoris Pali ſacrificaretur. Alii non *Parilia*, ſed *Palilia* à Dea Pale dicta tradunt, ut Feſtus verbo *Pales*. At ego ex vetuſtiſſimo more, atque ex controverſia Romanorum Scriptorum ſuperius adducta, conjicio hanc Deam fortaſse fuiſse *Palatiam*, vel *Pallantiam*, aut *Palatuam*, vel *Palantiam*, ut alii legunt, Roſinus præſertim lib. 3. cap. 17. qui Palateam eam vocat, Latini Regis uxorem, Evandri filiam, cujus meminit Varro lib. 4. & 6. de Lingua Latina, ſcribens in ejus honorem Latinos, & dein Romanos Palatualia feſta dicaſse, & Flaminem, ex eodem Varrone qui lib. 6.: *Sunt*, inquit, *in quibus flaminum cognominibus latent origines, ut qui ſunt in verſibus, pleriq; Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis, obſcura eſt eorum origo: Volturnus, Palatua, Fucina, Flora, Falacer, Pomona pomorum patrona*: quod etiam probant doctiſſimi Salmaſius in Exercit. Plinianis, & Dacerius ad Feſtum lib. 14. verbo *Palatium*, & verbo *Palatualis*: & ſic facilè eſt, paſtores, qui ante Romam conditam Palatium incolebant, ejus Deæ, cui Palatuar ſacrum, in eo monte ei dicato inſtituerant ex Feſto lib. 14., Varrone apud Roſinum lib. 4. cap. 16., feſta percoluiſse. Mihi ſuadet etiam Palatualium & Palantiæ, quorum meminit Varro, nullam memoriam, quod ſciam, apud antiquos ſupereſse, neque diem, aut menſem, quo ea feſta celebrarentur notatum eſse, quum tamen ſolemnia dicantur à Varrone, uti ex Flamine huic ſoli Deæ ſacro colligitur. Quare quum, ut ſæpe dixi, mos eſset Latinis immutandi Regibus, ac Reginis conſecratis nomina, palàm eſse affirmarem, paſtores Palantiam, Palem nuncupaſse, ni me terreret ejuſdem Varronis auctoritas, ſeu

verius in re tam vetuſta confuſio; is enim referens Palatualia ſacra, & Palilia feſta, videtur unum feſtum ab altero ſeparare.

Vinalia ſequebantur, quæ Roſinus lib.4. cap.8. nono Calendas Maii ait celebrata ex Calendario: Ovidius vero lib.4. Faſtor. decimo Calendas Maii, & ſic die vigeſimo ſecundo Aprilis. Omnes putant hanc celebritatem à Latinis priſcis in Romanos derivaſſe. Sed quoniam de his feſtis varia, & diverſa ſcribunt Auctores, idcirco noſtrum erit rem tam veterem, & obſcuram illuſtrare. Maſurius lib.2. Faſtorum, qui & Maſurius Sabinus, Juris Conſultus vetuſtiſſimus ſecundum Varronem de Re Ruſtica cap. 4. & vetus Gloſſarium Perſii ad ea carmina:

Cur mihi non liceat, juſſit quodcumque voluntas
Excepto ſi quid Maſuri rubrica notavit;

Maſurius inquam apud Macrobium Saturnal. lib. 1. cap. 4.: *Vinaliorum dies*, inquit, *Jovi ſacer eſt, non ut quidam putant Veneri*: Feſtus lib.3. verbo *Calpar*, ſic ſcribit: *Calpar vinum novum, quod ex dolio demitur ſacrificii cauſa, antequam guſtetur; Jovi enim prius ſua vina libabant, quæ appellabant Feſta Vinalia, Calpar genus vaſis fictilis*, & lib.16. poſt vocem Roſcii, ait: *Ruſtica vinalia menſe Auguſto, ut eſt in faſtis, Veneri fiebant, quod eodem illo die ædes ei Deæ conſecrata eſt, jumentaque, & olitores ab opere ceſſent, quia omnes horti in tutela Veneris eſſe dicuntur*.

Et infra pag.480. Paulus ejuſdem mutilator: *Ruſtica vinalia quartodecimo Calendas Septembris celebrantur, quo die vinum primum in Urbem deferebant*: & Feſtus ipſe: *Ruſtica*, ait, *vinalia appellantur menſe Auguſto quartodecimo Calendas Septembris, Jovis dies feſtuis, quia Latini bellum gerentes adverſus Mezentium, omnis vini libationem ei Deo dedicaverunt, eodem autem die Veneri Templa ſunt conſecrata*: & itidem lib. 19. & 20.: *Vinalia diem feſtum habebant, quo die vinum novum Jovi libabant*. Varro de Lingua Latina lib.5. ſic ſcribit: *Ruſtica vinalia dicuntur ante diem duodecimum Calendas Septembris, quod tum Veneri dicata ædes, & horti ejus tutelæ aſſignantur, ac tum ſunt feriati Olitores*: & infra: *Vinalia à vino: hic dies Jovis, non Veneris; hujus rei cura non levis in Latio, nam aliquot locis vindemiæ primum à Sacerdotibus publicè fiebant*

fiebant, ut Romæ etiam nunc, nam Flamen Dialis auſpicatur vindemiam, & ut juſſit vinum legere, agna Jovi facit, inter cujus exta cæſa, & porrecta, flamen prorſus vinum legit.

Ex his nil certi unquam ſtatui poteſt, nam Feſtus, qui vinalia menſe Auguſti Veneri ſacra dicit, alio loco ea Jovi ſacra facit, & Calpar cum vinalibus confundit. Varro etiam modo ſcribit hunc diem Veneris, modo Jovis eſſe, & Paulus verè mutilator Feſti, more ſuo ſe involuit. Ovidius lib.4.Faſtorum hunc diem & Veneri, & Jovi dicatum ſcribit, Veneris enim diem vinalia facit his carminibus:

Dicta Pales nobis eſt, jam vinalia dicam,
Una tamen media eſt inter utrumque, dies.
Numina vulgares Veneris celebrate puellæ &c.

Jovis autem aliis verſibus, quos retulimus Cap.6.: ubi id feſtum inſtitutum prodit ab Aſcanio Æneæ filio ſecundum antiquorum opinionem, quam Auctor Originis Gent. Romanor., & Dionyſius lib.1. referunt, quamvis Feſtus verbo *Oſcillum* Latino id attribuat, & Plutarchus Æneæ, ut infra dicam.

Scaliger vir doctiſſimus, & rerum antiquarum optimè gnarus, in Caſtigationibus ad Feſtum, & in Conjectaneis ad Varronem, Vinalia Veneris menſe Aprili, & Vinalia Jovis menſe Auguſti, quæ Ruſtica Vinalia dicebantur,fuiſſe ſcribit: quod palàm eſt; nam menſe Aprilis Vinalia aſſignant Calendarium antiquum, Ovidius, Plutarchus, & alii. Alia vero menſe Auguſti jam relati Scriptores exponunt: at vir alioquin de re antiquaria optimè meritus, cauſam hujus rei non explicat, quum ratio duplicis feſti ea ſit, quæ rem explanat. Eam habes ex Plutarcho Problem. cap. 43. aliis 44. cujus verba ſupra Cap.9. notavi, is enim ſcribit Æneam (quod alii accidiſſe ajunt Aſcanio) Jovi ſacraſſe vinum, quod Mezentius Etruſcorum Rex petierat, partaque victoria, vinum collectum templo Veneris effudiſſe, eumque diem, quo multum vini Æneas in templo Veneris profudit, Veneralia priſcos Latinos nuncupaſſe, & Feſtum Veneri feciſſe: quod poſtmodum corrupto nomine, ſeu ex vini profuſione Vinalia etiam dixerunt.

Hinc colligitur cauſa duplicis feſti, quippè Latini priſci memoriam hujus facti recolentes, unum diem menſis Veneri dicati, ideſt

Aprilis, quo fortaſſe Æneas, ſeu fortè Aſcanius voti compos factus, vinum eo anno collectum effudit in templo Veneris Lavinienſis, ei Deæ dicarunt, & Veneralia prius, inde Vinalia dixerunt: quo die exemplo Aſcanii in æde Veneris Lavinii, & in aliis Urbibus multum vini effundebant uſque ad Plutarchi ætatem. Alterum vero diem Auguſti, quo fortaſſe Jovi votum ab Aſcanio conceptum eſt, ei Deo ſacrarunt, & Ruſtica Vinalia vocarunt, ut hoc die ita Aſcanio inſtituente, gratiæ Jovi redderentur.

Ex his lumen Maſurio Sabino, & aliis, quandoquidem Vinalia revera à Latinis Jovi dicata erant, ut Sabinus apud Macrobium ait; Veneri vero Veneralia, quæ poſtmodum Vinalia etiam dicta ſunt uti ex Plutarcho patuit. Ob hanc rem adhuc obſcuram, Varro, & Feſtus confundentes utrumque diem, Jovis & Veneris feſta quartodecimo Calendas Septembres produnt, quod eo die vina libarent Jovi, & Veneris ædes Romæ dicata eſſet. Ovidius vero decimo Calendas Majas Vinalia notat, eumque diem Veneri & Jovi ſacrum ſcribit, quum is dies tantum Veneri ſacer eſſet, idque accidiſſe facilè eſt, quod vulgus & ruſticis Vinalibus, & Veneralibus, ſeu Vinalibus Veneris, templa Jovis, & Veneris frequentaret ob veterem famam quod Latini Vinalia Jovi, & Veneri ſacraſſent, temporibus, & cauſis haud ritè diſtinctis.

Porrò etiam Alexander Genialium lib.6. cap.8., hac in re ſe inuoluit, ſic enim ſcribit: *Vinalia autem erant duplicia, altera vinis deguſtandis duodecimo Calendas Martias, quum vina pura ſunt, quo die Jovi novum vinum libare mos eſt, quod ex dolio hauſtum calpare eximebant: altera, quibus Flamen Dialis vindemiam auſpicatus maturis uvis vinum legere, & vindemiam fieri jubet: quibus diebus agnam Jovi immolat, interque cæſa, & porrecta vinum legit, quo tempore ex fano Veneris vinum affatim effundebant, fuitque veteri lege ſancitum, ut Flamen Martialis diceret diem veteri vino libando medicaminis cauſa, inde uſurpatum verbum: Novum vetus vinum bibo, novo veteri vino morbo medeor, unde Meditrinæ nomen Deæ, cujus ſacra Meditrinalia, & dies Meditrinalis, ſicuti ad primitias pomorum, nova eſſe dicebant vetera, & alia exoptabant nova ominis cauſa; præter quæ fuerunt Ruſtica Vinalia, quod*

Veneri

Digitized by Google

Veneri ædes tunc dicata foret, quæ dies tempeſtatibus leniendis ſolemnis babebatur, qua novum vinum in Urbem ferre, & in cellis vinariis condere aſſueverant: apud Tuſculanos lege cautum erat, ne quis novum vinum antequam Vinalia calentur in Urbem inveheret. Hactenus Alexander, qui tria Vinalia aſſignat contra antiquorum ſententiam, & Feſto ac Varrone haud benè intellectis hiſtoriam penè univerſam confundit. Quippè is ex Feſto verbo *Calpar* tertium Vinalium diem mendosè hauſit, quum Feſtus ibi referat morem Latinorum Ruſticis Vinalibus quæ Auguſti menſe erant, uti dictum eſt, libandi ſua vina Jovi, eo namque die, quo Aſcanius vina Jovi ſacraverat, nova vina, ideſt collecta vindemia labentis anni (nam menſe Auguſti uvæ adhuc maturæ non erant) prius quam guſtarent, ei Deo libabant: & ni ita feciſſent, reliquum omne vinum ſacrum fiebat, uſibuſque humanis eripiebatur, ut notat Dacerius ad Feſtum verbo *Calpar*, ubi ex Varrone, Calpar Latinos priſcos dixiſſe obſervat vas vinarium priuſquam dolii nomen prolatum eſſet, unde vinum, quod tunc libabant, *Calpar* nuncuparunt, ſubditque eoſdem quum libarent, hæc verba protuliſſe: *Macte Hocce Vino Inferio eſto.*

Comperimus & Athenienſes die undecima menſis Auguſti Vinalia celebraſſe, quod eo die è dolio vina libarent Numinibus ex Plutarcho 3. Sympoſ.: & ſive id fecerint Latini Feſtis vinalibus Auguſti, ut Paulus Feſti mutilator ſcribit, ſive duodecimo Calendas Martias, ut Alexandro arridet; id tamen Vinalium feſtum haud erat, ſed privatum ſacrum: quandoquidem vindemiarum tempore Latinos plura privata feciſſe ſacrificia conſtat ex Columella de Re Ruſtica lib. 12. cap. 18., qui referens modum parandæ vindemiæ, ita ſcribit: *Cellæ quoque vinaria omni ſtercore liberanda, & bonis odoribus ſuffienda, ne quem redoleat fœtorem acroremque; tum ſacrificia Libero, Liberæque, & vaſis preſſoriis quam ſanctiſſime, caſtiſſimeque facienda.* Itidem Feſtus lib. 17. verbo *Sacrima*, aliud ſacrificii genus his verbis prodit: *Sacrima appellabant muſtum, quod Libero ſacrificabant, pro vineis* (verius tinis) *& vaſis, & ipſo vino conſervandis.*

Confundit etiam Alexander Meditrinalia, & Vinalia, ea enim feſta occurrebant die quinto Idus Octobris, quo Latini teſtimonio Feſti lib. 11., & Varronis lib. 5. de Lingua Latina, primum guſtabant muſtum

muſtum eo menſe, & Septembri collectum, ut Scaliger, & Dacerius in Feſtum ſcribunt, & ego fuſius ſuo loco dicturus ſum: quare liquet Latinos bis Diis libaſſe, muſtum ſcilicet, & dein vinum. Confundit etiam Vinalia, & diem, quo Flamen Jovis vindemiam auſpicatus, & ſacrificio peracto, vindemiam in Latio fieri jubebat teſte Varrone lib. 5., nam ex eodem Varrone apparet id factum incerto die, menſe fortaſſe Septembri, quo Dialis Flamen vindemiam indicebat, & Jovi agnam mactabat.

Ex his, ni fallor, res adeo vetuſta & obſcura ex Plutarcho declarata eſt, unde etiam lumen Varroni lib. 5. ita ſcribenti: *In Tuſculanis ſacris eſt: vinum novum ne vehatur in Urbem antequam vina calentur*: id eſt antequam vinum libarent Jovi menſe Auguſti Vinaliorum die, ante quem non licebat vinum labentis anni in Urbem invehere, ut Paulus ad Feſtum ſupra relatus ait, vel ut alii referunt antequam per Sacerdotem eſſent Vinalia publicata, quod fortè eſt veroſimilius, quum Sacerdotum maximus in unaquaque Urbe omnibus menſibus plebi feſtos dies indicare conſueverit ex Macrobio lib. 1. cap. 15., qui ideo *Kalo* idem fuiſſe apud antiquos, ac voco plebem, aſſerit.

Septimo Calendas Majas die ſcilicet vigeſimo quinto Aprilis Rubigalia erant ex Calendario, Feſto lib. 16., Ovidio lib. 4. Faſtor., & aliis. Hæc feſta Servius in lib. 1. Georgic. ad illud Virgilii:

Mox & frumentis labor additus, ut mala culmos
Eſſet Rubigo . . . .

vocat Rubiginalia, & decimo Calendas Majas fuiſſe aſſerit; mendoſe tamen ut arbitror. Robigus, aliis Rubigus Latinorum antiquiſſimum Numen dicitur apud Varronem lib. 1. de Re Ruſtica cap. 1., Ovidius vero Robiginem Deam affirmat; at viri docti Rubigum ſcribunt. Ritus ejus feſti hic proditur, ne Rubigo (genus ſcilicet vitii, quo culmi pereunt, quod ruſticis calamitas dicitur) frumenta invaderet, Sacerdos ſacrum extra Oppida, & ſecundum ſegetes huic Deo faciebat, in quo mactato catulo lactente, ſuper ejus exta thus, & merum infundebat ſecundum Columellam lib. 10. Rei Ruſticæ.

Hinc mala Rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis catuli placatur, & extis.

Ita

Digitized by Google

Ita & apud Varronem lib. 5. de Ling. Latina, Feſtum loco jam adducto Plinium lib. 18. cap. 19. aliis 29., quamvis Dacerius ad Feſtum lib. 16. ex Ovidio id ſacrum ſue, & cane factum prodat, ut videtur innuere idem Ovidius his carminibus lib. 4. Faſtorum:

Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat
Exta canum flammis, exta daturus ovis.

at ex jam adductis lactenti catulo ex omnium ſententia, ove etim juxta Ovidium huic Deo ſacrificatum conſtat.

Plinius lib. 18. cap. 19. memoriæ prodit id feſtum Numam anno Regni ſui undecimo inſtituiſſe: *Robigalia Numa inſtituit anno Regni ſui undecimo, quæ nunc aguntur ante diem ſeptimum Calendas Majas, quoniam tunc ferè ſegetes Robigo occupat*: at ego ex more huic Deo ſacra faciendi, arbitror id feſtum priſcis Latinis ſolemne fuiſſe, & Numam illud à Latinis populis accepiſſe. Nam ex Varrone probatum eſt huic Deo priſcos Latinos ſacrificaſſe, ritus vero placandi Numen ſanguine, & extis catuli lactentis id ipſum probat; licet enim Ovidius lib. 4. cauſam hujus rei referat ad caniculæ ſidus, ut ita pro cane ſidereo placando, canis mactaretur; attamen ex Plutarcho Problem. cap. 67. aliis 68. apparet, ritum immolandi canem primum in Latium Græcos tranſvexiſſe, Arcades præſertim, qui Lupercalibus cane ſacra facere conſueverunt: & cap. 106. ad finem is diſertiſſimè probat Lacedæmonios Marti catulos ſacrificaſſe, & dein Latinos Lupercalibus canem immolaſſe, unde morem in aliquibus ſacris, canibus Numina placandi derivaſſe commemorant. Quare conjici poteſt, ante Romam conditam Arcadum feſtum id fuiſſe, quod Romani Numæ attribuerunt, quum is primum Romæ id feciſſet. Hac de cauſa Veſtales, & Veſtale Sacerdotium Quirites à Numa inſtitutum referunt teſtimonio Plutarchi in Numa, quum tamen palàm ſit Lavinienſes, & Albanos, ante Numam Veſtales Virgines, & Sacerdotes Veſtæ habuiſſe, & eum Regem ab jis ſacra Veſtæ accepiſſe, ut habes ex Livio lib. 1., Dionyſio lib. 1. & dictum eſt Cap. 9. & alibi.

CAPUT

CAPUT XVII.

De Majo menſe, ejuſque diebus Feſtis.

SAtis dictum eſt ſuperiori Capite 14., Majum menſem Latinos priſcos Majæ quæ eadem & Fauna, ſeu Fatua, & Bona Dea Fauni Latii Regis uxor, & ſoror fuerat, dicaſſe: quare colligitur, hoc menſe ſacra ei Deæ facta uti contendit Feſtus lib. 11.: *Majus*, inquit, *menſis in compluribus Civitatibus Latinis ante Urbem conditam fuiſſe videtur, qua ex cauſa utrum à majoribus, ut Junius à Junioribus dictus ſit, an à Maja, quod Mercurio filio ejus res divinæ . . . . . fiant ſolemnes? an quod ipſi Deæ in multis Latinis Civitatibus ſacrificia fiebant*. Sic Feſtus, qui hanc Majam Mercurii matrem facit contra ea, quæ dicta ſunt eodem Capite 14., ubi & Ovidii, & Plutarchi ſententias examinavimus. Puto itaque Calendis Maiis ea ſacra facta ex Ovidio lib. 5. Faſtorum: quod ſacrificium Damium dictum ſcribit Feſtus lib. 5., & malè per antiphraſin ſic vocatum prodit, quaſi minimè publicum eſſet: quum conſtet pro populo factum fuiſſe, & ſub dio, ut advertit Scaliger & Dacerius, & apparet ex Cicerone epiſt. 14. lib. 1. ad Atticum, qui Clodii ſacrilegium narrans, ait: *Credo enim te audiviſſe, quum apud Cæſarem pro populo fieret, veniſſe ibi muliebri veſtitum virum*. Sacri ritum deſcripſimus Capite 4. & modo addendum eſt, id ſacrum in æde Pontificis fieri ſolitum, nam quum ea inſtarent ſolemnia, vir ipſe cunctique mares una commigrabant; uxor vero ornatiſſimè domum inſtruebat, ubi maxima ſacrorum pars noctu peragebatur, ferentibus etiam in eum locum fœminis Sacerdotibus ſimulacrum Deæ vitigineis intextum ramis, & ſacrum Draconem, uti ex Varrone, & aliis tradit Paulus Marſus ad lib. 5. Faſtorum Ovidii in ea carmina:

Quo feror? Auguſtus menſis mihi carminis bujus,
Jus babet, interea Diva canenda Bona eſt.

Plutarchus vero in Cæſare ſcribit, putaſſe ſacrificantes ſacrum draconem ad ædes Deæ jacere.

Sexto

Digitized by Google

Sexto Nonas Maii, ideſt die ſecundo, Compitalia fuiſſe comperimus ex Calendario apud Roſinum. At Varro de Lingua Latina lib. 5. quotannis eum diem conceptum ſcribit: unde Macrobius Saturnalium lib. 1. cap. 4. ad finem refert verba, quibus Compitalia concipi ſolebant: quare viri docti exiſtimant eas ferias haud ſtatas, ſed conceptivas fuiſſe, quod patet ex Auſonii Eidyllio 25.

Et nunquam certis redeuntia feſta diebus,
Cum ſua per vicos Compita quiſque facit.

Sed Calendarium vetuſtum Romanorum ſtato die id feſtum adnotabat, quod Compitalibus is dies ab antiquis fortaſſe præſcriberetur; veruntamen quum per multum temporis ea ſacra fieri deſiiſſent, ferunt L. Piſonem magno apparatu ea reſtauraſſe, & quum primum per Magiſtros Vicorum fierent, Piſo per Præfectos Vicorum ea celebrari juſſit: quod patet ex Aſconio Pædiano ad orationem Ciceronis in Piſonem, & Alexandro Genial. lib. 6. cap. 19. ubi ſcribit ſublatis Collegiis iterum plura ejus feſta fuiſſe immutata: unde forte id quoque additum fuit, ut conciperetur dies, quo Compitalia peragerentur: atque ita Varro, & Macrobius reſpondent Calendario, referente præſertim Suetonio in Octaviano Auguſto cap. 31., ab eo Compitales Lares ornari bis in anno inſtituitum vernis floribus, & æſtivis:

Cæterum Dionyſius lib. 4. loquens de Tullio Rege Romanorum, hæc habet: *Deinde per omnia compita mandavit ut viciniæ ſacella lignea dedicarent Geniis Compitalibus, & quotannis eis ſacra facerent, conferentibus liba ſingulis domibus. Sacrificiis, qui Compitalium tempore pro vicinis ſacra facerent, non ingenuos, ſed ſervos adeſſe, ac miniſtrare voluit, quaſi Geniis illis gratum eſſet ſervorum miniſterium: quod feſtum noſtra quoque ætate Romani agitant paucis diebus poſt Saturnalia ſumma cum veneratione, ac magnificentia, duratque mos ille priſcus in ſacris placandi Genios per ſervorum miniſteria: qui omni ſervitutis nexu per eos dies liberantur, ut humanitate iſta, cui magnum quid, & venerandum ineſſet, manſuetiores redditi, Dominos cariores habeant, & levius ferant ſuæ fortunæ inclementiam*: hactenus Dionyſius, qui tamen ſcribit menſe Decembri hæc ſacra peracta. Quoniam vero ejus ætate bis in anno Laribus

ex Auguſti inſtituto ſacra per compita fiebant, ut diximus, hinc factum eſt eo tempore, ſervos hyeme (Decembri ſcilicet) æſtate, aut vere, & ſic hoc menſe iterum liberos ea ſacra curaſſe: ex quibus tamen haud negari poteſt, rem adeo vetuſtam obumbratam remanere.

Illud ſanè certum eſt Compitalia Latinis priſcis fuiſſe, eorumque ritum in Romanos propagatum; nam, etſi Dionyſius hujus feſti originem Tullo Regi tribuat, & Plinius lib.36. cap. 27. ad finem caufam adſignet quod quum Tarquinio Priſco regnante in foco genitale repente apparuiſſet, eo in ſinum admoto mater Servii Tullii Ocriſia ſtupens miraculo, haud multo poſt Servium enixa eſt, qui mox Regno ſucceſſit, indeque Laris filius is dictus fuit. Attamen apud Macrobium Saturnalium lib. 1. cap.7. alia legitur cauſa his verbis expoſita: *Nec illam cauſam, quæ Saturnalibus aſſignatur ignoro, quod Pelaſgi, ſicut Varro memorat, quum ſedibus ſuis pulſi diverſas terras petiiſſent, confluxerunt plerique Dodonam, & incerti quibus hærerent locis, ejuſmodi accepere reſponſum &c.* Et paulò poſt: *Acceptaque ſorte, quum Latium per errores plurimos appuliſſent, in Lacu Cutilienſi enatam Inſulam deprehenderunt*: inde ſic pergit: *Hoc igitur miraculo deprehenſo, has ſibi ſedes prædictas eſſe didicerunt, vaſtatiſque Sicilienſibus incolis occupavere regionem, decima prædæ ſecundum reſponſum Apollini conſecrata, erectiſque Diti Sacello, & Saturno Ara, quumque diu humanis capitibus Ditem, & Virorum victimis Saturnum placare ſe crederent propter oraculum; Herculem ferunt poſtea cum Geryonis pecore per Italiam revertentem ſuaſiſſe illorum poſteris, ut fauſtis ſacrificiis infauſta mutarent, offerentes Diti non hominum capita, ſed oſcilla ad humanam effigiem arte ſimulata*: & infra: *Hic Albinus Cæcina ſubjecit: Qualem nunc permutationem ſacrificii Prætextate memoraſti, invenio poſtea Compitalibus celebratam, quum ludi per Urbem in compitis agitabantur reſtituti à Tarquinio Superbo Laribus, ac Maniæ ex reſponſo Apollinis, quo præceptum eſt, ut pro capitibus, capitibus ſupplicaretur, idque aliquandiu obſervatum, ut pro familiarum ſoſpitate pueri mactarentur Maniæ Deæ Matri Larum: quod ſacrificii genus Junius Brutus Conſul Tarquinio pulſo aliter conſtituit cele-*

celebrandum, nam capitibus allii, & papaveris ſupplicari juſſit, ut reſponſo Apollinis ſatisfieret de nomine capitum, remoto ſcilicet ſcelere infauſtæ ſacrificationis: factumque eſt, ut effigies Maniæ ſuſpenſæ pro ſingulorum foribus, periculum, ſi quod immineret familiæ, expiarent, ludoſque ipſos ex viis Compitorum, in quibus agitabantur Compitalia appellitaverunt.

Hinc habemus ex Varrone & Macrobio priſcos Latinos ex Herculis inſtituto, Pelaſgorum nefario ſacro immutato, Diti oſcilla ad humanam effigiem arte ſimulata pro humanis capitibus ſuſpendiſſe, idque feſtum quotannis feciſſe. His poſitis, ſacri intentionem ſcrutari opus eſt. Eam tradit Feſtus, & Paulus ejuſdem mutilator lib. 14. his verbis: *Pilæ, & effigies viriles, & muliebres ex lana Compitalibus ſuſpendebantur in compitis, quod hunc diem feſtum eſſe Deorum inferorum, quos vocant Lares putarunt: quibus tot pilæ quot capita ſervorum, tot effigies quot eſſent liberi ponebantur, ut vivis parcerent, & eſſent his pilis, & ſimulacris contenti*: ubi Scaliger, & Dacerius notant, has laneas effigies Manias dictas fuiſſe. Alio loco idem Feſtus lib. 11. ſic ſcribit: *Laneæ effigies Compitalibus noctu dabantur in compita, quod Lares, quorum is erat dies feſtus animæ putabantur eſſe hominum redactæ in numerum Deorum.*

At Arnobius contra Gentes lib. 3. memoriæ prodit Lares Vicorum, atque itinerum Deos eſſe, idque Plautus in Mercat. Act. 5. Scen. 2. probat eo carmine:

Vos Lares Viales, ut me bene juvetis.

& Ovidius lib. 2. Faſtorum:

. . . . *geminoſque parit, qui compita ſervant,*
Et vigilant noſtra ſemper in æde Lares.

Tertullianus etiam in Apologet. cap. 13. ait eos eſſe domeſticos Deos, quod & Plutarchus Problem. cap. 51. confirmat, & Plautus in Prologo Aululariæ:

Ego Lar ſum familiaris ex hac familia
Unde exeuntem me aſpexiſtis.

Mihi vero Feſtus arridet, Lares enim credebantur Dii inferi, & Dæmones ex Apulejo in libro de Deo Socratis, & in alio de Dogmate Platonis, Divo Auguſtino de Civitate Dei lib. 9. cap. 11., Marciano

Capella, & aliis. Hos & Plato prodit Miniſtros Deorum, & Cuſtodes hominum, ſi credimus Apulejo. Quare Oſcilla, & Laneas effigies virorum, & mulierum in Compitis, Laribus hoc die ſuſpendebant, ut ii illis ſimulacris contenti, vivis parcerent, ideſt, ut pro capitibus, quibus Diti ſacrificabant, ea ſimulacra offerrent, contentique Dii inferi his eſſent, ut Hercules edixerat.

Idcirco Manias ea ſimulacra dicebant, & Maniam Deam eo ſacro invocabant, quod ea putaretur mater, ſeu avia Larium, cujus medio manes, ſeu Lares ad inferos, & ad ſuperos evolarent ex Feſto lib. 11. verbo *Mania*, & *Manes*, & Servio ad lib. 3. Æneidos ad illud:

. . . . *ſtant Manibus aræ*.

ubi ſcribit Manes, ſeu Lares Deos inferos eſſe, aut eorum adminiſtros, vel ut alii produnt, animas quæ de aliis recedentes corporibus necdum in alia tranſiverunt. Ditis enim numen inferum traditur, ut canunt Virgilius lib. 6. Æneidos, Tibullus lib. 3. Eleg. 5. ad finem, & alii: unde factum, Latinos invocaſſe Lares ejus numinis miniſtros, ut illud placarent, & pro humanis capitibus Oſcilla, & Manias oblatas acciperet: ſive ut Maniam ipſam, cui priſci Latini victimis humanis antequam Hercules in Latium appelleretur, ſacrificabant, feſti ſolemnitate placarent, ut videre eſt apud Alexandrum Genial. lib. 2. cap. 22.

Sunt qui exiſtimant Lares ſub porci figura à Lavinienſibus Albaniſque cultos, memoriam recolentibus ſcrofæ triginta fœtus enixæ apud Lavinium Æneæ ætate, ut ſcripſi ſupra Capite 5.. Hac de cauſa memorant Lavinienſes, & Latinos, dein Romanos porca Laribus ſacra feciſſe, & Quirites id feſtum, & Larium cultum à Lavinienſibus accepiſſe, ut videre eſt apud Voſſium de Idololatr. lib. 9. cap. 33., ubi ſubdit, Lares publicos Urbium Præſides, quibus Romani Calendis Maiis ſacrificabant ex Ovidio lib. 5. Faſtorum qui iidem ſunt & Dii Penates, & Grundiles etiam dicti à Grunnio, ſive Grundio, primum à Lavinienſibus cultos, inde Latinis univerſis, & Romanis, qui Grundilibus Laribus Templum conſtruxerunt ex Dionyſio lib. 1., & Auctore Origin. Gent. Roman. Veruntamen opinor cultum Larium tam publicorum, quam familiarium & privatorum à Lavinienſibus veniſſe,

veniſſe. Id autem feſtum à ſacrificio, quod Pelaſgi Diti humanis victimis faciebant, Hercules immutavit: cui celebritati reſpondet ritus ab Hercule inventus, & Macrobius id teſtatur, quamvis ſubdat Tarquinium Superbum Romæ id feſtum reſtituiſſe, & Dionyſius, ac Plinius narrent Tullum Regem primum Romanis Compitalia exhibuiſſe, quum palàm ſit eum Regem, ſive eum, qui primus id fecit, ritum, & Larium cultum à Lavinienſibus accepiſſe. Varro etiam apud Tomaſinum de Donar. cap.8. pag.88. conſentit ante Romam conditam Querquetulanos populos priſci Latii Laribus Querquetulanis ædem ſacram poſuiſſe. Hoc itaque die rem divinam Laribus in Compitis ipſis faciebant teſte Catone de Re Ruſtic. cap.5.. Ara erat focus, quem corona ornabant ex eodem cap.143., Plinio lib.21. cap.3., Plauto Aulularia Act.2. Scen.5.

Hæc imponentur in focum noſtro Lari.

idcirco floribus & ſertis, thure, & fruge jis ſacrificabant, ut Plautus, Ovidius lib. 5. Faſtorum, & Plutarchus Problem. cap. 51. narrant. Opportunius tamen erit alibi de Larium ſacrificiis diſſerere.

Quarto Nonas Maii ludi ſolemnes Antii erant ex Cicerone lib. 2. ad Atticum epiſt.8.: *Calendis Maii de Formiano proficiſcemur, ut Antii ſimus ad quinto Nonas Maii, Ludi enim Antii futuri ſunt à quarto Calendas ad Pridie Nonas Maii: eos Tullia ſpectare vult*: idem repetit epiſt.9.: *Antium me ex Formiano recipere cogito ad Quinto Nonas Maii. Antio volo Nonis Maii proficiſci in Tuſculanum*, & epiſt.10.: *Volo ames conſtantiam meam. Ludos Antii ſpectare non placet, cum velim vitare omnium deliciarum ſuſpicionem*. Paulus Manutius in dicta epiſt. 8. ad finem, putat legendum: *à quarto ad pridie Nonas Maii*, ut quarto Nonas ludi committerentur, pridie deſinerent. Hinc vocem *Calendas* ab hominibus imperitis, qui deſiderari aliquid crederent, addiectam putat, idque conjici ait, quod Cicero eo die Antii ſe eſſe velle afferat, qui ludorum commiſſioni proximus antecederet. Cui autem Numini hi ludi dicati eſſent, Cicero tacet: ſed ex jis quæ referunt ejuſdem Interpretes epiſt. 2. ad Atticum lib.12., præſertim Manutius, educitur eos ludos Fortunis Antiatibus ſacros fuiſſe; nam tametſi Antii Apollinares ludi exhiberentur, ut fuſius ſuo loco dicemus: attamen præ cæteris

teris ſolemnes Antiatibus fuiſſe memorant dies quibus Fortunarum celebritas recolebatur, & ludi committebantur. Quibus ſi addas hoc menſe Romanos Fortunæ publicæ feſtum celebraſſe ex Calendario, Roſino, & aliis, facilè arbitraberis prædictis hujus menſis diebus, Antiates ludos feciſſe, ut Fortunis, quarum ſplendidiſſima ædes Antii erat obſecundarent, de quibus tamen ſuo loco plura referam.

Septimo Idus Maii, qui eſt dies menſis ejuſdem nonus Lemuria, pleriſque vero Latinis priſcis Parentalia, erant. De his feſtis multi multa ſcribunt; nam Ovidius lib. 5. Faſtorum ſic canit:

Ritus erat veteris nocturna Lemuria ſacri,
Inferias tacitis manibus illa dabant.
Annus erat brevior, nec adbuc pia Februa norant,
Nec tu dux menſum Jane biformis eras;
Jam tamen extincto cineri ſua dona ferebant,
Compoſitique nepos buſta piabat avi.
Menſis erat Majus majorum nomine dictus,
Qui partem priſci nunc quoque moris babet.
Nox ubi jam media eſt, ſomnumque ſilentia præbent,
Et canis, & variæ conticuiſtis aves.
Ille memor ritus veteris, timiduſque Deorum
Surgit, babent gemini vincula nulla pedes:
Signaque dat digitis medio cum pollice junctis,
Occurrat tacito ne levis umbra ſibi.
Quumque manus puras fontana perluit unda,
Vertitur, & nigras accipit ante fabas;
Averſuſque jacit: ſed dum jacit: bæc ego mitto,
His, inquit, redimo meque meoſque fabis.
Hæc novies dicit, nec reſpicit: umbra putatur
Colligere, & nullo terga vidente ſequi.
Rurſus aquam tangit, Temeſæaque concrepat æra,
Et rogat, ut tectis exeat umbra ſuis.
Quum dixit novies, manes exire paternos
Reſpicit, & pure ſacra peracta putat.

Inde quærit unde eum ritum Quirites acceperint, creditque Romulum id inſtituiſſe, ut juſta Remo fratri ſolveret. Quidquid autem Ovidius

Ovidius contendat, palàm eſt ea ſolemnia, *Parentalia* dicta fuiſſe, ſic enim Ovidius ipſe prodit, & ea ſacra facta Diis pro majorum, & proximorum larvis diſertiſſimè probat, unde lumen Feſto lib. 6. in principio: *Fabam*, is inquit, *nec tangere, nec nominare Diali flamini licet, quod ea putatur ad mortuos pertinere; nam ea Lemuralibus jacitur larvis, & parentalibus adhibetur ſacrificiis, & in flore ejus, luctus litteræ apparere videntur*. Ergo ex Feſto liquet Lemuralibus Parentalia peracta eſſe ſacrificia, ut Scaliger eo loci memorat, & conſentit Macrobius Saturnalium lib. 1. cap. 16. ubi ſubjicit atro die parentare haud permiſſum, quod Janum, Jovemque his ſacris præfari neceſſe eſſet, quos nominari atro die non oportebat.

Id ipſum Porphyrion vetus Interpres Horatii in epiſtola 2. lib. 2. affirmat, Lemures dictos putans quaſi *Remures* à Remo, dein ſic ſubdit: *Cujus occiſi umbram frater Romulus quum placare vellet, Lemuria inſtituit, ideſt Parentalia, quæ menſe Majo per triduum celebrari ſolent ante additum anno menſem Februarium*. At Nonius Marcellus de Propriet. Sermon., & Varro lib. 1. de Vita Populi Romani tradunt Lemuria dicta à Lemuribus, qui re divina facta his diebus placabantur, quique Larvæ nocturnæ, & terrificationes imaginum, & beſtiarum erant. Quamobrem facilè eſt intelligere in quanta ſit hæc vetuſta res obſcuritate. Veruntamen ex Plutarcho Problem. cap. 82. habetur Latinos priſcos hoc menſe parentaſſe: en verba Plutarchi: *Cur menſe Majo uxores non ducunt?* & poſt plura: *An quod plerique Latinorum hoc menſe mortuis parentant, & ob eam cauſam Mercurium quoque eodem menſe venerantur, qui Majæ cognominis eſt?* Sed cur is Auctor *plerique* voce uſus ſit ſcrutari operæ pretium eſt. Ego puto non ſine ratione id dictum à Plutarcho, nam omnes Latini hoc menſe non parentabant: ii ſanè, in quorum faſtos Februarius relatus haud erat, hoc menſe laudata ſacra faciebant: illi autem, qui & Februarium computabant, non hoc, ſed eo menſe parentabant. Quippè, ut referam eo loco, in quo de feſtis Februarii verba faciam, clarum eſt Latinos illos, qui Evandri, & Arcadum inſtituta religioſè ſervabant, Februario parentaſſe; Albanos verò, alioſque, qui Æneæ ritus mordicus cuſtodiebant, Majo. Ferunt enim Æneam quotannis Anchiſi Patri parentalia ſacra feciſſe, id enim conſtat

Digitized by Google

ſtat ex Virgilio lib. 5. Æneidos, ubi ita rem univerſam ob oculos ponit:

. . . . ſocios in cœtum littore ab omni
Advocat Æneas, tumuliqu ex aggere fatur:
Dardanidæ magni, genus alto à ſanguine Divum,
Annuus exactis completur menſibus orbis
Ex quo relliquias, divinique oſſa Parentis
Condidimus terra, mœſtaſque ſacravimus aras.
Jamque dies, ni fallor, adeſt, quem ſemper acerbum,
Semper honoratum, ſic DI voluiſtis, habebo,
Exequerer, ſtrueremque ſuis altaria donis.

Et infra:

Ergo agite, & cuncti lætum celebremus honorem,
Poſcamus ventos, atque hæc mea ſacra quotannis
Urbe velit poſita Templis ſibi ferre dicatis
Bina boum nobis Troja generatus Aceſtes
Dat numero capita in naves &c.

Dein relatis ludis funebribus, ſic pergit:

Sic fatus velat materna tempora myrto;
Hoc Elymus facit, hoc ævi maturus Aceſtes,
Hoc puer Aſcanius, ſequitur quos cætera pubes;
Ille è concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum magna medius comitante caterva:
Hic duo ritè mero libans carcheſia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo ſanguine ſacro,
Purpureoſque jacit flores, ac talia fatur:
Salve ſancte Parens, iterum ſalvete recepti
Nequicquam cineres animæque umbræque paternæ.

Hiſce verſibus Poëta doctè expreſſit annua ſacra, quæ Anchiſi Patri Æneas vovit, necnon hoſtias, quas mactavit, & quibus libavit, ſanguine videlicet, & lacte, ut enim ibidem ait Servius: *Umbræ ſanguine, & lacte ſatiantur*, unde ſubdit: *Fœminæ, quæ mortuos proſequuntur, ubera tundunt, ut lac exprimant, cuncti autem ſe lacerant, ut ſanguinem effundant*, & demum moris priſci meminit, flores ſcilicet purpureos, ſeu violas ſpargendi apud ſepulchrum.

Itaque

Digitized by Google

Itaque merito Ovidius lib. 2. Faſtorum ritum vetuſtiſſimum Latinorum quotannis juſta Parentibus & mortuis ſolvendi, ab Ænea derivaſſe memorat, ita canens:

Hunc morem Æneas pietatis idoneus Auctor
Attulit in terras, juſte Latine, tuas.
Ille Patris genio ſolemnia dona ferebat,
Hinc Populi ritus edidicere pios.

Hæc ſacra accenſis focis facta Genio majorum obſervat Marſus, ideſt Deo tutelari ejus loci, quo majores ſepulti erant: & quamvis ſubdat nefaſtis Februarii diebus ea ſacrificia à Latinis peracta, palàm tamen eſt, eos populos, qui Februarium non computabant, ut diximus, Majo menſe ea peregiſſe, unde Plutarchus jam relatus haud oſcitanter ſcripſit *pleroſque*, non omnes Latinos Majo menſe parentaſſe. Quamobrem quum Lemuria hoc menſe celebrata eadem & Parentalia eſſent ex adductis, perſpicuum eſt ea fuiſſe priſcis Latinis Parentalia, quæ per tres noctes non continuas, ſed una nocte ſemper interveniente celebrabantur, ut in Calendario notatum eſt.

Parentalia, ergo victimis caſtratis, ſeu ſterilibus, floribus, lacte, & ſanguine ſacro victimarum, invocato Jano, ac Jove, & fabis aſſumptis, feralibuſque cœnis exhibitis, in quibus lentes, & offas ad ſepulchra ferebant, & epulas ſuper nudum ſilicem apponebant, facta eſſe comperimus ex Virgilio, Ovidio, & Macrobio ſupra laudatis, Stukio de Sacr. Gentil. pag. 117., & Alexandro Genialium lib. 3. cap. 12.. Lemuralibus autem ſolitum ſcribunt noctu nigram fabam lotis manibus & pede nudo per ora verſare, & poſt terga rejicere, æriſque tinnitum facere: utque Lemures fabis redempti domum abirent, novies orare, & ita precari: *Redimo me, & meos his fabis*, uti ex Feſto, Ovidio, Varrone, & Porphyrione diximus, & patet ex Gyraldo de Diis Gent. Syntagm. 17., Plinio lib. 18. cap. 12., Alexandro, & aliis. Porrò ſcriptum invenio apud Ovidium lib. 2. Faſtorum, id factum ipſis diebus, quibus parentabant, quod umbras defunctorum cum querelis per arva, & Urbes erraſſe referrent iis annis, quibus Parentalia neglecta fuerant, unde & ſacra reſtituta ſunt, & ritus inductus, umbras & Lemures fabis redimendi. Ovidii carmina hæc ſunt:

At quondam dum longa gerunt pugnacibus armis
Bella; parentales deſeruere dies.
Non impunè fuit. nam dicitur omine ab iſto
Roma ſuburbanis incaluiſſe rogis.
Vix equidem credo: buſtis exiſſe feruntur,
Et tacitæ quæſti tempore noctis Avi.
Perque vias Urbis, latoſque ululaſſe per agros,
Deformes animas, vulgus inane, ferunt.
Poſtea præteriti tumulis redduntur honores,
Prodigiiſque venit, funeribuſque modus.

Sed idem lib. 5. Faſtorum putat jis precibus umbras avitas, quas credebant per domos hæredum vagari, ita oportuiſſe placari, ut tectis exirent; palàm quippè eſt priſcorum Latinorum ſepulchra in ſuis domibus fuiſſe, unde ortum eſt, ut Lares colerentur in domibus, & Larvæ majorum crederentur in illis eſſe. Sic notat Servius ad 6. Æneidos, qui ad lib. 5. ſubjicit priſcos ad domus ſuas retuliſſe mortuos, octavo die cadavera cremaſſe, & nono tumulaſſe: & in lib. 11. ad hæc Virgilii carmina:

Nec minus & miſeri diverſa in parte Latini
Innumeras ſtruxere pyras, & corpora partim
Multa virum terræ infodiunt, avectaque partim
Finitimos tollunt in agros, Urbique remittunt.

ita ſcribit: *Meminit antiquæ conſuetudinis, nam ante etiam in Civitatibus mortui ſepeliebantur, quod poſtea Duilio Conſule Senatus prohibuit, unde Imperatores, & Virgines Veſtæ, quia legibus non tenentur, in Civitate habent ſepulchra*, quod & probat Alexander Genialium lib. 6. cap. 14.. Itaque id Feſtum Lemurialium vetuſtiſſimum Latinis fuit, & celebratum ut Larvæ majorum priſco ævo in ædibus ipſis defoſſorum, parentalibus diebus, ſacris, & fabis placatæ quieſcerent.

Illud vero prætereundum non eſt funebrium ludorum originem longè eſſe antiquiſſimam, nam ferunt Æneam ad Pallantis rogum, in Laurenti agro funebria exhibuiſſe ex Virgilio lib. 10. Æneidos:

. . . . *Sulmone creatos*
Quatuor hic juvenes, totidem quos educat Ufens

Viven-

Digitized by Google

Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat ſanguine flammas.

Hinc notanda Poëtæ eruditio, quum enim exponere vellet in priſco Latio ante Æneæ appulſum moris fuiſſe in exequiis virorum illuſtrium ad tumulum captivos, aut ſervos necari, effingit Æneam ante Pallantis ſepulchrum quatuor Juvenes Sulmone, qui nunc Sirminetum dicitur, educatos, totidemque natos in Urbibus propè Ufentem fluvium mactaſſe, unde Servius ibidem ſic ſcribit: *Sanè mos erat in ſepulchris virorum fortium captivos necari, quod poſtquam crudele viſum eſt, placuit Gladiatores ante ſepulchra dimicare, qui à buſtis buſtarii dicti ſunt.* Itaque quum primum captos ex hoſtibus ad rogum jugularent, vitantes fœdi ſpectaculi crudelitatem, captivos, vel ſervos inter ſe commiſerunt, ut penes eoſdem eſſet & facinus, & ſupplicium; putabant enim Græci, à quibus hic mos in Latinos propagatus eſt, & deinde in Romanos, animas defunctorum humano ſanguine placari. Quamobrem officium mortuis hoc ſpectaculo ſe facere arbitrabantur, & mortem homicidiis conſolabantur teſtimonio Tertulliani lib. de Spectacul. cap. 6.. Sic patuit ex prædictis, in Latio priuſquam Roma conderetur, Gladiatorum ſpectacula in exequiis virorum fortium fuiſſe exhibita, licet Romæ primi qui hos ludos patri feciſſent, Marcus, & Decius Bruti memorentur ex Valerio Maximo lib.2. cap.1., Livio lib.16., & Servio ad lib.3. Æneidos ad illud:

Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte
Sanguinis & ſacri pateras.

ubi ſic ait: *Apud veteres etiam homines interficiebantur; ſed mortuo Junio Bruto, quum multæ gentes ad ejus funus captivos miſiſſent, nepos illius, eos qui miſſi erant inter ſe compoſuit, & ſic pugnaverunt, & quod muneri miſſi erant, inde munus appellatum: ſed quoniam ſumptuoſum erat, & crudele homines interficere, ſanguinei coloris cœpta eſt veſtis mortuis injici.*

Idibus Maiis dies feſtus ſolemnis Mercurio fuit, quod teſtantur Ovidius lib.5. Faſtorum ad finem, Feſtus lib.11., & Macrobius Saturnalium lib.1. cap.12., ſcribentes his Idibus in univerſo Latio Mercurio, & Majæ ejus Matri ante Romam conditam feſta celebrata

ritu ſolemni. Recolebant enim eo feſto natalem diem Mercurii, & mercatores ſuem prægnantem ei Deo immolabant ex Ovidio ubi ſupra. Romæ vero mercatores ſeque & merces ex Mercurii fonte ad Capenam luſtrare aſſueverant, ita magnos & uberes quæſtus facere opinantes, ut habemus ex Macrobio. Antiquos autem Mercurio linguas victimarum obtuliſſe, & vino aqua mixto libaſſe conſtat, ut is ſermonis facilitati aſſiſteret ex Tomaſino de Donar. cap.24.. Hoc ipſo die ſirpea ſimulacra, & oſcilla de Ponte Sublicio in Tiberim præcipitabantur quotannis: quas effigies *Argeos* vocabant ex Ovidio lib.5., Feſto lib.1., qui id factum ſcribit per Virgines Veſtales, & ex Varrone lib.6. de Ling. Latina, qui ait: *Argei fiunt ex ſirpeis virgultis. Simulacra ſunt hominum triginta, ea quotannis à Ponte Sublicio à Sacerdotibus publicè jaci ſolent in Tiberim.* Hanc celebritatem eo die factam comperimus longè ante Romam conditam à Latinis, & Aboriginibus, qui loca, ubi nunc Roma eſt, incolebant, ejuſque cauſſas Feſtus lib.17. verbo *Sexagenarios* ſic prodit: *Sexagenarios de Ponte olim dejiciebant, cujus cauſam Manilius hanc refert, quod Romam qui incoluerint primi Aborigines, hominem ſexaginta annorum, qui eſſet, immolari Diti Patri quotannis ſoliti fuerint, quod facere eos deſtitiſſe adventu Herculis, ſed religione poſtea veteris moris ſirpeas hominum effigies de Ponte in Tiberim vetere modo mittere inſtituiſſe. Alii dicunt morante in Italia Hercule, quod quidam ejus Comitum habitaverint ſecundum ripam Tiberis, atque Argeos ſe ab Argivis vocaverint arvis, quorum proditam memoriam reintegrari, eò gente miſſum ab Græcia legatum quendam Argeum, diù cum jis Romæ moratum eſſe, is ut obierit, inſtitutum à Sacerdotibus, ut effigies ſirpeæ ex omnibus, cum* (id eſt *poſt quam*) *quæ publicæ erant rei nunciaviſſet, per flumen, ac mare in patriam remitteretur.* Inde duas alias cauſas aſſignat, quas tamen cæteri Romani Scriptores haud referunt, unde Scaliger, aliique Interpretes conjiciunt, unum ex prædictis triginta ſimulacris, nomine Legati Argivorum in Tiberim per Sacerdotes aliquid tunc fari ſolitos, conjectum.

At Ovidius lib. 5. Faſtorum, poſtquam narraſſet id fieri ſolitum ex Herculis inſtituto ne amplius Aborigines, Saturno homines inmo-

Digitized by Google

immolarent, ſubjicit ejus rei cauſam eſſe, quod quum Arcadibus Argivi ob viciniam inimici haberentur, Evander è Græcia profugus, iſtam odii, & inimicitiarum memoriam eo ritu conſervaverit. Verum Dionyſius lib. 1. refert Aborigines triginta homines compeditos, & manibus exarmatos in Tiberim præcipitare conſueviſſe, ut Saturnum placarent, Herculem vero docuiſſe oſcilla ad illorum ſimilitudinem efficta, eodemque habitu exornata, in fluvium mittere; dein Idibus Maiis, peractis ritè ſacris, Romanos Pontifices, & cum his Veſtales Virgines, Prætores, alioſque Cives, ea ſimulacra quotannis in Tiberim projeciſſe.

Itaque ex his habetur, priſcos Latinos id feſtum ante Romulum quotannis percoluiſſe: cur vero id facerent, obſcurum adhuc eſt ex prædictis, quamvis Evandrum auctorem ſolemnitatis fuiſſe pateat, ut Ovidius, Feſtus, ac Plutarchus Problem. cap. 32. produnt; quandoquidem, uti jam diximus, compertum eſt ex Macrobio, & Varrone, Compitalium die Aborigines oſcillis Diti Patri ſuſpenſis, id Numen, cui primum hoſtiis humanis ſacrificabant, ex ejuſdem Herculis inſtituto placaſſe, unde ritus hic ad eam cauſam haud eſt referendus, neque ad Saturnum, quippè non celebraſſent hæc ſolemnia die Mercurio ſacrato, at potius diebus Saturno ſacris. Porrò perhibent Pelaſgos ex Dodonæi Apollinis reſponſo, poſt eorum in Latium appulſum, Saturno pueros, non ſecus ac Pœnos immolaſſe. Ita Ennius canit:

Ille ſuos Deiveis mos ſacrificare puellos.

ut apud Nonium legitur; licet apud Feſtum ſic legatur:

Ut Pœni ſoliti ſos ſacrificare puellos.

quo verſu Ennius morem Latinorum priſcorum ſacrificandi puellos Saturno exponit, ut ex fragmentis ejuſdem collectis ab Hieronymo Columna pag. 72. & 73. colligitur: quum enim Saturnus filios ſuos voraſſe diceretur, hinc factum eſt, ut parentes infantes eidem immolarent ex Tertulliano in Apologetico. Jis ſacris immitis, ac dura adſtabat mater ſine gemitu, quæ ſi fortè illacrymaſſet, aut ingemuiſſet honore cenſebatur indigna, quin etiam ante aram tibiis canentium ſono, & tympana pulſantium ſtrepitu omnia reſonabant, ne puerorum, dum mactabantur, ejulatus exaudiri poſſet: & quod maximè durum

durum eſt, qui liberis carebant, à pauperibus parvulos veluti agnos, aut gallinas ad hunc uſum ſibi comparabant ex Plutarcho in libello de ſuperſtit.. Hæc feciſſe conſtat Carthaginienſes, donec nefarium ſcelus Tiberius Africæ Proconſul ſuſtulit, qui, ut teſtatur Tertullianus lib. Adverſ. Gentes ejus immolationis Sacerdotes in arboribus, Saturni Templum opacantibus, patibulis ſuffixit. Eadem & feciſſe Latinos prodit Ennius eo carmine, quo Pelaſgos, & dein Latinos eodem ritu, quo Carthaginienſes Saturno immolaſſe pueros probat: quem morem Hercules abolevit; & quoniam oraculum, quo auctore id faciebant, obſcurum erat, & intelligi poterat de luminibus, edixit, ut in poſterum diebus Saturno ſacris, quibus nefaria ſacra peragebantur, aras Saturnias, non mactando pueros, ſed accenſis luminibus excolerent, unde mos per Saturnalia miſſitandi cereos cæpit. Diti vero patri, cui etiam Pelaſgi humanis victimis ſacrificabant, non hominum capita, ſed oſcilla ad humanam effigiem arte ſimulata per Compita ſuſpendebantur, ut diſertiſſimè notatur apud Macrobium Saturnal. lib. 1. cap. 7 1. Ergo patet ritum hunc Argeorum haud inductum, ut Saturnum, mutata ſcelesta hoſtia placarent, nam Hercules (quæ ſanè confundunt antiqui) loco puerorum, lumina Saturniis aris accendere docuit, & ita mutato ſacro, Saturnum placari poſſe, & oraculo ſatisfactum eſſe credidit, Macrobio teſte.

Idcirco non abs re puto Evandrum conſueviſſe Mercurio patri hoſpites immolare, Herculem vero, quem is ea de cauſa invaſerat, Evandrum interemiſſe, & id ſacrum Mercurio fieri ſolitum immutaſſe, ut dictum eſt: nam Plutarchus in Pararell. cap. 73.: *Hercules*, inquit, *cum Geryonis boves per Italiam duceret, à Fauno Rege ſuſceptus eſt hoſpitio, qui Mercurio natus, patri hoſpites immolabat. Is igitur Herculem invadens interemptus eſt, ut tradit Dercyllus tertio rerum Italicarum*, ubi loco *Fauno Rege*, *Evandro Rege* forſan legendum eſt, nam Faunus Pici, Evander Mercurii filius proditur ex Dionyſio lib. 1., & aliis. Quare facilè eſt Evandrum patri Argivos, Arcadibus, ea loca incolentibus inviſos, immolaſſe. Herculem vero nefario ritu ſublato, loco Argivorum docuiſſe, ut Mercurio ſacra fierent iis oſcillis, ut idem Plutarchus Problem. cap. 32. ſubdit: idque verosimilius arbitror, quum dies, quo ſolemnia hæc peragebantur id

ipſum

ipſum ſuadeat. Hercules igitur in Latio omnia ſacra, quibus humana hoſtia immolabatur, abolevit, & mutato ritu, Oraculis Dæmonum, & ſceleſtorum Principum traditionibus ſatisfecit; unde mirum, cur poſt Herculem, Latini Jovi Latiali, & ſic Latino eorum Regi humano ſanguine litaverint, ut Lactantius, & alii Capite 5. adducti referunt. Servius ad lib. 8. Æneidos ad illud:

Nec non & ſacri monſtrat Nemus Argileti.

ſic ſcribit: *Sanè Argiletum, quaſi Argi letum multi volunt; nam Evander Argum quemdam ſuſcepit hoſpitio, qui cum de ejus cogitaret interitu, ut ipſe regnaret, Evandro hoc non ſciente, ſocii intellexerunt, & Argum necarunt, cui Evander & ſepulchrum fecit, & locum ſacravit, non quod ille merebatur, ſed hoſpitalis cauſſa. Benè autem in hac re Evander immoratur, & docet cauſſas, ne apud hoſpitem veniat in ſuſpicionem. Ergo Argiletum ab Argo illic ſacrato, & ſepulto. Alii Argum occiſum dicunt ab ipſo Evandro, auxiliante ſibi Hercule, quod is ex hoſpite factus eſſet inimicus:* hactenus Grammaticus, unde colligitur cauſa odii Evandri in Argivos, & cur is Mercurio patri illos mactaret.

Scriptum invenio apud veterem Interpretem Feſti lib. 17., alios Latinos hoc fortaſſe die in Pulvinaribus Deorum impoſuiſſe loco oſcillorum Struppos, verbenas ſcilicet in faſciculum intortas, quæ hominum capita repræſentabant. Aliter apud Feſtum legitur, is enim ſic ait: *Struppi vocantur in Pulvinaribus faſciculi de verbenis facti, qui pro Deorum capitibus ponuntur.* Hæ verbenæ repræſentabant capita Deorum, non hominum, uti etiam Paulus, & Commentatores Feſti contendunt. Id autem feſtum vocabant *Strupearia* quo coronati ambulabant, & à Tuſculanis imponebantur in Pulvinari, Caſtoris & aliorum Deorum Struppi, ut idem Feſtus relato libro, verbo *Stroppus* explicat his verbis: *Itaque apud Faliſcos diem feſtum eſſe, qui vocatur Strupearia, quia coronati ambulent, & à Tuſculanis, quod in Pulvinari imponatur Caſtoris, Struppum vocari.* Erant enim Pulvinaria lectuli, qui ſterni in Templis conſueverant, aut tabulata in quibus ſtabant Numina, ut evidentiora apparerent ex Servio lib. 3. Georgic. ad finem, & Acrone in Horatium lib. 1. carm. 17.. His ſcilicet lectulis, vel tabulatis faſciculi ex verbenis (ſtruppi vocati)

pro

pro capitibus non hominum, ſed Deorum, locabantur, ut Feſtus ait. Et quamvis Caſtoris Struppum locatum Pulvinaribus à Tuſculanis eo die ſcribat idem Feſtus, palàm tamen eſt apud Scaligerum, & Dacerium aliorum etiam Deorum faſciculos, eorum capita exhibentes, ab jiſdem fuiſſe appoſitos.

Nono Calendas Junias, qui eſt dies vigeſimus quintus Maii puto fuiſſe Feſtum Fortunæ Prænestinæ, quod eum diem Fortunæ Primigeniæ Romani ſacraverint Ovidio lib. 5. Faſtorum teſte:

Nec te prætereo populi Fortuna potentis
Publica, cui Templum luce ſequente datum eſt.

ubi Paulus Marſus aliique Interpretes notant, id feſtum Fortunæ Primigeniæ fuiſſe dicatum. Erat enim ædes Fortunæ Publicæ, ſeu Primigeniæ Romæ ex Livio 3. Decad. lib. 9., & 4. Decad. lib. 4., & 6. Decad. lib. 3., Plutarcho de Fortuna Populi Romani: quam ita dictam autumant, quod Fortunam rerum omnium principium eſſe opinarentur, teſtimonio Plutarchi Problem. cap. 106., ſeu ut Dio lib. 42. contendit, quod omnia, quæ ante oculos, ac poſt ſe poſita ſint, cernat, atque expendat, moneatque debere unumquemque meminiſſe à quibus majoribus ortus, qualiſque ipſe ſit. Ædem autem Sortium Præneſtinarum Fortunæ Primigeniæ dicatam probant vetuſti lapides Præneſte effoſſi apud Suareſium Præneſt. Antiq. lib. 1. cap. 14., ex quibus hic quatuor referre libet.

I.

FORTVNAE· PRIMIGENIAE
MARCIVS· TELESPHORVS
VOTVM· SOLVIT

PIETATI

II.

P I E T A T I
F O R T V N A E· P R I M I G E N I A E
V O T I S· S V S C E P T I S
S A L V I S· A V G V S T I S
M. A V R E L I O· A N T O N I N O E T
L. A E L I O· A V R E L I O
F O R T V N A T V S· V E R N A
D I S P. E O R V M
A V R E L I A· R E S T I T V T A L I B
L. D. D. D. D. L

III.

F O R T V N A E
I O V I S· P V E R I
P R I M I G E N I A E
D. D
E X· S O R T E· C O M P O S
F A C T V S
N O T H V S· R V F I C A N A E
L. F. P L O T I L L A E

IV.

F O R T V N A E· P R I M I G E N I A E
I O V I· P V E R O
E X· T E S T A M E N T O
T R E B O N I A E
S Y M P H E R V S A E
A N N I V S· H E R M A
H A E R E S
L. D. D. D

His poſitis compertum eſt ædem Fortunæ publicæ, ſeu Primigeniæ, quæ Romæ in Capitolio erat ex Roſino lib. 2. cap. 16., & hanc de qua loquimur, ejuſdem ferme ritus fuiſſe, nam utrumque Templum Primigeniæ Fortunæ dicatum erat, & qui vota in hac æde ſolviſſet, videbatur & in Capitolina ſolvere, ut patet ex Epigrammate vetuſto, quod Præneſte erat, & idem Suareſius, ac plures alii referunt, ubi ſic legebatur.

Tu, quæ Tarpejo coleris vicina Tonanti
Votorum vindex ſemper Fortuna meorum:
Accipe quæ pietas ponit tibi dona merenti,
Effigiem noſtri conſervatura Parentis &c.

Quare conſtat Præneſtinæ Fortunæ, patris effigiem Cœſium filium dicaſſe, ac ſi Capitolinæ obtuliſſet, quod prodit Livius lib.45. ſive Decad.5. lib.5. ad finem ſcribens Pruſiam Regem Bithyniæ cum filio Nicomede Romam veniſſe, atque à Senatu petiiſſe, ut votum ſibi ſolvere Romæ in Capitolio decem majores hoſtias, & Præneſte unam Fortunæ liceret: & Senatum decreviſſe, ut victimæ, aliaque, quæ ad ſacrificium pertinerent, ſeu Romæ, ſeu Præneſte immolare vellet, Regi, ex publico, ſicut Magiſtratibus Romanis, præberentur. Id ipſum videtur innuere vetus Scholiaſtes Juvenalis Satyra 14. ad illud:

. . . . . *vincens Fortunæ, aut Herculis ædem.*

ubi ſic inquit: *Apud Præneſten & Fortunæ, & Herculis habent ædes, aut certe quod in Capitolio, poſt ædem Dianæ, & Jovis, ſecundam de miraculo operis habent gloriam Fortunæ, atque Herculis ædes; Fortunæ apud Præneſten ædem pulcherrimam ferunt fuiſſe*; unde Dempſterus ad Roſinum lib. 2. cap. 16. colligit Herculem cum Fortuna Præneſte fuiſſe cultum, ſimilemque eam ædem alteri Capitolinæ fuiſſe.

Neque dicendum id feſtum Romæ celebratum, quod eo die ædes Fortunæ Primigeniæ dicata eſſet, ut videtur erui ex Ovidio mox relato: nam ſi Templum Fortunæ Præneſtinæ prius quam Roma conderetur poſitum fuit ex Cicerone lib.2. de Divinat., facilè intelligetur Romanos ſimile Romæ conſtruxiſſe, & dicaſſe eo die, quo annuæ ſolemnitates Præneſte recolebantur. Quippè ex adductis in hoc,

aliiſque

aliiſque præcedentibus Capitibus patuit Quirites Templa Numinibus dicaſſe jis diebus, quibus Latini ea ſacris honoraverant. Si autem hanc ædem Præneſte Syllam condidiſſe affirmabimus, ut contendit Nicolaus Reuſnerus Ital. lib. 2. cap. 58. apud Suareſium, palàm erit Syllam ad ſimilitudinem Templi Fortunæ Primigeniæ Capitolinæ id Templum poſuiſſe, eodemque ritu uſum fuiſſe, ac ſacra, & cæremonias ex eo Templo Romæ conſtructo accepiſſe. Ita arbitror ex nomine, ſacris, & opinione hominum, qui tum vivebant: & in Cippis, ac Epigrammatibus hanc ædem illi, quæ in Capitolio Fortunæ dicata erat, exæquabant, ut jam dixi, quamvis id pro indubio affirmare haud poſſim. Id ſanè certum eſt, die Fortunæ Præneſtinæ dicato, & ſeptem ſequutis ludos Præneſte habitos magno ſumptu, & apparatu ex Cicerone lib. 12. epiſt. 2. ad Atticum: *Ludi*, is inquit, *interea Præneſte, ibi Hirtius, & iſti omnes, & quidem ludi dies octo, quæ cœnæ, quæ deliciæ? res interea fortaſſe tranſacta eſt; ò miros homines! at Balbus ædificat &c.*, ubi Paulus Manutius, aliique Interpretes notant, hos ludos in honorem Fortunæ Præneſtinæ Hirtium eo anno curaſſe.

CAPUT XVIII.

De Junio menſe ejuſque diebus Feſtis.

HUnc menſem Latinis priſcis ſolemnem fuiſſe nemo eſt qui dubitet, nam, ut Capite 14. diximus, Latina gens eum menſem Junonium appellavit, quod Junoni ſacer eſſet; & Calendis Junii Laurentes eidem Junoni, quam Calendarem vocabant, magno ſumptu feſtas ſolemnitates celebraſſe conſtat ex Feſto, Macrobio, & aliis quos Capite 15. retulimus: quibus ſacris adultæ fabæ adhibebantur, ideoque hæ Calendæ Fabariæ vulgo dictæ teſte eodem Macrobio lib. 1. Saturnalium cap. 12.. Ardeæ etiam ubi Juno Regina colebatur, Ariciæ, Præneſte, Tiburi, Lanuvii, Lavinii, Albæ, aliiſque Latii Urbibus, in quibus ſplendidiſſimæ Junonis ædes erant, ſacra ei facta hoc menſe ſatis oſtendimus jiſdem Capitibus, licet dies certus feſtorum non habeatur, de quibus alibi multa dicturi ſimus.

Sexto Nonas Junias, ideſt die ſecundo ejus menſis, feriæ erant Carnæ Deæ ex Calendario, quod à Paulo Manutio, Huberto Goltzio, & Roſino in lucem editum eſt. At Ovidius lib. 6. Faſtorum, Macrobius Saturnalium lib. 1. cap. 12., ac Alexander Genialium lib. 2. cap. 22. ſcribunt Calendis Juniis has ferias Carnæ ſacratas, licet mendoſe apud Alexandrum Calendis Juliis ſcriptum ſit. Calendario tamen adhæreo, nam Macrobius refert opinionem eorum, qui memoriæ prodiderunt, hunc menſem à Junio Bruto dictum, quod is primus Romæ Conſul factus, Tarquiniis pulſis, Calendis Juniis ſacrum Carnæ Deæ in Cœlio monte voti compos feciſſet, quum palàm ſit cum menſem Junonium, inde Junium vocitatum à priſcis Latinis ex eodem Macrobio, qui id affirmat, Ovidio, & aliis adductis: quin & Carnæ Deæ feſta à Latinis hoc menſe peracta; erat enim ea Dea Jani Latinorum Regis, & Numinis uxor ab Albanis maximè culta, ejuſque feſtum Albæ celebratum Procæ Regis Albanorum ætate teſtantur Ovidius lib. 6. Faſtorum, & alii, quos Capite 13. deſcripſimus. Quamobrem quum idem Ovidius Calendis Juniis à Romanis ſacra Carnæ facta ad priſcos Latinos referat, haud dubius hæreo in affirmando aut Calendis, aut die in Calendario notato in Latio huic Deæ ſolemnitates, & ferias con celebratas, ut ſcripſimus d. Cap. 13.

Pridie Nonas Junias, qui eſt dies quartus menſis, ſacra erant Bellonæ ex Ovidio lib. 6. Faſtorum ubi ſic canit:

Mane ubi bis fuerit, Phœbuſque iteraverit ortus,
Factaque erit poſito rore bis uda ſeges,
Hac ſacrata die Tuſco Bellona duello
Dicitur, & Latio proſpera ſemper adeſt.
Appius eſt auctor, Pyrrho qui pace negata
Multum animo vidit; lumine captus erat.
Proſpicit à tergo ſummum brevis area circum,
Eſt ubi non parvæ parva columna notæ.
Hinc ſolet haſta manu belli prænuntia mitti,
In Regem, & gentes, quum placet arma capi.

Hinc intelligitur id feſtum indictum die conſecrationis ædis Bellonæ, quam Appius Claudius bello Etruſco voverat. Ejus quoque rei meminit Livius Decad. 1. lib. 10. his verbis: *Dicitur Appius in medio pugnæ*

pugnæ diſcrimine, ita ut inter prima ſigna manibus ad Cælum ſublatis conſpiceretur, ita precatus eſſe: Bellona ſi bodie nobis victoriam dicis, aſt ego Templum tibi voveo: unde Appius Bellonæ nomen, & Numen, cujus ſacra Romæ tunc haud erant, noverit, Livius non explicat, licet ejus Interpretes Deæ ſacra Latinis Romæ finitimis, tunc innotuiſſe affirment ex Ennio qui lib. 1. Annalium vetuſtos Latii Deos deſcribens, *Nerienem Mavortis* nominat.

Hanc Bellonam eſſe Martis uxorem putant, & Herſiliam in atroci illa Sabinorum cum Romanis pugna, vix Roma orta, ſic invocaſſe: *Neria Martis te obſecro pacem dare, ut liceat nuptiis propriis, & proſperis uti, quod de tui conjugis conſilio contigit*, teſtimonio Auli Gellii lib. 13. Noct. Atticar. cap. 21., quibus conſentit M. Varro in Satyra Menippæa ubi ſic ſcribit:

Theanua, & Peranna, Pranda, Celato, Pales
Nerienes, Minerva, Fortuna, ac Ceres.

quibus verbis Nerienem, & Minervam diverſas facit: ſed Porphyrion in Horatium lib. 2. Epiſtolar. ait, Minervam Nerienem ab antiquis dictam: quod refert & Hieronymus Columna in Ennii lib. 1. pag. 94.; veruntamen Grammatici, & viri docti Bellonam ſororem Martis faciunt ex Luctatio atque à Neriene diſtinguunt, quæ uxor Martis dicitur, ut apud Plautum in Truculento:

Mars peregrè adveniens ſalutat Nerienem
Uxorem ſuam . . . .

Quamobrem ex Ennio non benè intellecto allucinantur Livii commentatores, dum ſcribunt, Poetam illo carmine Bellonæ meminiſſe. Ejus quidem meminit Arnobius lib. 1. adverſ. Gent., Latinorum Numina deridens: *Qui Faunos, qui Fatuas, Civitatumque Genios, qui Pauſos reverentur, atque Bellonas*. Itaque Diis Latinorum *Pauſus* accenſendus eſt, quem bello adverſari, & quieti, otioque civili præeſſe putabant ex Turnebo lib. 15. adverſ. cap. 21.. Idcirco Virgilius lib. 8. Æneidos, ut oſtenderet Bellonæ ſacra apud Latinos fuiſſe, ita canit:

Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.

& Ovidius carminibus à nobis expoſitis, hanc Deam Latinis ſemper adſtitiſſe commemorat. Id Numen fortaſſe in Latium invexit Oreſtes ejuſque

Digitized by Google

ejuſque ſoror Iphigenia ex Inſula Taurica; quippè is fertur apud Comanam Urbem Cappadociæ, primum Bellonæ ſacrificia feciſſe, Urbique nomen factum, quod ibidem lugubrem depoſuiſſet comam, ut auctor eſt Strabo lib. 12., quare quum idem Oreſtes cum Iphigenia ſorore Ariciam Dianæ ſimulacrum, & Tauricæ Dianæ ſacra aſportaſſe publica opinione crederetur, ut ait Servius ad lib. 6. Æneidos pag. 407., facilè eſt eundem & Bellonæ celebritates eo attuliſſe.

Quandoquidem mihi conſtat, Latinos communes Deos nuncupaſſe Martem, Bellonam, & Victoriam, quia hi in bello utrique parti favere poterant, ſeu quod à cunctis colerentur, ſi Servio credimus in lib. 12. Æneidos ad illud:

Campum ad certamen magnæ ſub mœnibus Urbis
Dimenſi, Rutulique viri, Teucrique parabant,
In medioque focos, & Dis communibus aras
Gramineas, alii fontemque ignemque ferebant.

Quum enim Fæciales bellum indicentes præcæteris Bellonam invocarent, precarenturque ut propitia eſſet ei parti, cui jus faveret, & Fæcialium Collegium in Latio eſſet priuſquam Roma conderetur; hinc arguitur Bellonæ ſacra Latinis fuiſſe. Id habemus ex Dionyſio lib. 1., qui ut probaret Pelaſgorum in Latium appulſum: *In his*, inquit, *multa antiqui moris Græcanici longiſſimo tempore perdurarunt, ut Armorum ornatus, Argolici clypei, & haſtæ, & quoties illaturi bellum, aut excepturi, ultra fines exercitum emitterent, ſacri viri abſque armis cum libaminibus & fœderum oblatione præeuntes cæteris*: ubi Euſtathius hos ſacros viros fæciales eſſe ſcribit, & iterùm lib. 2. ſic prodit: *Septima ſacrarum legum pars ſacrata erat Collegio Fœcialium. hi ſunt ſelecti è præſtantiſſimis familiis viri, funguntur que per omnem vitam eo Sacerdotio, primo Numa hujus ſacri Magiſtratus auctore. Utrum autem ab Æquicolis exemplum mutuatus ſit, ut quidam exiſtimant, an ab Ardeatibus, ut ſcribit Gellius, nihil compertum habeo, hoc tamen poſſum affirmare, ante Numam Regem Fœcialium Collegium Romæ non fuiſſe*; ſic Livius Decad. 1. lib. 1. fœdus ictum à Tullo Hoſtilio cum Albanis referens, Fæciales Romani, & Albani populi jusjurandum dediſſe memorat; unde Servius ad lib. 10. Æneidos, poſt quam memoriæ tradidit

Ancum

Digitized by Google

Ancum Marcium primum à gente Æquicolana jura Fœcialium accepiſſe, Albanos etiam tunc Fœciales habuiſſe ſcribit, ſubjicitque: *Nam ſi quando homines, aut animalia ab aliqua gente rapta eſſent populo* Romano, *cum Fœcialibus, ideſt Sacerdotibus, qui faciendis præſunt fœderibus, proficiſcebatur etiam Pater Patratus, & ante fines ſtans, clara voce dicebat belli cauſſas, & nolentibus res raptas reſtituere vel Auctores injuriæ tradere, jaciebat haſtam, quæ res erat pugnæ principium*: Ergo ex his conſtat Fœcialium Collegium, Patrem Patratum, & cæremonias haſtam in hoſtium fines jaciendi Romanos ab Ardeatibus ſecundum Gellium, aut ab Æquicolis ex Servio, & Livio accepiſſe, & Roma non adhuc condita, Pelaſgos, aut alios Latii Colonos Ardeam invexiſſe. Quæ ſi vera ſunt, liquet Bellonam apud eos cultam. Ante ejus Templum ſtabat Columella, quæ bellica vocabatur, ſupra quam haſtam jaciebant, quum bellum per Fœciales indiceretur teſtimonio Feſti lib. 2. Aliter rem narrat Servius in lib. 9. Æneidos ad ea carmina:

. . . . *& jaculum intorquens emittit in auras*
Principium pugnæ . . . . .

ubi memorat Romanos bellum adverſus Pyrrhum transmarinum hoſtem geſturos, non invenientes locum, ubi hanc ſolemnitatem indicendi belli celebrarent, operam dediſſe, ut unus de Pyrrhi militibus caperetur, quem fecerant in Circo Flaminio locum capere, ut quaſi in hoſtili loco vis belli indicendi implerent, inde ſubjicit: *Denique in eo loco ante ædem Bellonæ conſecrata eſt columna*; *Varro in Caleno ita ait*: *Duces cum primum hoſtilem agrum introirent, ominis cauſſa, prius haſtam in eum agrum mittebant, ut caſtrorum locum caperent*: hinc diſcimus non in omnibus bellis haſtam ſuper eam columnam à Romanis jactam, ſed tantum quum deerat locus hoſtilis: quod apertius Feſtus fortaſſe explicaverat, ſed ejus verba nobis mutilator barbarus invidit.

Ex hactenus dictis patere arbitror Bellonæ cultum in Latio vetuſtiſſimum fuiſſe, ſacra etiam Taurica, & ſimilia illis, quæ apud ædem Dianæ Tauricæ fiebant, & Oreſtes in Nemus Aricinum invexit, ut Strabo lib. 12., & Servius ad lib. 6. Æneidos narrant. Enimvero Dianæ Aricinæ Sacerdos ſanguine proprio Sacerdotium,

& Regnum aſſequebatur, & Deæ litabat; uti Bellonarii, qui Lactantio lib. 1. cap. 21. teſte: *Non alieno, ſed ſuo cruore ſacrificant, ſectis namque humeris, & utraque manu diſtrictos gladios exerentes, currunt, efferantur, inſaniunt*: quod & teſtatur Tertullianus Apolog. cap. 9.: *Hodie iſthic Bellonæ ſacratus ſanguis de femore proſciſſo in parmulam exceptus ſuis datur ſignatis*, Minutius Felix in Octavio: *Bellona ſervum ſuum hauſtu cruoris humani imbuit*. Huic quoque mori alludunt Poetæ; Tibullus namque lib. 1. Eleg. 6. eleganter, & ambitioſe ita ea ſacra deſcribit:

Hæc ubi Bellonæ motu eſt agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet,
Ipſa bipenne ſuos cædit violenta lacertos,
Sanguineque effuſo ſpargit inulta Deam.
Statque latus præfixa veru, ſtat ſaucia pectus.

M. Annæus Lucanus lib. 1. verſ. 565.

. . . . *quos ſectis Bellona lacertis*
Sæva movet . . . .

Horatius lib. 2. Satyr. 3.

Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.

Aurelius Prudentius in Romano Martyre:

Votivus & cum membra detruncat dolor
Cultrum in lacertis operit Fanaticus,
Sectiſque matrem brachiis placat Deam.

Vaticinabantur hi Bellonarii ſtragem populorum, aut everſiones Urbium, ubi ſemel concepto furore tranſcurrere cæpiſſent, iiſque maxima fides habebatur ex Juvenali Satyra 4.

. . . . *ſed ut Fanaticus æſtro*
Percuſſus, Bellona tuo, divinat . . .

ubi vetus Scholiaſtes ſubdit hæc ſacra antiquiſſima eſſe, & Sacerdotum ſanguine ei Deæ litari ſolitum, quod ita crimina expiari opinarentur. Immutata poſtea hæc conſuetudo eſt, & ſimulata tantummodo ſectio membrorum, aut detruncatio retenta. Hoc colligitur ex Ælio Lampridio in Commodo, ubi ait: *Bellonæ ſervientes vere exſecare brachium præcepit ſtudio crudelitatis.* Cæterum an id feſtum celebraretur in Latio hoc die, & menſe, ſive alio, nihil compertum habeo:

Digitized by Google

habeo: ſuſpicor tamen ita factum, quod liqueat Quirites Templorum conſecrationes egiſſe eo menſe, iiſque diebus, quibus Latini, aut Sabini ea Numina venerabantur.

Nonis Juniis, ideſt die quinto, feſtas ſolemnitates Fidii Dei actas canit Ovidius lib. 6. Faſtorum:

Quærebam Nonas Sanco, Fidio ne referrem,
An tibi Semo pater? tunc mihi Sancus ait.
Cuicumque ex iſtis dederis, ego munus habebo,
Nomina terna fero, ſic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inque Quirinali conſtituere jugo.

Hunc Deum trinomium Ovidius facit, Sancum, Fidium, & Semonem, eundemque Sabinorum Deum. Varro lib. 4. de Lingua Latina ſic de eo ait: *Ælius Gallus Dius Fidius Dijovis filius, ut Græci Dioſcoron Caſtorem, & putabant hunc Sancum ab Sabina lingua, & Herculem ab Græca.* Aliter ſcribit Servius, quem ſequor, in lib. 8. Æneidos ad illud:

. . . . ſubitoque novum conſurgere bellum
Romulidis, Tatioque Seni, Curibuſque ſeveris.

Sabini, inquit, *à Lacedæmoniis originem ducunt, ut Hyginus ait de origine Urbium Italicarum à Sabo, qui de Perſide Lacedæmonios tranſiens, ad Italiam venit, & expulſis Siculis tenuit loca, quæ Sabini habent: Cato autem, & Gellius à Sabo Lacedæmonio trahere eos originem referunt.* Hunc & Jovem Piſtium, ideſt Fidium, & Sancum Romanos appellaſſe prodit Dionyſius lib. 4, & ante Romam conditam Sabinos, & Latinos quaſi univerſos, id Numen, & feſtum habuiſſe conſtat, nam Quirites ſacra ejus Dei, & feſtum à Sabinis accepiſſe jam diximus: Latinos itidem, quum plura eſſent Templa in Latio huic Deo dicata, præſertim Velitris, ubi vetuſtiſſima illius erat ædes ex Livio Decad. 4. lib. 2.: *Ab Sueſſa nuntiatum eſt duas portas, quodque inter eas muri erat, de Cælo tactum, & Formiani Legati ædem Jovis, item Hoſtienſes ædem Jovis, Veliterni Apollinis, & Sanci ædes, & in Herculis æde Capillum enatum.* Quare habemus Velitris, tectum ædis Fidii perforatum ſtetiſſe, ut videretur dium, ideſt Cælum, nam ſub tecto per hunc Deum jurare haud licebat ex

Varrone lib. 4. de Lingua Latina. Neque deſunt qui prodant eumdem *Medium Fidium* dictum, quaſi Jovis filium, quod antiqui Fidium filium ſcriberent, eundemque & Herculem fuiſſe ex Feſto lib. 11. & iterum lib. 14. verbo *Prædia*: *Propter viam*, inquit, *fit ſacrificium*, *quod eſt proficiſcendi gratia Herculi*, *aut Sanco*, *qui ſcilicet idem eſt Deus*: hunc & idem Livius Semonem Sancum nominat lib. 8.: *Bona Semoni Sanco cenſuerunt conſecranda*. Propertius lib. 4. Elegia 10. *Sanctum* appellat.

Sancte Pater ſalve, cui jam favet aſpera Juno,
Sancte velis libro dexter adeſſe meo.

Inſcriptio ſequens apud Dacerium ad Feſtum, Herculem Saxanum exhibet.

HERCVLI SAXANO SACRVM
SER. SVLPITIVS TROPHINVS
AEDEM ZOTHECAM CVLINAM
PECVNIA SVA A SOLO RESTITVIT
IDEMQVE DEDICAVIT K. DECEMBRI
L. TVRPILIO DEXTRO
M. MAECIO RVFO COSS. EVTVCHIVS
SER. PEREGRINANTIBVS CVRAVIT.

Unde Medius Fidius apud Romanos jusjurandum fuiſſe dicitur, quamvis alii ſic exponant *Medius Fidius*, hoc eſt *per Deum Fidium*, nam Fidius Deus apud Sabinos, & Latinos erat qui fidei præerat. Hoc autem jurejurando uſus eſt Cicero in Orationem pro Roſcio Amerino, Cecinna ad ipſum Ciceronem Famil. lib. 6. epiſt. 7., & Brutus lib. 16. epiſt. 3., Plinius lib. 4. epiſt. 3. ex quibus, ni fallor, conjicitur Sabinos etiam, & cæteras gentes ſuis Regibus conſecratis nomina immutaſſe, ne homines fuiſſe viderentur, uti ex Lactantio ſcripſimus, qui lib. 1. cap. 15. ait Sancum Numen Sabinorum fuiſſe, Herculem etiam dictum, uti Æneas, Latinus, atque Aſcanius poſt conſecrationem Jovis cognomento nuncupati ſunt ex jis quæ Capite 5. retulimus, quamvis Servius ad lib. 8. Æneidos pag. 502. Herculem Medium Fidium dictum prodat, quod is Deus quid medium eſſet inter mortalitatem, & divinitatem, addatque: *Sunt enim Numina aliqua tantum cæleſtia*, *aliqua*

aliqua tantum terreſtria, aliqua media quos Deos Apulejus Medioximos vocat, hoc eſt qui ex hominibus Dii fiunt.

Die octava Junii tradunt diem natalem Lavinii Latinos celebraſſe. Id teſtatur Ligorius in MSS. Otthobonianis verbo *Laurento*, ſcribens, Æneam patria profugum ad littus Laverenti appulſum, duobus annis poſt quam exulaſſet, Lavinium eo die, & menſe condidiſſe: Dionyſius itidem lib. 1., temporis, quo id Oppidum extructum eſt, ita meminit: *Tandemque Laurentum in Aboriginum littore perveniunt æſtatis medio, acceptoque illo agro, condiderunt in eo Lavinium expleto anno poſt captum Ilium ſecundo.* Ex die igitur, & menſe, quibus Troja capta eſt intelligi poteſt quo menſe, & die in agrum Laurenti Æneas primum appulſus fuerit. Quumque ex Plutarcho in Camillo, Calliſthene, aliiſque Græcis Auctoribus conſtet Trojam direptam die duodecimo Junii feria quinta anno Periodi Julianæ MMMDXXX. ex Dionyſio Petavio, aliiſque apud Theodorum Rickium de Prim. Ital. Colon. cap. 9., hinc conjicitur eodem menſe Junii poſt biennium Æneam in agrum Laurenti perveniſſe: quod probari videtur ex Solino cap. 2., referente L. Caſſium Heminam ſcripſiſſe, Æneam æſtate ab Ilio capto ſecunda, Italicis littoribus appulſum, ſociis non amplius ſexcentis in agro Laurenti caſtra poſuiſſe. Hæc explodunt Ligorium, nam ſi die duodecimo Junii Æneas ad Latina littora appulſus eſt, die octavo ejuſdem menſis Lavinium condere haud potuit, eo præſertim quod Dionyſius lib. 1., Virgilius, Servius, Solinus, Auctor Origin. Gent. Roman. aliique memoriæ mandarint, Æneam ante Lavinium extructum, ſimulacrum Veneri matri in agro Laurenti dicaſſe, Legatos ad Latinum Regem miſiſſe, aut cum eo dimicaſſe, ut alii perhibent, & Laviniam Regis filiam deſponſaſſe, unde patet eum haud ſtatim Lavinium condere, at neque ejus Urbis pomœrium deſignare potuiſſe: quæ notanda ſunt quum Scriptores prodant poſt lapſum triginta annorum eodem menſe Aſcanium Albam condidiſſe ex Dionyſio lib. 1., Auctore Origin. Gent. Rom. & ſic Calendario dies feſtus natalis Albæ addendus eſſet: quorum tamen nil compertum habeo. Quin valde ſuſpicor eo menſe, quo Ilium everſum eſt, Trojanis atro, & infauſto ex Plutarcho aliiſque, neque Lavinium, neque Albam, aut alias Urbes conditas fuiſſe,

Digitized by Google

earumque opus potius cæptum Quintili menſe, & ſic æſtatis medio, ut Dionyſio placet.

Sunt qui ex his arguant eodem menſe, quo Lavinium extructum eſt, Æneam ab Aſcanio in Deorum numerum relatum ex eodem Dionyſio, qui ita ait eodem lib. 1.: *Ænea ex hominibus exempto, ſeptimo fermè anno poſt captum Ilium Euryleon Regno Latinorum potitus eſt, mutato nomine in exilio dictus Aſcanius*. Itaque ſi Ilium captum eſt menſe Junii, arguitur ſeptimo anno poſt Ilium everſum eodem menſe recurrente, Æneam in Numicio amne ſubmerſum, & inter Deos Indigetes relatum, Templo ei ſacrato, dieque feſto indicto, & Sacerdotibus ei adſcriptis, ut narrant Dionyſius, Auctor Originis Gent. Roman., Livius, & alii, quos adduximus Capite 5.. Cæterum, licet is dies incertus ſit, Æneæ tamen ſub cognomento patris, ſeu Jovis Indigetis feſta quotannis Aſcanium, univerſumque Latium feciſſe,& Flaminem, Sacerdoteſque aſſignaſſe conſtat. Enimvero præter jam adductos, Feſtus lib.9.ſic ſcribit: *Indiges, Indigetis facit: hoc nomine Æneas ab Aſcanio appellatus eſt quum pugnans cum Mezentio nuſquam apparuiſſet, in cujus nomine etiam Templum conſecravit*. Virgilius itidem lib. 12. Æneidos:

Indigetem Æneam ſcis ipſa, & ſcire fateris
Deberi Cælo, Fatiſque ad ſidera tolli,

ubi Servius: *Indigetes*, inquit, *Dii duplici ratione dicuntur, vel ſecundum Lucretium quod nullius rei egeant, vel certe Indigetes Dii ſunt ex hominibus facti, & dicti Indigetes, quaſi in Diis agentes*. Hanc quoque ſententiam probat Macrobius in Somnium Scipionis lib. 1. cap. 9. ubi affert hos verſus Heſiodi in latina verba converſos.

Indigetes Divi facto ſummi Jovis hi ſunt
Quondam homines, modo cum ſuperis humana tuentes.
Largi, ac munifici, jus Regum nunc quoque nacti,

quamvis viri docti credant Indigetes dictos qui ex hominibus in Deorum numerum relati ſimul cum jis invocantur, quum indigitare ſit invocare. Ovidius etiam lib. 4. Metamorph. de Ænea loquens, ſic canit:

Luſtratum genitrix divino corpus odore
Unxit, & ambroſia cum dulci nectare mixta,

Conti-

Contigit os, fecitque Deum, quem turba Quiritum
Nuncupat Indigetem, Temploque, Ariſque recepit.

Quare Poëta teſtatur Romanos Æneæ feſtum egiſſe, eique Templa, & Aras ſacraſſe; ſic Tibullus lib. 2. Eleg. 6. ait:

Illic ſanctus eris, cum te veneranda Numici
Unda, Deum Cælum miſerit Indigetem.

& Aulus Gellius Noctium Atticarum lib. 2. cap. 16., Solinus cap. 18., & alii; immo Servius ad lib. 1. Æneidos explicans hoſce Virgilii verſus:

. . . . *cernes Urbem, & promiſſa Lavini*
Mœnia, ſublimemque feres ad ſidera Cæli
Magnanimum Æneam . . . . .

Primo, inquit, *prælio Latinus eſt interemptus, ſecundo vero Æneas Turnum occidit: Ipſe vero, ut quidam dicunt, quum Mezentium, ut quidam vero Meſſapum fugeret, in Numicum fluvium cecidit: ut vero Ovidius refert, in Cælum raptus eſt, cujus corpus quum poſt victos Rutulos Aſcanius quæreret, & non inveniret, in Deorum numerum credidit relatum*: & infra pag. 190. ſic exponit ſequentia carmina:

Hunc tu olim Cælo ſpoliis Orientis onuſtum
Accipies ſecura, vocabitur hic quoque votis.

Accipies ſecura, quia poſt mortem Cæſar meruit aram, faſtigium, & flaminem: bic quoque: poteſt intelligi ſicuti Romulus, ſed melius ſicuti Æneas, de quo ſuperius ait: ſublimemque feres ad ſidera Cæli magnanimum Æneam, quibus verbis Grammaticus innuit Cæſari Aram, faſtigium, & flaminem poſt conſecrationem aſſignatum fuiſſe, ſicuti Æneæ. Sunt & qui prodant Æneam Pontificem fuiſſe, Albanoſque Pontifices eum ſacrorum auctorem, & Pontificum Principem appellaſſe ex Virgilio apud Macrobium Saturnalium lib. 3. cap. 1. & 2. ad finem, Strabone lib. 5. Ajunt etiam Æneam in Latio primitias omnes Jovi voviſſe, uti ex Catone colligit Macrobius lib. 3. Saturnalium cap. 5. ad finem, ubi quærens cur Virgilius Mezentium contemptorem Deorum nuncupet: *Sed veram*, inquit, *bujus contumaciſſimi nominis cauſſam, in primo libro Originum Catonis diligens lector inveniet, ait enim Mezentium Rutulis imperaſſe, ut ſibi offer-*

rent

Digitized by Google

rent quas Diis primitias offerebant, & Latinos omnes ſimilis imperii metu, ita vocaſſe: Juppiter, Si Tibi Magis Cordi Eſt, Nos Ea Tibi Dare Potius, Quam Mezentio, Vtei Nos Victores Facias: quamvis vinum Mezentium petiiſſe, & Æneam, ſeu Aſcanium illud Jovi obtuliſſe plures adducti Capite 6. affirment. Hactenus de feſtis Æneæ, & die natali Lavinii, & Albæ; nunc ad alia procedamus.

Quinto Idus Junias, ex Calendario, Ovidio lib. 6. Faſtor., aliiſque, feriæ erant Veſtæ, & Veſtalium celebritates. Diximus Capite 9. Veſtæ ſacra, & eorum ritus, ac feſtum diem, Numam à Lavinienſibus, & Albanis accepiſſe, quod nemo negat: ergo hæc ſacra primi omnium Latini habuere, dein à Numa Romam translata; itaque hoc die ante Romam conditam, has cæremonias, quas Æneas primum, inde Numa edixit, in Latio peractas fuiſſe comperimus ex Servio, Feſto, & Ovidio. Servius enim in Eclog. 8. ita ſcribit: *Virgines Veſtales tres maximè ex Nonis Maiis ad pridie Idus Majas alternis diebus ſpicas adoreas in corbibus meſſuariis ponunt, eaſque ſpicas ipſæ Virgines torrent, pinſunt, molunt, atque ita molitum condunt. Ex eo farre Virgines ter in anno molam faciunt Lupercalibus, Veſtalibus, Idibus Septembribus adjecto ſale cocto, & ſale duro:* Feſtus lib. 11. ſic ait: *Muries eſt, quemadmodum Veranius docet ea, quæ fit ex ſale ſordido pila pinſato, & in ollam fritilem conjecto, ibique operto, gypſatoque & in furno percocto, cui Virgines Veſtales ſerra ferrea ſecto, & in ſeriam conjecto, quæ eſt intus in æde Veſtæ in penu exteriore, aquam jugem, vel quamlibet, præter quam quæ per fiſtulas venit, addunt, atque ea demum in ſacrificiis utuntur.* Ergo poſt quam Virgines ſtatis diebus far molitum, cæremoniis per Servium expreſſis condiderant, ex eo farre ter in anno, & ſale ſordido cocto, & conjecto in ollam, & aqua addita, molam faciebant, eaque in ſacris Deæ hoc die utebantur: quam molam caſtam vocabant, ut ſubdit idem Feſtus lib. 3. Hoc etiam die libabant non vino, ſed aqua Numici fluminis, ut Æneas, & Albani Reges inſtituerant ex Servio ad illud lib. 7. Æneidos:

. . . . . . *hæc fontis ſtagna Numici*

unde Juvenalis invehens in quoſdam Latinos, qui vino Veſtæ libabant, ſic Sat. 6. canit:

Quædam

Digitized by Google

Quædam de numero Latiarum, ac nominis alti
Cum farre, & vino Janum, Veſtamque rogabat.

Calices autem fictiles, quibus utebantur Culluli dicti ſunt, ut Acron, & Porphyrion ſcribunt in Horatium lib. 1. Carminum Ode 31. Diebus Veſtalibus proximis, Penus, locus intimus in æde Deæ ſegetibus ſeptus aperiebatur, ut auctor eſt Feſtus verbo *Penus*: & convivia paſſim circa focos agitabantur, cibis ad Virgines miſſis in patella Deæ libandis, Aſini floribus coronati, atque è pane veluti monilia quædam gerentes, circumducebantur per Urbes; molæ item ſertis, & floribus ornabantur, & quieſcebant, ut ita foci, & Domina focorum, quæ Veſta eſt, à Piſtoribus colerentur; Matronæ itidem nudis pedibus ad Veſtæ ædes ibant, ut patet ex Ovidio lib. 6. Faſtorum cujus verſus quia multi ſunt non libet adſcribere, & idem referunt Alexander Genialium lib. 3. cap. 12., Tiraquellus ejuſdem Interpres, & fuſius de hoc agunt Commentatores Ovidii loco adducto.

Ex Feſto etiam lib. 17. comperimus hoc fortaſſe die, Deæ ſimulacrum in foro poſitum fuiſſe, excubiaſque ibi actas à populo: en Feſti verba: *Statæ matris ſimulacrum in foro colebatur, poſtquam id colluſtravit, ne lapides igne corrumperentur, qui plurimus ibi fiebat nocturno tempore; Magna pars populi in ſuos quiſque vicos retulerunt ejus Deæ cultum*, quo loci Scaliger, loco *colluſtravit*, legendum putat *Cœlius ſtravit*, idque Veſtæ ſimulacrum, quæ Stata mater à ſiſtendo ab antiquis dicta eſt, fuiſſe autumat, quod & refert Dacerius: ſubdunt etiam prædicti ea nocte, vel orta jam luce circumductum id ſimulacrum fuiſſe per vicos Urbis, quod equidem mirum eſt, quum Ovidius lib. 6. Faſtorum nullum in æde Veſtæ, Deæ ſimulacrum ſtetiſſe his carminibus aſſerat:

Eſſe diu ſtultus Veſtæ ſimulacra putavi,
Mox didici curvo nulla ſubeſſe tholo.
Ignis inextinctus templo celatur in illo,
Effigiem nullam, Veſta, nec ignis habent.

quamvis ſint qui effinxerint Veſtam, Matrem an filiam neſcio, Virginis ore tympanum geſtantis quod ventos contineret, ut videre eſt apud Lilium Gyraldum lib. 4. de Diis Gentium, Cœlium Antiquarum Lectionum lib. 15. cap. 14.: de quibus tamen & aliis, Veſta-

Veſtalium origine, & cæremoniis plura dicturus ſum ſuo loco.

Tertio Idus Junias Matralia erant, Matris ſcilicet Matutæ feſta ex Calendario, & Ovidio lib.6.. Ritum hujus ſacri, quod Arcades Evandro Duce in Latium invexerunt ſatis Capite 13. expoſuimus. Nunc addimus eo die libum, quo ei ſacrum fiebat, *Teſtuatium* dictum, à Latinis appellatum, quod, ut ait Varro lib.4. de Lingua Latina in *teſtu caldo*, vel ut alii legunt in *teſta calda* coqueretur, idque Ovidius in carminibus Capite 13. relatis factum ſcribit, ut imitarentur Carmentam matrem Evandri, quæ illud libum Deæ quondam obtulerat. In hujus ſacrificio Matronæ ſororum liberos pro ſuis, in ulnas accipiebant, eiſque bona precabantur. Denique ea agebant, quæ Bacchi nutricibus, & caſui, in quem Ino propter pellicem venit, convenirent, ut auctor eſt Plutarchus in Camillo & Problem. cap.16. & 17., & jam patuit èx carminibus Ovidii.

Decimo quarto Calendas ſextiles, ſeu Julias, Palladi in Aventino ſacra fiebant, ut Ovidius lib.6. Faſtorum his verſibus teſtatur.

Jam ſex, & totidem luces de menſe ſuperſunt,
Huic unum numero, tu tamen adde diem.
Sol abit è Geminis, & Cancri ſigna rubeſcunt,
Cœpit Aventina Pallas in arce coli.

Nonnulli hæc ſacra per Politorienſes ex Politorio Urbe Latii, quos Ancus Martius expugnavit, & in eum montem traduxit, ad ſimilitudinem ſacrificii, quod Politorii Palladi faciebant, primum inducta opinantur. Alii vero Aventino Albanorum Regi à Latinis primum ſub Palladis nomine facta. Ferunt enim ibi Aventinum ſepultum ex Livio lib.1., Dionyſio lib.1., Auctore Origin.Gent.Roman., Feſto lib.1., & Varrone lib.4., quamvis plures dictum affirment hunc montem ab adventu, vel ab Avente fluvio Sabinorum, aut ab Avibus, ſeu adventu hominum, quod commune Latinorum Dianæ Templum ibi eſſet, ut Varro, Servius ad lib.7. Æneidos, & alii tradunt. Hinc memorant Aventinenſem Deum ibi cultum.

Quicquid vero de hoc fuerit, idem mons antiquiſſima Latinorum ſedes ante Romam conditam ideo fuiſſe exiſtimatur, quod illic eorum Templa eſſent, ut Dianæ ædes, Lauretum, vel ut aliis placet Laurentum, ubi erat Vortumnus, & Silva Jovi ſacra, Junonis Reginæ delu-

delubrum ſimile illi, quod Ardeæ viſebatur; Minervæ etiam ædes, & Bonæ Deæ Fauni uxoris ſacellum, atque ara Veneris Myrteæ, quam Murtiam vocant ex Plutarcho in Camillo, Livio Decade 1. lib.5. & lib.7., & P. Victore. Addunt etiam Evandrum in Aventino Laurentum, ſeu Lauretum inſtituiſſe, ut inde decerpta laurus ſumeretur ad Herculis ſacra, auctore Varrone apud Servium lib. 8. Æneidos pag.502.

Alii produnt hoc die ab Ovidio notato, non Palladi, ſed Pallanti eo loco ſacrum factum. Sed hi ſanè allucinantur, quum conſtet Pallantiam filiam Evandri ab Hercule vitiatam, vel Pallantem, ſive Evandri filium vel nepotem, in Palatino monte tumulatum ex Varrone,& aliis quorum meminit Servius ad lib.8. Æneidos pag.489., nullum honorem divinum promeruiſſe teſtimonio Dionyſii lib.1. Ut autem ego promam quid ſentio, Palladi id ſacrum factum puto, neque illud ad Latinos pertinuiſſe. Nam etſi pro certo habeam quod Aventinum Regem in eo monte ſepultum Latini divinis honoribus percoluerint: & Aſcanio, Æneæ, Latino, Fauno, Pico, aliiſque Regibus poſt conſecrationem ædes ſacras dicarint; Tiberino etiam itidem Albanorum Regi, quem in precibus, & ſacris Servius ad lib.8. Æneidos ita vocatum aſſerit: *Adeſto Tiberine cum tuis undis*: Ennius quoque lib. 1. Annalium ex editione Hieronymi Columnæ pag.36. & 92.

Teque Quirine Pater veneror, Horamque Quirini
Teque Pater Tiberine, tuo cum flumine ſancto.

& Livius lib.2. ubi Horatium Coclitem ita loquentem inducit: *Tiberine Pater, te ſancte precor, hæc arma, & hunc militem propitio flumine accipias*: attamen hoc die Ovidius Palladi ſacra facta ſatis dilucidè ſcribit, neque divinare oportet Palladis cognomento Aventinum eo die honoratum, quum nemo antiquorum id prodat.

CAPUT XIX.

De Feſtis menſis Quintilis, qui nunc Julius dicitur.

QUintili menſe plura Latinis feſta occurriſſe nemo eſt qui ambigat : quæ tamen , & quo die celebrarentur , non ita compertum eſt : veruntamen hic proxime ſequentia ſunt inter cætera memoratu digna , quamvis non ſatis clara eſſe puto , quod ea cum ſuis Roma confuderit : quandoquidem in Calendario tertio Nonas Quintiles notantur Poplifugia , quæ quum ad Latinos non pertineant , ex eorum ſerie opinor eo die Latinos Victoriæ feſtum percoluiſſe , & Romanos alias cæremonias addidiſſe , quod eo die , quo Romulus fato conceſſit , conſternatus repentina Regis morte populus, fugiſſet, ex Plutarcho in Romulo, & Dionyſio lib.2., quamvis Varro lib. 5. de Lingua Latina id factum fuiſſe ſcribat, quod direpta Urbe à Gallis , Fidenates , aliique finitimi populi adverſus Quirites conjurantes , in fugam plebem Romanorum egiſſent ; unde in his ſacris fugæ veſtigia apparuiſſe, & inclamationes quaſdam , ut imitarentur fugam , quæ tùm acciderat , ac mutuam invocationem cum timore , & tumultu factam , teſtantur Varro , & Plutarchus . Macrobius Saturnalium lib. 3. cap. 3. hæc de eo feſto habet : *Hyllus libro quem de Diis compoſuit , ait Vitulam vocari Deam , quæ Lætitiæ præeſt . Piſo ait Vitulam Victoriam nominari , cujus rei hoc argumentum profert , quod poſtridie Nonas Julias re bene geſta , quum pridie populus à Tuſcis in fugam verſus ſit , unde Poplifugia vocantur , poſt victoriam certis ſacrificiis fiat Vitulatio : quidam ejus nomen animadverſum putant , quod potens ſit vitæ tolerandæ , ideo huic Deæ pro frugibus fieri ſacra dicuntur , quia frugibus vita humana toleratur , unde hoc eſſe animadvertimus quod ait Virgilius . Cum faciam vitula pro frugibus ipſe venito , ut vitula dixerit pro vitulatione , quod nomen eſſe ſacrificii ob lætitiam facti ſuperius expreſſimus .*

Ex hiſce Macrobii verbis colligitur Victoriæ eo die ſacra facta

vitula

Digitized by Google

vitula juxta Piſonis ſententiam: neque facile conceſſerim huic Deæ ſacrificatum, quod tunc Romani imitarentur pugnam, fugam, & victoriam de Fidenatibus finitimiſque habitam; nam licet Varronis maxima ſit auctoritas, attamen vero propior eſt ſententia Plutarchi, & Dionyſii, nullam eo die pugnam cum finitimis habitam oſtendentium, & Patricios in Romuli perniciem conſpirantes, ſubita oborta caligine ob turbam diffugientem, eum in medio plebis trucidaſſe; unde quis arbitrabitur diem, quo Patriæ Parens necatus eſt, honoratum ſacris Victoriæ, ac ſi populus hoſtilem impetum ſuperaſſet, & dies civili, quia Patris ſanguine, fœdatus, dignus eſſet Triumpho? Palàm itaque eſt die notato recoluiſſe Quirites memoriam fugæ populi in ſacris ſimulatæ, quæ in nece Romuli acciderat. Sacrificatum vero non ob eam rem victoriæ, ſed quod fuga facta eſſet eodem die, quo Victoriæ feſta celebrata erant. Victoriæ quippè cultum in Latium Arcades invexiſſe ſatis liquet ex Dionyſio lib. 1. qui de Evandri in Latium appulſu verba faciens: *In vertice vero*, inquit, *tumuli* (Aventini ſcilicet) *Victoriæ Fano extructo, rem divinam ei alternis annis fieri inſtituerunt, quod & noſtra ætate Romani faciunt. Hanc Arcades fabulantur filiam Palantis prognati Lycaone, & honores, quos nunc apud homines habet, conſequutam Minerva jubente, quod cum hac Dea ſimul educata ſit, à Jove etiam recens natam Minervam commendatam eſſe Palanti, & apud illam educatam dum adoleverit.*

Quamvis igitur Romani hæc ſacra ex Arcadia translata maxime curaverint, & Dionyſius hujus diei feſti meminerit, attamen neque in Calendario, neque apud Scriptores is notatus reperitur, nam in Calendario quinto Calendas Septembres fit mentio Victoriæ ſacrorum, ob Aram Victoriæ à Cæſare Auguſto in Curia Julia dedicata, victoria de Ægypto habita Dione lib. 51., & Herodiano lib. 7. teſtibus. Sic quinto Calendas Novembres ſcriptum eſt ludos Victoriæ dicatos, eoſque inſtitutos à P. Cornelio Sulla bello civili, quum Samnites, Teleſinoſque fugaſſet ex Vellejo lib. 2., Aſconio Pædiano in Verrinam Ciceronis. Livius lib. 29. meminit Templi Victoriæ in Palatino, ubi antea P. Valerii Poplicolæ domus fuerat, quod L. Poſthumius Ædilis Curulis ex mulctatitia pecunia extruendum curavit: in

quod Matronæ Romanæ ſimulacrum Matris Deûm Peſſinunte advectum, antequam propria ædes conſecraretur intulerunt: & lib.34. refert M. Porcium Catonem Conſulem ædiculam Victoriæ Virgini, quam bello Hiſpalenſi voverat, biennio poſt dedicaſſe. Quamobrem conjicitur hoc Poplifugii die, id feſtum à Latinis, & Romuli ævo à Romanis concelebratum, dum ex Piſone patuit Victoriæ ſacra eo die facta. Neque id Dionyſii narrationi haud quaquam convenit, is enim memorat alternis annis ea ſacra facta, quum tamen Poplifugium quotannis ſolemne eſſet; enimvero ſatis eſt Victoriæ eo die haud quaquam ſacrificari potuiſſe, ſi ejus feſtus dies non fuiſſet. Cæterum, ſive anniverſaria ſacra, ſive alternis annis Victoriæ fierent, parum refert, quum ex hoc ſacro Victoriæ facto, dum Roma naſceretur, arguatur Latinos, quorum Numen tunc Victoria erat, prædicto die illi ſacrificaſſe, unde apparet, die notato in Calendario ex Arcadum inſtituto Latinos alternis annis illi ferias agitaſſe, Romanos vero, tum ob caſum mortis Romuli, tum ob fugæ plebis memoriam, Poplifugia inſtituiſſe, ſervato ritu Victoriæ quoque ſacrificandi: feſtum autem Victoriæ in alium diem forte tranſtuliſſe, cujus neque Calendarium, neque Scriptores meminerunt: quæ quum obſcura ſint, & vetuſtiſſima, operæ pretium fuit indicaſſe.

Porrò tacendum non eſt, antiquos id Numen Virginis alatæ habitu, vultu liberali, & blando, capite lauro coronato, manu dextra protenſa ramulum laurus oſtentante, effinxiſſe, ut eruitur ex antiquis Numiſmatibus apud Goltzium, & alios, unde Ennodius Ticinenſis Epigramm. 18.

Ecce tenet victrix pennatum dextera Numen
Venit, & ad reditum non habet arma viæ.

Aurelius Prudentius lib.2. contra Symmachum:

Marmoreo in templo rutilas Victoria pennas
Explicet, & multis ſurgat formata talentis.

Ex his colligitur colorem ſimulacri fuiſſe purpureum, candidum etiam ex Silio Italico lib.5.

. . . . *niveis Victoria concolor alis.*

Corippo etiam de Palatio Juſtini minoris lib.3. num.6,

Quatuor in ſeſe nexus curvaverat arcus

Per

Per dextram, lævamque tenens Victoria partem
Altius erectis pendebat in aere pennis.

Tanto ſtudio populus Romanus hanc Victoriam coluit, ut Symmachus Urbis Senator, & Orator egregius ſcriptis, & epiſtolis ſuis ageret de repetenda Ara Victoriæ, culparetque Chriſtianitatis tempora, & felicitatem gentium attolleret, quaſi ſine Victoriæ Templo Romana res diu ſtare nequiret, ſed ei os obſtruxerunt Sanctiſſimi Antiſtites Ambroſius, & Auguſtinus.

Nonis Quintilibus erant *Nonæ Caprotinæ*, de quibus Romani Scriptores perhibent, eo die Romulum apud Capreæ Paludem concione habita, repente tempeſtate exorta diſparuiſſe ideoque feſtum inſtitutum, ut Plutarchus in Romulo, & in Camillo refert. Sunt & qui fignent eodem die Poplifugia, & Nonas Caprotinas, ſi Plutarcho fides danda eſt. Macrobius Saturnalium lib. 1. cap. 11. de eo feſto fuſius loquitur: cui concinit Plutarchus in Romulo, & in Camillo, epulum mulieribus eo die extra Urbem ſub umbraculis ex ficulnis frondibus contextis præberi memorans, ſervaſque eleganti habitu circumeuntes ludere, deinde invicem ſe plagis, ac lapidum ictibus impetere conſueviſſe, quaſi tunc mulieres, Romanis in prælio adeſſent, pugnantibuſque opem ferrent.

Ex Varrone lib. 5. de Lingua Latina colligitur id feſtum apud Latinos fuiſſe, Romanoſq; ab iis illud mutuaſſe: *Nonæ Caprotinæ* (ait Varro) *quod eo die in Latio Junoni Caprotinæ mulieres ſacrificant, & ſub caprifico faciunt, & è caprifico adhibent virgam: ob hoc toga prætexta data eis*; ſic legunt Roſinus Antiq. Roman. lib. 4. cap. 11., & alii, unde patet Junoni hoc die in Latio à Mulieribus Sacerdotibus, quibus togæ prætextæ jus tunc erat, ſub caprifico ſacra facta, & virgam è caprifico, ac lac ejus ſacrificio adhibitum, epulum quoque ſub umbraculis ex ficuum frondibus contextis exhibitum, ac ſervas, & Dominas epulatas, ideoque Nonas dictas *Caprotinas*. Romani itaque ob memoriam fortaſſe facinoris ancillarum, quod Macrobus memorat, & quod die feſto Junonis Caprotinæ accidiſſe referunt, alias ſolemnitates addiderunt, unde Plutarchus in Romulo ad finem, ob hanc confuſionem cæremoniarum, coactus eſt fateri, factum ancillarum, eveniſſe eodem die, ac ſacra Junonis.

Quarto

Quarto Idus Quintiles, quo Julius Cæſar natus eſt, Senatus menſem ab ejus nomine Julium cognominari, & divinos honores ei tribui decrevit, ex Macrobio Saturnalium lib. 1. cap. 12., Dione lib. 44., Suetonio in ipſius vita cap. 76., Plutarcho in Numa, & aliis. Sequebantur *Lucaria* non prima, quæ decimoquarto Calendas Sextiles erant, Romaniſque peculiaria, ſed ſecunda, quæ duodecimo Calendas Sextiles repetebantur ex Calendario: quem diem omnibus ferme nationibus, Latinis etiam ſolemnem fuiſſe comperimus, tanquam mundi natalem, ex Solino cap. 35., & quamvis apud Gyraldum libro de Anno, Menſibus, & Diebus, & Hadrianum Junium Animadverſorum lib. 3. cap. 8. ſcriptæ inveniantur variæ de eo antiquorum ſententiæ, attamen compertum eſt Latinos, & Romanos adhæſiſſe opinioni, quod hac die mundi initium contigiſſet.

Octavo Calendas Sextiles *Furinalia* tradunt ex Calendario. Hæc ſacra Feſtus lib. 6. *Furnalia*, mendoſe, ut arbitror, appellat. Ea Furinæ Deæ, unde Furinalia, non autem Furrinalia nuncupata eſſe affirmant. De his Feriis hæc apud Varronem lib. 5. de Lingua Latina ſcripta ſunt: *Furinalia à Furina, quod ei Deæ feriæ publicæ, dies is, cujus Deæ bonos apud antiquos, nam ei ſacra inſtituta annua, & flamen adtributus, nunc vix nomen notum paucis*: Cicero lib. 3. de Natura Deorum, Eumenidas commemorans: *Quæ*, inquit, *ſi Deæ ſunt, & Athenis fanum eſt, & apud nos* (Romanos ſcilicet) *ut ego interpretor. Lucus Furinæ, Furiæ ſunt ſpeculatrices* (*credo*), *& vindices facinorum, & ſceleris*; ex quibus diſcimus Furinam, furiarum præſtantiſſimam putatam, in Dearum numero habitam primis Romanæ Reipublicæ temporibus, quod eam Deam Latini crederent ſcelerum vindicem.

Præterea hoc menſe Latinos ferias Jovi inſtituiſſe palàm videtur, quo vero die obſcurum eſt; quippè jam Capite 14. probavimus hunc menſem Latinos Jovi ſacraſſe. Hinc conjicitur juxta morem eorundem, qui menſe Numini dicato, ejus feſta celebrare conſueverunt ex relatis in præcedentibus Capitibus, ſatis conſtare Latinam gentem hoc menſe Jovis ſolemnia agitaſſe, etſi enim compertum ſit omnibus Idibus Jovi ſacrificatum à Tuſcis, Latiniſque ante Romam conditam, ut memoriæ tradunt Ovidius lib. 1. Faſtorum, Macrobius lib. 1.

lib.1. Saturnalium cap.15. Feſtus, & alii; Idibus tamen hujus menſis, celeberrimas in Latio Jovis ferias puto; Flamen etenim Dialis Jovis Sacerdos, cui primatum cæteri Flamines concedebant ex Feſto lib.11., Varrone lib.4. de Lingua Latina, ſingulis Idibus Jovi ovem immolabat teſte Macrobio. Romæ autem oves Jovi ſacras ad victimas farciebant, alentes eas in agro Faliſco, & Mevaniæ, ubi erat Clitumni Fons, ex quo boves, & oves candidas evaſiſſe commemorant, ſi Plinio lib.2. cap.103. credimus, cui conſentiunt Poëtæ, nam Ovidius lib.1. Faſtorum, ait:

Colla rudes operum præbent ferienda juvenci,
Quos aluit campis herba Faliſca tuis.

Virgilius etiam lib.2. Georgic.

Hinc albi Clitumna greges, & maxima taurus
Victima, ſæpe tuo perfuſi flumina ſacro
Romanos ad Templa Deum duxere triumphos.

& Claudianus in 6. Conſulatum Honorii.

Quin & Clitumni ſacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis
Viſere cura fuit . . . . . .

Triumphi die licuit Jovi taurum album mactare, Idibus albam ovem, nundinis vero omnibus Flaminicæ uxori Dialis, arietem ex Macrobio Saturnalium lib. 1. cap. 16., quapropter notandus lapſus Alexandri Genialium lib.3. cap.12. qui Idibus Jovi bovem immolatam contendit. Is Deus dicebatur cæteris potentiſſimus, & ab eo Latini, & Romani exiſtimabant animas dari, & rurſus poſt mortem reddi, teſtimonio ejuſdem Macrobii lib. 1. cap. 10.. Quin adeo devotos Latinos huic Numini fuiſſe comperimus, ut eum Saturni vetuſtiſſimi Latii Regis filium jactarent. Ei quoque Aſcanium Æneæ filium, vel ut alii produnt, Æneam ipſum voti reum vineta omnia in Latio ſita ſacraſſe diximus Capite 16.; immo quum Latina gens, Latinum, Æneam, & Aſcanium principes conſecraſſet, Jovis cognomentum eis addidit, ita declarans Deorum nemini magis devotam ſe eſſe quam Jovi, ex iis quæ dicta ſunt Capit. 5. 6. & 8.. Sunt & qui ſcribunt Arcades Jovi puerum immolaſſe, ut meminit Porphyrius de abſtinentia, Æneam vero, qui Strabone lib.5. teſte, ſacrorum ritus,

&

& cæremonias in Latium transvexit, ſcimus Jovi ſacrificia, & ludos feciſſe, ex Virgilio lib. 3. Æneidos, ubi ſic canit:

Ergo inſperata tandem tellure potiti,
Luſtratumque Jovi, votiſque intendimus aras,
Actiaque Iliacis celebramus littora ludis,
Exercent patrias oleo labente palæſtras.
Nudati ſocii . . . .

Ad hæc Servius, & Donatus Æneam Trojanorum moribus obſequentem, Jovi ſæpe victimas mactaſſe, & ludos feciſſe ſcribunt. Nos de Jove Cretenſi loquimur, quum enim Cicero de Natura Deorum lib. 5. cap. 15., tres numeret Joves, duos in Arcadia natos: alterum Patre Æthere, ex quo etiam Proſerpinam natam ferunt, & Liberum: alterum Patre Cælo, qui genuiſſe Minervam dicitur: tertium Cretenſem, Saturni, & Rheæ, ſeu Opis filium, cujus in illa Inſula ſepulchrum oſtenditur; Latini, qui Saturnum iram filii declinantem, in eorum regione delituiſſe, & dein Jano volente imperaſſe jactabant, hunc Jovem Saturni prolem maxime coluerunt, quamvis haud quaquam ambigendum an reliquos duos Joves in Arcadia natos, Evander in Latio aris, & ſacris honorarit. Huic itaque Jovi, quem Patrem imbrium, tonitruum, ac fulminum Rectorem, Imperatorem, Regem, conſultorem, tonantem, ſalutarem, conſervatorem dixerunt, ex Diodoro Siculo lib. 1. & 3., Divo Auguſtino lib. 4. de Civitate Dei cap. 10., ubi alia addit cognomina; huic inquam Latini priſci ante Romam conditam plures ædes ſacrarunt, nam Præneſte Jovis Imperatoris Templum erat, ſimulacrum etiam, quod Titus Quintius Dictator Latino bello, Præneſte in deditionem accepta, anno V.C. CCLXXVI. Romam devexit & in Capitolium tulit, dedicavitque inter Cellam Jovis, & Minervæ, Tabula ſub eo fixa, rerum geſtarum monumento, cum hac inſcriptione:

IVPPITER ATQVE DIVI OMNES HOC DEDERVNT, VT TITVS QVINTIVS DICTATOR OPPIDA NOVEM CAPERET

Ex Livio Decad. 1. lib. 6.. Ex Tabulis Capitolinis Onuphrius Panvinius

vinius lib.5. Faſtorum ædem quoque ei in Capitolio extructam fuiſſe tradit: quin fragmenta illa in Tabulis Capitolinis:

ACCVS, ET T. DEDICAVIT

Sic legenda arbitratur:

AEDEM IOVI IMPERATORI, QVI PRAENESTE ROMAM ACTVS EST IN CAPITOLIO T. QVINCTIVS T. FIL. N. CINCINNATVS IMP. DEDICAVIT

Non conſentit Livius, immo conſtat in Templo Jovis Capitolini plures fuiſſe aras, ædiculas, pluresque ædes vnum Templum conſtituiſſe, ut palàm eſt, & Livius, Tacitus, P. Victor, aliique affirmant, unde non liquet Quinctium Jovi Imperatori ædem ſacram in diſtincto loco poſuiſſe. Erat & Præneſte in Templo Fortunæ ſimulacrum Jovis Pueri, qui lactens cum Junone in gremio Fortunæ ſedens caſtiſſime colebatur à Matribus, cuius meminit Cicero lib.2. de Divinat. Ferunt etiam Herculem Caco occiſo in agro Palatino, qui in Latio veteri ſitus eſt, ob boves inventos Jovi Inventori aram ſacraſſe, & Deo ibidem juvencum ſacrificaſſe, Latinoſque dein, & Romanos Græco ritu ad Dionyſii ætatem ea ſacra feciſſe, ut auctor eſt idem Dionyſius lib.1., & produnt Ovidius lib.2.Faſtorum, Virgilius lib. 8. Æneidos, ac Livius lib. 1.: quam ædem P. Victorem in Regione Urbis undecima, quæ dicebatur Circus Maximus, locare manifeſtum eſt.

Apud Tuſculanos Juppiter major colebatur, ita dictus à magnitudine, & majeſtate, teſte Macrobio lib. 1. cap. 12. ſic Lanuvii antiquiſſima ædes erat Jovis Haſtati teſte Livio Dec. 4. lib. 2. & Dec. 3. lib. 1. ubi ſcribit primo bello Punico, haſtam ſponte ſua commotam. Lapis etiam Juppiter à Latinis priſcis dictus eſt, & in ſanciendis fœderibus invocatus, ut conſtat ex Feſto lib. 11.: *Lapidem*, inquit, *ſilicem tenebant juraturi per Jovem, hæc verba dicentes. ſi ſciens fallo, tum me Dieſpiter ſalva Urbe, arceque, bonis ejiciat, uti ago*

hunc Lapidem, ubi Scaliger, aliique Interpretes id referunt ad juramentum per Fæciales priſco ævo præſtitum, ut ex Polibio lib.3.patet, & Livius lib.1. conſentit: quamvis is hæc verba per Fæciales primo Latinorum, & Romanorum fœdere prolata eſſe ſcribat. *Qui prior defexit dolo malo, tu illo die Juppiter populum eum ſic ferito ut ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes, polleſque. Hæc ubi dixit, porcum ſaxo ſilice percutit.*

Sic Oſci, qui finitimi Latio fuerunt, Jovem Lucetium colebant, ut auctor eſt Servius ad lib. 9. Æneidos, ubi ait Virgilium deſcribentem bellum inter Turnum, ad cujus auxilium Oſci, & Etruſci Mezentio Duce venerunt, & Æneam commiſſum, *Lucetium* nominaſſe, ut forte indicaret eum Oſcum eſſe: en verba Servii: *Lucetium ſolum hoc Numen eſt, quod dictum à Virgilio, à nullo alio reperitur auctore. Sanè lingua Oſca Lucetius eſt Juppiter dictus à Luce, quam præſtare dicitur hominibus; ipſe eſt noſtra lingua Dieſpiter, ideſt diei Pater*: hoc Jovis cognomen, & cultus ab Oſcis in Latinos, & dein in Romanos propagata fuerunt ex Aulo Gellio Noctium Atticarum lib.5.cap.12., & Feſto lib.10.

Ergo ex his palam fit id Numen vetuſtiſſimum ab ineunte Latinæ gentis ætate in Latio ſacris, & feſtis ſolemnitatibus honoratum, quovero menſe, quove die ejus feriæ ſolemnes eſſent, liquido non apparet, licet ego putem eas hoc menſe concelebratas.

Sic etiam opinor hoc ipſo menſe, Apollini ſacra ab univerſo Latio, Laurentibus maxime, Lavinienſibus, Albaniſque facta, quod juxta Dionyſii ſententiam, quam Capite præcedenti retuli, eo menſe, & ſic media æſtate Æneas in Laurenti oram pervenerit. Unde ejuſdem Dionyſii teſtimonio habetur, hoc menſe Æneam ſolemni ritu Apollini in eo agro ſacrificaſſe, ita namque is lib.1.ſcribit: *Poſtquam enim Laurento appulſi, tentoria fixerunt per littora, quum prius homines ibi ſiti laborarent ob aquarum inopiam (dicam quod ab Incolis loci accepi) ſuaviſſimi Laticis fontes ſua ſponte è terra viſi ſunt prorumpere, qui aquationem præbuerunt toti exercitui, & locum illum fecerunt irriguum, fontanis aquis vſque ad mare decurrentibus, nunc tamen non adeo redundant, vt quicquam inde profluat, ſed in concavo loco reſtagnat aqua modica Soli ſacra, vt ferunt Accolæ. Monſtran-*

Digitized by Google

ſtrantur apud eam aræ duæ, quarum altera orientem Solem ſpectat, occidentem altera, utrumque Trojanorum opus. in his Æneam fabulantur Deo mactaſſe primam victimam in gratiam acceptorum Fontium. Ex his habemus Æneam ſtatim ac ad Laurenti agrum peruenit, Apollini ſacra fecisse, araſque duas ei Deo dicaſſe, in quibus quotannis eo die ſolemnia fierent. Hic locus Dionyſii lumen habet ex altero Virgilii, qui lib.7. Æneidos Laurentum deſcribens, & domum Latini Regis, ſic canit:

Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,
Sacra comam, multoſque metu ſervata per annos,
Quam Pater inventam primas cum conderet arces
Ipſe ferebatur Phœbo ſacraſſe Latinus,
Laurentiſque ab ea nomen poſuiſſe Colonis.

Hiſce carminibus Maro ſatis erudite explicat Laurentum à Lauro ibi inventa, quum Urbs à Pico, non autem à Latino, ut fabulatur Poëta, conderetur, & Phœbo dicata, dictum fuiſſe. Phœbus autem Sol & Apollo à Laurentibus, Latiniſque dicebatur, ut Scholiaſtes ſcribunt, & notat Cornificius apud Macrobium Saturnal. lib. 1. cap. 17. & quamvis Servius, atque Donatus prodant Virgilium meminiſſe Lavinii ita dicti à Lavino fratre Latini, quem narrabant à Lauro ibi inventa quum illud amplificaret, Lauro Lavinium nuncupaſſe; attamen conſtat Poëtam de Laurento loquutum, quod & Lauro Lavinium extremis Reipublicæ temporibus dictum fuiſſe colligitur ex Inſcriptionibus, quas ſuo loco referam, & exhibet Cluverius Antiq. Italiæ lib. 3. enimvero idem Servius ad lib. 7. Æneidos, ubi Poëta exponit epulum Æneæ, & ſociorum in agro Laurenti, ait: *Apollinem intelligi, in tutela enim ejus tota fuerat Regio*, (Laurenti ſcilicet) & ad id probandum adducit carmina, quæ ſupra retuli, quibus Poëta Phœbo eam regionem ſacratam fuiſſe prodit. Id ipſum Silius Italicus lib. 1. de Bello Punico memoriæ mandavit dicens:

Laurentemque larem, & Genitricis pignora Trojæ.

Conſentit Ligorius in MSS. Otthobonianis verbo *Laurento*: & alibi de hoc fuſius dicturus ſum, quod & conjicitur ex nomine Urbis à Lauro ibi inventa dictæ; quippè tametſi Feſtus lib. 10. Laurum nuncupari putet, quod omni tempore vireat, & ob id plurimum adhibi-

Digitized by Google

tam in triumphis, ut ita ad ſimilitudinem arboris, Reſpublica ſemper vireret; Servius autem ad Eclog. 8. à laude eam vocitatam contendat, quod ab antiquis Latinis ea arbor Laudum diceretur: nihilominus, eam arborem ab Apolline adamatam fabulati ſunt ob Daphnim Penei, vel Ladonis filiam in laurum converſam, quum eam Apollo inſequeretur, quemadmodum ejus Sacerdotes indigitabant teſtimonio ejuſdem Servii in lib. 3. Æneidos pag. 269. ſcribentis Æneam, & Trojanos Apollini devotos fuiſſe, quod apud eos Templum, & nemus haberet, ubi à Paride Achilles occiſus eſt. Porrò Auctor Originis Gent. Roman. ſcribit ex Domitio lib. 1. ab Apolline Delphico monitum Æneam, ut Italiam peteret ubi duo maria inveniſſet, prandiumque cum menſis comeſſet, ibi Urbem ut conderet: quod oraculum in Laurenti agro veritate comprobatum traditur ob duo ſtagna aquæ ſalſæ inter ſe vicina ibidem reperta.

Hinc narrant in agro laudato nemus laureum fuiſſe Apollini dicatum, ut meminerunt Auctor Origin. Gent. Roman., Julius Obſequens de Prodig., Valerius Maximus lib. 1. cap. 6. Herodianus lib. 1. narrat Vitellium metu fulminum illuc ſe contuliſſe, tanquam ſecure habitaturum eas inter arbores Phœbo ſacras, nec fulmine tangendas. Æneas itaque agrum Laurenti ſtatim ingreſſus inſpecto nemore laureo Apollini ſacro, memor oraculi, & ſtupens prodigio fontium ſua ſponte manantium, Phœbo duas aras erexit, in quibus taurum immolavit, & feſtum ejus percoluit eo die, quo ad Laurenti litus appulſus eſt, nempe Quintili menſe, & media æſtate, ut Dionyſius, & Solinus teſtantur. Neque deſunt qui memorent eo die, quo Æneas in Laurentino agro caſtra poſuit, ejus Regionis accolas Apollini litaſſe, illorumque exemplo Æneam. Quare ex prædictis habetur, hoc menſe Laurentes, Latinoſque univerſos Apollini ſacra feciſſe, in jis maxime aris ab Ænea dicatis, ut innuit Dionyſius: qui narrans colonos ejus Regionis palàm retuliſſe, eas aras ab Ænea conditas, Phœboque ſacratas, ſatis expoſuit in jis ſtato die poſteros ſacrificaſſe, conſtat enim ex pluries repetitis in Capitibus præcedentibus, Latinos, Romanoſque mordicùs ſacra ab Ænea inſtituta, ritúſque religioſe ſervaſſe, uti ex eodem Dionyſio lib. 1. & 2., & Strabone lib. 5. patet.

Fuit

Fuit & Latinis priſcis hoc menſe *Ambarvale ſacrificium* maturis frugibus, priuſquam meſſis fieret, celebrari ſolitum. Id feſtum apud Romanos à Latinis propagatum tradit Tibullus lib. 2. Eleg. 1. ſic canens;

Quiſquis adeſt faveat, fruges luſtramus, & agros,
Ritus ut à priſco traditus extat avo.
Bacche veni, dulciſque tuis è cornibus uva
Pendeat, & ſpicis tempora cinge Ceres.

Poëta itaque hunc ritum à priſco ævo traditum prodit, ut innuat Latinos eum inveniſſe. Id ipſum memoriæ mandavit Plinius lib. 18. cap. 2. & licet Ambarualia ſacra vetuſtiſſima eſſent, nihilominus Quirites auſi non ſunt, ſuos Reges ejus feſti auctores obtrudere, quod palàm eſſet, Latinam gentem illud, priuſquam Roma conderetur, habuiſſe. Fiebat autem, quum agri, & ſegetes maturæ ſolemni victima circunducta luſtrabantur: quam turba clamans ſequebatur, ex qua unus querna ornatus fronde ſaltans, Cereris laudes canebat: ac poſtquam lacte, vino, & favo libaſſent, porcam ei immolabant, quæ Præcidanea dicta eſt, ex Alexandro Genialium lib. 3. cap. 12., Roſino lib. 4. cap. 17., & aliis, qui tamen ſolemne ſacrum cum privato confundunt, ut ex Poëtis aliiſque Scriptoribus apparet; etenim Virgilius lib. 1. Georgic. ejus ſacri ita meminit.

Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret,
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho,
Terque novas circum felix eat hoſtia fruges,
Omnis quam Chorus, & ſocii comitantur ovantes,
Et Cererem clamore vocant intecta, neque ante
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quam Cereri tota redimitus tempora quercu
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

Nemo ſane Virgilio rectius ſacrum publicum expreſſit, is enim docet id factum in honorem Cereris, cui libatum ſcribit vino, lacte, & favo, quum in reliquis Cereris ſacris vinum adhibere nefas eſſet: *Hoſtia felix* à Marone appellatur, quod fœcunda foret, quippe hoc ſacrum niſi porca fæcunda, & grauida, vel vitula fieri non conſuevit, uti Servius notat, & patet ex Eclog. 3. ejuſdem Virgilii:

Cum

Cum faciam vitula pro frugibus, ipſe venito.

Addit præterea Hoſtiam ter fruges circumiviſſe, unde nomen ſumpſit, quæ ideo Ambarvalis dicta eſt, quod circum arva duceretur ex traditis per Servium ubi ſupra, Macrobium Saturnal. lib.3. cap.6. & Plinium dicto cap.2.

Hæc ex Virgilio: quibus Tibullus carminibus jam dictis (ſi tamen is de Ambarvali ſacrificio loquitur, de quo valde dubito) ſubdit turbam ipſam, & hoſtiam ſpicis coronatam inceſſiſſe, coronatos etiam in præſepibus eo die ſtetiſſe boves, Patrios Deos, & ſic Penates eo quoque ſacro invocatos, eumque diem feriatum bobus, & ruſticis fuiſſe; en verſus Tibulli, qui ſequuntur iam relatos.

Luce ſacra requieſcat humus, requieſcat arator,
Et grave ſuſpenſo vomere ceſſet opus:
Solvite vincla jugis, nunc ad præſepia debent
Plena coronato ſtare boves capite.
Omnia ſint operata Deo, non audeat ulla
Lanificam penſis impoſuiſſe manum.
Vos quoque abeſſe procul jubeo, diſcedite ab aris,
Queis tulit heſterna gaudia nocte Venus.
Caſta placent ſuperis, pura cum veſte venite,
Et manibus puris ſumite fontis aquam.
Cernite fulgentes ut eat ſacer agnus ad aras,
Vinctaque poſt olea candida turba comas.
DI Patrii purgamus agros, purgamus agreſtes,
Vos mala de veſtris pellite limitibus.

Ex quibus, & aliis in dicta Elegia, quæ huic feſto non conſentiunt, puto potius Tibullum de alia luſtratione loquutum.

Illud ſane liquet, eo ſacro invocatam fuiſſe & Victoriam, quum enim hanc Deam vitæ tolerandæ potentem crederent, ideo pro frugibus ſacra ei faciebant, quia his vita humana toleratur, vt ex Piſone tradit Macrobius lib.3. Saturnal. cap.3.. Quirites hoc die fines agri Romani luſtrabant inter quintum, & ſextum Lapidem, & circum agri terminos fratres Arvales qui ſacrificio præerant, & ad hoc à Romulo creati erant, ut terminos agri Romani ſuovetaurilibus circumferrent, ea ſacra faciebant ex Strabone lib.5. unde lumen Feſto lib.1.

lib. 1. ubi ait: *Ambarvales hoſtiæ appellabantur, quæ pro arvis* (à duobus fratribus) *ſacrificabantur*; *Ambarvalis hoſtia eſt quæ rei divinæ cauſa circum arva ducitur ab jis, qui pro frugibus faciunt*; Scaliger, & alii legunt *à duodecim fratribus*, ideſt à fratribus Arvalibus; itaque Feſtus ſatis expreſſit Romæ per fratres Arvales id ſacrum peractum, ſue, ove, & tauro, quum Romulus loco ſuis, vel vitulæ, ut tunc Latini faciebant, alias victimas addidiſſet. Idcirco inſigne horum fratrum fertur ſpicea corona, alba infula alligata, quam, dum operabantur ſacris, ſingulos geſtare ſolemni more decebat ex Plinio lib. 18. cap. 2., Aulo Gellio Noctium Atticarum lib. 6. cap. 7.

Cereri porca præcidanea ſacrificium privatum unuſquiſque agri Dominus ſeu Colonus die ante Ambarvalia faciebat, quod habetur ex Catone de Re Ruſtic. cap. 134., Varrone lib. 3. de Vita Pop. Rom. apud Nonium Marcellum verbo *Præcidaneum*, Feſto lib. 14. & Aulo Gellio lib. 3. cap. 6. qui cæteris rem apertius enucleat his verbis: *Præcidaneæ hoſtiæ dicuntur, quæ ante ſacrificia ſolemnia* (Ambarvalia ſcilicet) *pridie cæduntur*: *Porca etiam præcidanea appellata, quam piaculi gratia ante fruges fieri cæptas immolari Cereri mos fuit*: Romani autem, quorum agri fines fratres Arvales luſtrabant, ut dixi, die præcedenti, & ſtatim ac Suovetaurilia indicta erant, Marti in agris ipſis ſacrificabant, quod ſane ſacrum privatum erat, non publicum & factum ut precarentur Numina, agros die ſolemni, quo fratres Arvales ſacra faciebant, bene, ritèque luſtrari, ſi Catoni cap. 141. de Re Ruſtic. credimus, qui ita rem explicat: *Agrum luſtrare ſic oportet, imperans Suovetaurilia circumagi cum divis volentibus, quodque bene eveniat, mando tibi mani, ut illa Suovetaurilia, fundum, agrum, terramque meam quota ex parte circumagi, ſive circumferendam cenſeas, uti cures luſtrare, Janum, Jovemque vino præfamito, ſic dicat: Mars, Pater te precor, quæſoque &c.* Ex quo conſtat id ſacrum privatum, & præliminare fuiſſe, ſic & Amburbiale ſacrum, quo hoſtiæ circum terminos Urbis Romæ ducebantur, ut Urbs, & Pomærium luſtrarentur, de quo Feſtus verbo *Amburbiales*, nil commune habet cum ſacrificio, de quo hactenus egimus, quamvis non deſint, qui utrumque ſacrum confundant.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XX.

De Feſtis Sextilis menſis, ſive Auguſti.

HOc menſe Cereri, & Auguſto Latini ſacra fecerunt; eumque illi dicarunt, ut memoravimus Capite 14. Id Numen Arcades in Latium invexiſſe diximus Capite 16., fuitque adeo vetuſtum finitimis gentibus, ut Sabini ante Romam conditam Cererem Panem appellarent teſte Servio ad lib. 1. Georgic. in princip. pag. 59.; quibus ſi addamus antiquos Cereri poſt meſſem, primitias frugum obtuliſſe, mulſumque & lac, uti ex veteribus colligit Tomaſinus de Donar. cap. 26., palàm fiet Sextili menſe huic Numini ſacra à Latinis facta. Sic Auguſto ſacrificari ſolitum hoc menſe comperimus, à quo etſi nato menſe Septembri, Senatus menſem hunc nuncupari voluit, quod eo menſe primus Conſulatus illi obtigiſſet & inſignes victoriæ ex Suetonio in Auguſto cap. 31., Macrobio Saturnalium lib. 1. cap. 12., Dione lib. 55. & aliis. Itaque quum ob pacem poſt tot civilia bella Provinciis illatam, Auguſtus paſſim inter Deos Tutelares relatus eſſet teſtimonio Appiani Bellorum Civilium lib. 5., & ei Romæ, atque in Latio, cæteriſque regionibus Romano Imperio devotis, perque Urbes celeberrimas vivo, mortuoque Templa, Sacerdotes, & Collegia ſacrata, ut Auctor eſt Aurelius Victor, ſive quiſquis ſcripſit Virorum illuſtrium geſta, cui conſentit Suetonius in eodem Auguſto cap. 52., licet prodat illum Romæ ſe tali honore abſtinuiſſe; facile eſt hoc menſe ei etiam ſacra peracta. Hoc probatur ex eo quod pleræque Latinæ Urbes, die, quo is natus eſt, nempe Nono Calendas Octobris, & illo, quo Pater Patriæ conclamatus, ſacra facere conſueverint; quandoquidem Suareſius Præneſt. Antiq. lib. 1. cap. 18. exhibet fragmentum Calendarii Præneſtini, ubi ita legebatur:

NON.

NON. N. CONCORDIAE
IN ARCE FERINAE EX
S. C. QVOD EO DIE
IMPERATOR CAESAR
AVGVSTVS PONTIFEX
MAXIMVS TRIB. POTEST
XXI. CONSVL. XIII. A SENATV
POPVLOQVE ROMANO PATER
PATRIAE APPELLATVS

Præneſte ergo ſacrum publicum factum in Templo Concordiæ in Arce, cui Ferinæ nomen, quæ fortaſſe in eadem æde ſacra erat, quod eo die Auguſtus Pater Patriæ appellatus eſſet. Sic Romæ Idibus Januariis in Templo Jovis Capitolini à Flamine Diali vervex Jovi immolabatur, quod eo die Octavio Auguſti cognomen delatum eſſet, ut intelligitur ex Ovidio lib. 1. Faſtorum:

Idibus in magni caſtus Jovis æde Sacerdos
Semimaris flammis viſcera libat ovis.
Redditaque eſt omnis populo provincia noſtro,
Et tuus Auguſto nomine dictus avus.

Ita & Nonis Februariis, quibus Senatus, plebſque Romana ei nomen Patris Patriæ conceſſerunt, ſacra fiebant teſte eodem Ovidio lib. 2. Faſtorum qui ſic canit:

Dum canimus ſacras alterno carmine Nonas
Maximus bis faſtis accumulatur honos.

& inde paulò poſt ſic pergit:

Sancte Pater Patriæ, tibi Plebs, tibi Curia, nomen
Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen eques.

Hinc vacillare videtur fides Calendarii Præneſtini ubi *Nonis N*, nempe Novembris is dies ſcriptus eſt, niſi dicas mendum ineſſe Calendario, & loco literæ *N* literam *F* eſſe legendam, quod facile conceſſerim, quum palàm ſit, notas lapidum vetuſtorum interdum eſſe mendoſas. Patet itaque diebus, quibus Romæ ſacra publica pro Auguſto celebrabantur, Latinas Urbes, & integras Provincias

eadem feſta egiſſe, & ſic hoc menſe, quo is Auguſti cognomen accepit; Nonis Februariis, quo Pater Patriæ dictus eſt, & Nono Calendas Octobres, die ejus Natali, quo Dion lib. 54. & Suetonius in ejus vita cap. 57. perhibent Romæ ludos, & feſta peracta. Ex Calendario ruſtico apud Roſinum lib. 4. pag. 345. habemus Nonis hujus menſis Saluti, & Spei ſacra facta; Fidei etiam, ut vetus Feſti commentator autumat, quæ tamen in eodem Calendario cum Calendis hujus menſis relata ſunt. Et quamvis Roſinus id feſtum reticeat, nihilominus facile eſt eo die dictis Diis Latinorum, & deinde Romanorum ſacrificia oblata; quippe Voſſius de Idololatria lib. 8. cap. 13. memorat ex Feſto, & Varrone conſtare antiquos Latii accolas Fidem Deam coluiſſe. Hoc Numen in Latium per Phryges allatum addit, templumque Fidei in Palatio poſitum, ſubditque Dionyſium lib. 2., & Plutarchum in Romulo, & in Numa, narrantes Romulum, aut Numam, ejus Templi auctores, à vero aberrare, quum longe ante Urbem conditam ædes Fidei dicata in Palatino Colle eſſet. Idcirco Voſſius opinatur Romulum, aut Numam id Templum inſtauraſſe, quod vero, propius videtur ex Feſto teſtante Agathoclem vetuſtiſſimum Scriptorem meminiſſe Æneam in Palatio Fidem conſecraſſe. Quare habemus in re tam vetuſta, & quam Romani obumbrare ſtuduerunt, ut Romulo, Regibuſque Romanis hunc honorem tribuerent, potius Agathocli, & Feſto, qui præ cæteris rerum initia inveſtigarunt, quam Plutarcho, & Dionyſio fidem habendam, hallucinatumque Roſinum lib. 2. cap. 18., cui Plutarchi, & Dionyſii opinio magis arriſit. Nam, uti ſæpe in ſuperioribus Capitibus diximus, Quirites omnium fere Latinæ gentis ſacrorum, quin & Veſtæ, Latini Regis, Conſi, ſeu Neptuni, Herculis, Larium, Penatium, Veneris, Martis, Jovis, Mercurii, Dianæ, Matutæ, & his ſimilium, quæ publica opinione à Latinis in Romanos propagata eſſe credebantur, Auctores eorum Reges fecerunt, ut ita Latini viderentur ab iis ſacras cæremonias accepiſſe. Itaque nil mirum, ſi prædicti, immo & Livius, Numam dixerunt Fidei ædis conditorem, quum non defuerint qui ſcripſerint Attilium Calatinum eam conſtruxiſſe, quem tamen conſtat id Templum vetuſtate collapſum reſtauraſſe. Cæterum Fœderum ritus, quos ab Ardeatibus, aut Palaſgis ante Romam conditam Latinos habuiſſe

buiſſe ſcripſimus Capite 18., clarum teſtimonium perhibent, id Numen apud priſcos Latinos fuiſſe; nam Fides fœderibus maxime præſidebat. Exiſtimo autem Numam cæremoniis Latinæ gentis alias addidiſſe, quandoquidem ritus ea ſacra per Sacerdotes albo panno à capite ad imum uſque velatos ſine cæde, & victimarum ſanguine faciendi, vetuſtiſſimus erat, ſi antiquis Horatii interpretibus credimus ad ea carmina lib. 1. Ode 35.

Te ſpes, & albo rara fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat.

Quamvis Livius Decad. 1. lib. 1. ſcribat id fuiſſe Numæ inſtitutum, & Seruius ad lib. 8. Æneidos prodat Fidei panno velata tantum manu ſacrificari ſolitum. Ut vero ad id ſacrum Flamines curru arcuato manu ad digitos involuta ſolemni pompa veherentur, Numam edixiſſe ferunt ex Livio ubi ſupra.

Sic Salutis ſacra Roma non adhuc condita fuiſſe comperimus: Ædes enim Salutis vetuſtiſſima Romæ fuit, à qua dictam ferunt unam ex priſcis Romæ portis ex Feſto lib. 17., Livio 1. Dec. lib. 9. P. Victore Region. 5. & partem quoque Quirinalis Collis ante Romulum dictam ferunt ſalutarem ex æde Salutis illi proxima, ut Varro lib. 4. de Lingua Latina commemorat his verbis: *Collis ſalutaris quarticeps: Adverſum eſt Apollinaris ædem, & Salutis*: Macrobius Saturnalium lib. 1. cap. 16. ſcribit apud veteres inſtitutum, ut qui nominaſſet Salutem, ferias obſervaret, donec Deam placaſſet; Dio etiam lib. 17. meminit ſacri, quod Augurium ſalutis appellabant, erat enim quoddam divinationis genus, quo probabatur, concederent ne Dii, ut populo ſalutem poſtularent, quaſi nefas eſſet, eam, antequam concederetur, petere. Hujus ſacri meminit etiam Feſtus lib. 11. ſub voce *Maximum Pretorem*, ubi Dacerius ex Dione notat id augurium per quadraginta quatuor annos intermiſſum Auguſtum reſtituiſſe, unde Livium Dec. 1. lib. 9. ad finem & 10. in principio, qui ait ædem Salutis anno ab V. C. CCCCXLVI. Junium Bubulcum Cenſorem locaſſe, & deinde Dictatorem factum dedicaſſe, de alia æde loquutum fuiſſe oportet, non autem de laudata, quam diximus vetuſtiſſimam & in Colle, quem veteres *Salutarem* vocabant, poſitam.

Spei quoque Numen Romanos à Latinis mutuaſſe patet, nam quamvis Cicero lib. 2. de Legib. memoriæ prodat Calatinum Spei ædem Romæ conſecraſſe, ea tamen in foro Olitorio fuit Livio lib. 21. & lib. 24. teſte. Ædis & Spei meminit P. Victor, qui eam locat in ſeptima regione Urbis, hoc eſt in Via lata. Idem Livius lib. 40. narrat ad Tiberim Spei delubrum conſtructum à M. Fulvio Cenſore, quod fortaſſe Libertorum opera ante bellum Actiacum cum aliis pleriſque ædificiis incenſum refert Diodorus lib. 50. Verum alterius ædis Spei longe prædictis antiquioris nemo præter Livium meminit; is enim Decad. 3. lib. 5.: *Comitia*, inquit, *habita, quibus creati ſunt Triumviri bini, uni ſacris conquirendis, doniſque præſignandis, alteri reficiendis ædibus Fortunæ, & Matris Matutæ intra portam Carmentalem, ſed & Spei extra portam*: Quare habes id Spei Templum extra Carmentalem portam poſitum, fuiſſe vetuſtiſſimum, ob quam cauſſam Viri docti ex loco, ubi ædes hæc ſita erat, videlicet prope portam Carmentalem, quem ſitum incoluiſſe ferunt Arcades, ædibuſque ſacris exornaſſe, atque ex vetuſtate ejus ædis putant illam, priuſquam Romulus Urbem conderet, conſtructam, quæ tamen delibaſſe juvet, quum horum nihil certi compertum habeam.

Idibus ſextilibus Dianæ feriæ erant & ſacra. Diximus Cap. 13. hoc die fœminas Latinas, & Romanas voti compotes, ab Aricia ardentes faces in Aricinum Nemus, ubi religioſiſſime colebatur Diana, tuliſſe, cujus moris meminerunt Curtius Symphorianus de Hort. lib. 4. cap. 15. & Gyraldus Syntagm. 4. Nunc addimus & Venatores idipſum feciſſe, & canes ſuos, morbo, aut ſcabie affectos, infulis velatos, Deæ devoviſſe; credentes enim Dianam venationibus præeſſe, ſuiſque feriis ipſam etiam feriari, idcirco hoc die emeritos canes quietos à venatione, & immunes eſſe ſinebant ex Turnebo lib. 7. adverſ. cap. 26. ubi hæc Gratii priſci Poëtæ de venatione carmina exponit:

Spicataſque faces ſacrum ad Nemorale Dianæ
Siſtimus, & ſolito Catuli velantur honore,
Ipſaque per flores medio in diſcrimine luci
Stravere arma ſacris, & pace vacantia feſta.

Quo vero die Latini populi convenirent ad Templum Dianæ in Aventino ibique ſacrum commune cum Romanis facerent, & ferias ſolem-

ſolemnes, de quibus Cap. 8. dictum eſt, non liquet, ſed veroſimile eſt hoc menſe, & fortaſſe jis Idibus id feſtum peractum. Id mihi arridet, quum enim Dionyſius lib. 2. memoret Servium Tullum has ferias pro Latinis populis inſtituiſſe, rituſque quotannis ſtata die conſtituiſſe, ſcriptis in Columna ænea fa deris Latini legibus, & diem taceat, ſuſpicor has ferias intermiſſas, poſt quam Latini Templum Jovis Latialis in Albano monte, & ferias Latinas ex Tarquinii Superbi inſtituto frequentare ceperunt uti Cap. 8. retulimus, unde factum eſt diem à Latinis populis Dianæ ſacratum in faſtis omiſſum. At quoniam ſcribunt Idibus prædictis ſervas omnes, ac ſervos Romæ diem feſtum egiſſe, uxores autem capita purgare, & lavare conſueviſſe uſque ad Plutarchi ætatem teſtimonio ejuſdem Problem. cap. 100., hinc arbitror ex eodem Plutarcho argui poſſe Servium Regem, qui id Templum in Aventino condidit, Latinaſque ferias inſtituit, & Dianæ priſco Latinorum Numini, dicavit, laudatas Idus pro feſti celebritate ſtatuiſſe. Quippe Plutarchus ait, ſervos, ac ſervas ſolemnia celebraſſe, quod fama eſſet Servium his Idibus ſerva Matre natum, unde veriſimile eſt, eundem ferias Dianæ ſolemnes, indictas eo animo ſervandi pacem inter Romanum, & Latinum populum, ſtatuiſſe die ſuo natali, & quo Latium univerſum Dianæ ſacra etiam tunc percolebat. Quamobrem ex jam dictis, & opinione Romanorum, qui poſt tot ætates Plutarchi ævo credebant, ſolemnitatem illam ad Servium Tullum Regem referendam, puto potius apparuiſſe reliquias ejus feſti, quod Servius pro Latina Gente in Aventino inſtituit.

Porrò & Portumnalia decimoſexto Calendas Sextiles fuiſſe dicunt: Feriæ hæc erant Portumno Portuum, & marino Deo ſacræ, quas à Latinis in Romanos propagatas fuiſſe non ambigimus; ſiquidem Cap. 13. ſatis probatum eſt Portumni, ſeu Melicertæ, aut Palæmonis, qui idem Deus eſt, cæremonias, & ſacrorum ritus Arcades in Latium invexiſſe, ſi Ovidio, Dionyſio, aliiſque ibidem adductis fides præſtanda eſt, quo fit fruſtra Varronem lib. 5. de Lingua Latina, hunc diem feſtum indictum prodere, quod eo die ædes Portumni in Tiberino facta eſſet, nam, uti ſepe diximus, initiis Romanæ gentis conſueverunt Diis conſecrari templa jis diebus, quibus Latini eorum feſta agebant. Inde factum eſſe ajunt Romanos, omnes ferè Latinorum

ritus,

Digitized by Google

ritus, & feſtas ſolemnitates obumbraſſe, Regibuſque, aut Conſulibus ſuis attribuiſſe. Hujus ſacri ritum eleganter exponit Statius lib. 6. Thebaid. poſt principium his verſibus:

Mox circum triſtes ſervata Palæmonis aras
Nigra ſuperſtitio, quotiens animoſa reſumit
Leucothoe gemitus, & amica ad littora feſta
Tempeſtate venit: planctu conclamat uterque
Iſthmos, Echioniæ reſponſant flebile Thebæ.

Ubi Luctatius interpres addit ejus Numinis ædes circumcluſas fuiſſe pinearum arborum luco, & Sacerdotes ſuper nigra ara ſacrificaſſe, gemituſque & planctus in ſacris ipſis exauditos, ut imitarentur Inon Dei Matrem, quæ ut Athamantis viri furori occurreret, in mare cum Palæmone filio ſe præcipitavit.

Decimoquarto Calendas Septembres *Vinalia* erant: Jovi dies hæc ſacra fertur, qua Latini recolebant memoriam ejus voti, quo Æneas, vel Aſcanius adverſus Mezentium pugnans vinum omne ejus anni Jovi ſacravit uti fuſius patuit ex relatis Cap. 5. & 16.. Sequebantur *Conſualia*, quæ in diem decimumſecundum Calendas Septembres incidebant. Ea quoque feſta Romani Scriptores confundunt, ut hanc laudem Romulo concedant, quum manifeſte liqueat Arcades in Latio has celebritates inſtituiſſe, & Conſo, ſeu Neptuno Equeſtri eo loci, quo Romani ſemper hoc ipſo die ſacrificarunt, aram condidiſſe. Hæc feſta celebrata prodit Plutarchus in Romulo decimoquinto Calendas Septembres; Servius ad lib. 8. Æneidos menſe Martio, Aſconius Pædianus in Ciceronem 1. & 2. contra Verrem, die, quo Laribus ſacra facta ſunt. Ego palam eſſe arbitror duodecimo Calendas Septembres ea peracta fuiſſe ex Calendario, Roſino lib. 4. cap. 12., & Ovidii Commentatoribus in lib. 3. Faſtorum ad ea carmina:

Feſta para Conſo, Conſus tibi cætera dicet
Illo feſta die, dum ſua ſacra canes.

Id Numen, eaſque celebritates eodem die Arcades Evandro duce primum inſtituiſſe prodit Dionyſius lib. 1., qui deſcribens ſacra ab Evandro, & Arcadibus in Latio facta: *Quin*, inquit, *& Neptuno Hippio aram aſſignarunt, & feſtum inſtituerunt, Hippocratia dictum*

ſtum Arcadibus, Romanis vero Conſualia, per quod apud Romanos ex more immunes ab operibus ſunt equi, & muli, coronanturque floribus: ubi Euſtathius, & alii Scholiaſtes idem referunt, & affirmat Plutarchus in Romulo, qui quamvis Romulum ejus ſolemnitatis auctorem facere ſtudeat, fatetur tamen Romulum ſimulaſſe aram Conſi ſub terra occultam, in Circo Maximo ſe reperiſſe: en ejus verba: *Romulus ſparſerat rumorem reperiſſe ſe aram cujuſdam Dei ſub terra occultam: Dei nomen Conſus fuit, ſive quod in conſultando juuaret, ſicuti Latinis eſt Conſilium, & Conſul, ſive is Neptunus Equeſtris eſt, nam ara Conſi in Circo maiori reliquo tempore latens, Circenſibus ludis apparet, ſive quod alii aſſerunt abdito conſilio, arcanoque: haud inconvenienter ſubterranea Deo ei ara tribuitur: ea ergo ara prolata, ſacrificium ejus nomine ſplendidum, & ludos, & ſpectaculum publicum edidit, convocatis ad hoc finitimis.*

Ex his liquet eam aram Romuli ætate venerationi expoſitam; quippe haud potuiſſet Romulus rem apertiſſimam ſimulare, & finitimos Populos ad celebritatem illam convocare, ſi ea feſta eum Deum, eoſque ludos jam Latini Sabinique non habuiſſent. Quoniam vero jam ea ſolemnia vetuſtiſſima erant, ipſoque die ab Arcadibus inſtituta, & populi ea agere conſueverant, propterea Romulus gnarus frequentiæ finitimorum, qui ad eam aram devoti concurrebant, occaſione ſumpta, Sabinas, & Latinas mulieres dato ſigno rapuit. Cæterum fundator Urbis græcanico more, & Numini Arcadico in ara ab Arcadibus conſtructa, equeſtres ludos peragere non valuiſſet, ſi tum Numen, Ara, & feſtum Latinæ, & Sabinæ genti ignota fuiſſent. Id ipſum conſtat ex Trojanorum uſu, qui præcipue colebant Neptunum, & Apollinem, Trojæ muros ab iis conſtructos putantes. Quin Nigidius, & Labeo in libris, quos ſcripſerunt de Diis Penatibus, Æneam in Latium Neptuni, & Apollinis cultum invexiſſe, tradiderunt, quærentes an ii eſſent Penates, ut videre eſt apud Macrobium Saturnal. lib. 3. cap. 4. Ejus rei cauſa ſunt qui exiſtiment Trojanos apud hanc aram ludos Equeſtres, quos Trojam dixerunt, & Aſcanius Albæ primum feciſſe ajunt, agitaſſe, vt notat Tomaſinus de Donar. cap. 31.; Erat enim Neptunus Saturni, & Opis filius

filius ex Lactantio lib. 1. cap. 14., & ſic apud Latinos priſcos venerabile numen. Hunc Deum Dionyſius terræ Quaſſatorem, & Hippium dictum refert. Divus Auguſtinus de Civit. Dei lib. 4. cap. 2. conſilia, & ſententias inſpiraſſe ait, & ob hanc rem Conſum appellatum. Pauſanias in Arcadicis apud Phenæos Arcadiæ populos Equeſtrem Neptunum, qui idem eſt, ac Hippius, cultum prodit, & ita deſcribit: *Neptuni cognomine Equeſtris in ære ſimulacrum Ulyſſem dicaſſe ajunt, cum enim equas perdidiſſet, & eas quærens totam Græciam peragraſſet, poſtremo quo loco eas reperit, ibi Dianæ Templum, quam Eurippen cognominavit, addito Equeſtris Neptuni ſigno erexiſſe*: At fides ejus cauſæ, quam Pauſanias ſubjicit nutat, ſi Feſtum ſequamur, is namque lib. 8. ſic ait: *Hippius ideſt Equeſter Neptunus dictus eſt, vel quod Pegaſus ex eo, & Pegaſide natus ſit, vel quod equuleus, ut putant loco ejus, ſuppoſitus Saturno fuerit, quem pro Neptuno devoraret, vel quod Tridentis ictu terra equum excierit, cui ob hoc in Illyrico quaternos equos jaciebant nono quoque anno in mare*, cui conſentit Virgilius lib. 1. Georgic.

. . . . tuque ò cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percuſſa Tridenti.
Neptune . . . .

ubi Servius, & Donatus idipſum affirmant, & præcæteris Valerius Probus: *Campi*, inquit, *in Theſſalia ſunt Petræi, in quibus locus, Petra nomine, percuſſus Tridente Neptuni, equum, qui Scyphius vocatus eſt, edidit, Romani autem Neptunum Equeſtrem vocant, Græci Hippium, quod exiſtimetur Princeps originis equorum*: Hæc Probus hauſiſſe videtur ex Pindaro Pyth. Ode 4. ubi vetus Interpres ita ſcribit: *Ferunt etiam & in honorem Neptuni Petræi ludos inſtitutos in eodem loco, ubi è terra primus equus exiliit*: & paulò antè: *Super Petra quadam dormiens Neptunus emiſit ſemen, quo accepto terra primum equum fudit quem vocavere Scyphium*; ſed aliter fabulatur idem Pauſanias in Achaicis, ſcribens Neptunum in equum converſum compreſſiſſe Cererem, & ob id equeſtrem nuncupatum, ſeu quod is equitationis inventor fuerit.

Sunt qui dicant, eam aram ſubterraneam, quæ in Circo erat, Genio cuidam poſitam occultorum conſiliorum ſervatori, & Præſidi,

ſidi, cujus nomen proferre nefas erat, ludoſque ei peractos ex Dionyſio lib. 2. Alii Conſo, ideſt Neptuno Larium Regi, & rerum conditarum, Diiſque Magnis, ideſt Laribus Urbis Romæ ex Aſconio Pædiano in primam Tullii contra Verrem: qui vetus Grammaticus allucinatus fortaſſe eſt, quod apud eam aram hujuſmodi epigraphen vidiſſet:

CONSVS CONSILIO
MARS DVELLO
LARES COMITIO POTENTES

Quam Tertullianus lib. de Spectacul. fuiſſe eo loco ſcribit: quæ quidem longè poſt Romulum poſita, ut patet ex verbis Tertulliani infra referendis, indicabat Conſum, Martem, & Lares Urbis Romæ Præſides, diſtincta numina fuiſſe. Quidquid tamen dicant prædicti, clarum eſt Aram hanc vetuſtiſſimam Conſo, ideſt Neptuno Equeſtri dicatam ex Livio lib. 1., Dionyſio lib. 1. & 2., Plutarcho in Romulo, & Varrone lib. 4. de Lingua Latina, ubi *Conſualia*, ait, *dicta à Conſo, quod tum feriæ publicæ ei Deo, & in Circo ad aram ejus à Sacerdotibus fiunt ludi illi, quibus Virgines Sabinæ raptæ*. Ex his verbis colligitur ejus feſti, & ludorum vetuſtas, quod & Tertulliano lib. de Spectacul. arridet, is enim ſic ſcribit: *Exinde ludi Conſualia dicti, quibus initio Neptunum honorabant, eundem enim & Conſum vocabant*: Et paulò poſt: *Et nunc Ara Conſo illi in Circo defoſſa eſt ad primas metas ſub terra cum inſcriptione hujuſmodi: Conſus Conſilio: Mars Duello: Lares Comitio Potentes: Sacrificant apud eam Nonis Juniis Sacerdotes publici; Duodecimo Calendas Septembres Flamen Quirinalis, & Virgines*: Quare bis in anno apud hanc aram ſacrificatum, & hoc die, quo ludi celebrabantur Flamen Quirinalis, Romuli ſacris aſſignatus, & Veſtales Virgines Conſo ſacrificia offerebant, quod nemo antiquorum advertit, & mihi ſuadet id factum, quod Trojani, & Albani, qui ſolemnioribus Sacris Veſtales adhibebant, eum ritum his ſacris addidiſſent.

Hactenus de hujuſmodi Feſti priſca inſtitutione; nunc ad ludorum pompam progrediamur. Irridendi mihi videntur ii, qui autu-

mant Romulum Circenſium pompam hiſce ludis, qui ob hanc rem magni dicti ſunt exhibuiſſe, magniſque impenſis eos feciſſe, ac Soli dicaſſe, ut tradunt Aſconius Pædianus, Cedrenus & alii. Hi ſane delirant, nam res pauperes tunc Romulus habebat, ludoſque celebravit, uti Latini, & Albani eos facere conſueverant. Id habemus ex Livio lib. 1.: *Indici finitimis ſpectaculum jubet, quantoque apparatu tunc ſciebant, aut poterant, concelebrant*. Dionyſio lib. 2. *Dimiſſis circum finitimas Urbes qui invitarent ad conventum, & certamina, quæ tunc inſtarent cum virorum, tum equorum varia*, & infra: *Peractiſque ſacris Neptuni, & certaminibus, extrema ludorum die, cum jam ſolvenda eſſet celebritas, mandat Juvenibus, dato ſigno, ut raperent Virgines*: Ludi ergo non uno, ſed pluribus diebus acti fuerunt eo etiam apparatu, quo ſimplex, & agreſtis pompa exhibebatur. Sed ætas poſterior curam auxit opibus, ludoſque tales fecit, ut grande opus, orbiſque miraculum moliretur; quandoquidem apparet Romulum Equeſtres ludos Neptuno dediſſe, & Trojam Albanorum more exhibuiſſe ex Tertulliano de Spectaculis. Poſtmodum vero Circenſes in Circo, Naumachias, Curruum concurſus, Venationes, & Obeliſcos Roma potens adſtruxit, unde Conſualium nomine obliterato, hæc ſacra ludi magni Circenſes dicta ſunt, quod magnis ſumptibus fuerint inſtituta, uti patet ex D. Cypriano libro quem adverſus Idola ſcripſit, Iſidoro Originum libro cap. 18.: Tertulliano, & aliis.

Feſtus lib. 11. Mulis olim celebratos hos ludos prodit his verbis: *Mulis celebrantur ludi in Circo maximo, Conſualibus, quia id genus quadrupedum primum putatur captum Currui, vehiculoque adjungi*, quod præter Feſtum nemo, quod ſciam docuit, licet Alexander Genial. lib. 5. cap. 26. ſcribat Romuli ætate in Conſi ludicro mulum immolatum, non autem equorum, & mulorum curſum agitatum, uti placet Feſto: cujus tamen opinioni conſentire videtur illud, quod quum Arcades id feſtum, & ludicrum in Latium aſportaſſent, & Lunæ devoti eſſent, ſicuti Cap. 4. diximus, facile eſt illos mulorum curſum agitaſſe, quod crederent mulum vehiculo Lunæ adhibitum, uti idem Feſtus lib. 11. ſubjicit, & vetus Interpres ejuſdem explicat. At viri docti Alexandri ſententiæ adhærent; nam Arcades,

cades, & Græci omnes Equeſtres hos ludos dixerunt, quod equorum curſu celebrarentur, idque innuit mos Latinorum qui Trojam eo feſto luſerunt, eos enim ludos turma duplex majorum, minorumque puerorum nobilium equitantium, & curribus etiam, bigis, quadrigiſque certantium agitabat ante Romulum, ut dictum, licet non deſint qui falſo referant Romulum currus primum reperiſſe. Id ipſum probat ritus Romanorum, qui Conſualibus curſus equorum junctorum, & non junctorum egerunt, ut notat Gyraldus de Diis Gent. ſintagm. 5., qui addit ignea ſacrificia facta, & Ara ſubterranea id numen cultum, tanquam terræ quaſſatorem ex Dionyſio lib. 2., & Plutarcho Problem. cap. 47. ubi hæc ſubdit: *Quid eſt, quod Conſualibus equos, & aſinos coronis exornant, & ociari ſinunt? An quod Neptuno Equeſtri, diem feſtum agunt, aſinus autem propter equum pari fruitur licentia? An illud potius quod inſtituta navigatione, quum multa navibus veherentur, ocium quoddam, & remiſſio jumentis data eſt*: Hinc comperimus, eum ritum coronandi his feſtis equos, & aſinos vetuſtiſſimum fuiſſe, & ab Arcadibus derivatum ex Dionyſio lib. 1.

Huic quoque Deo menſe Quintili, ideſt decimo Calendas Sextiles, feriæ Neptunalia dictæ, ſacræ fuerunt ex Calendario, & Varrone lib. 5. de Lingua Latina, & quum terra tremuiſſet apud ejus Dei ædes, quæ communes erant Terræ, (ea enim & Numen credebatur), ſupplicationes decernebantur, & feriæ indicebantur, ſacra autem peragebantur incerto Numini, quamvis enim putarent Neptunum eſſe Terræ quaſſatorem, uti diximus, & canit Virgilius lib. 2. Æneidos.

Neptunus muros, magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit.

Attamen quum certum eſſet terræ aliam, aliam maris poteſtatem eſſe, & tamen in terræ motibus multum virium, cauſarumque aquam habere, nomen Numinis placandi ſilebant, ne unum pro alio nominantes, falſa religione populum devincirent ex Æliano Var. Hiſtor. lib. 6. cap. 76. Platone in Philœbo, Clemente Alexandrino lib. 5. Stromat., Aulo Gellio lib. 2. cap. 28.: ex quibus palàm fit irriſu dignos, qui populo ſubblandientes certas cauſas naturales terræ motui aſſignant.

gnant. Ego ſane cum hæc ſcriberem, anno ſcilicet MDCCIII. Regnante Sanctiſſimo Domino Noſtro CLEMENTE XI., quo Urbs, & finitima Oppida magno Terræ motu die 14. Januarii concuſſa ſunt, & majori etiam die 2. Februarii, ita ut Civitates Nurſia, & Aquila, & Oppidula his proxima penitus everſa, & immanis facta Civium ſtrages, dirumque Provinciarum excidium; quaſſatum quoque Spoletum; ridebam eos, qui ſcriptis mandarunt ejus rei cauſam, & rationem motus hujuſmodi, aut aſtris, aut imbribus, ſeu ſubterraneis ventis tribuentes; immo dies certos ſimilis futuri periculi, & tempus, quo illud amplius timeri non poſſet, adſignabant, quaſi certam reperiſſent motus originem, quæ Romanos, Græcoſque ſemper latuit, nam ii, ut dictum eſt ad Numinum iram cauſam referentes, dum curarent ſacrificiis, & feriis ea placare, neminem jis ſacris inuocabant, quod inter Deorum turbam neminem inveniſſent, qui ejus rei certus auctor eſſet, vel qui elemento, aut materiei, ex qua motus illi generantur, præſideret. Sic Sanctiſſimus Pontifex Urbi, & Provinciis, Italiæque univerſæ, precibus, & lacrymis conſuluit, & effuſis Eccleſiæ Theſauris, miſſiſque viris circumquaque, qui ad pœnitentiam Fideles excitarent, dictatis etiam exemplo Divi Gregorii Magni, quibuſdam precibus, quas Sacerdotes inter Miſſarum ſolemnia recitarent, aliiſque quas ſtata hora cujuslibet noctis, qua primum populus id periculum euaſit, pronunciaret, Deum, qui certus auctor hujuſmodi motus eſt, placare ſtuduit. Satis de Conſualibus tractavimus, nunc ad Vulcanalia progrediamur.

Decimo Calendas ſextiles feriæ Vulcano Deo dicatæ erant ex Calendario, & Varrone lib. 5. de Ling. Latin. ubi ſic ait: *Volcanalia à Volcano, quod ei tum feriæ, & quod eo die populus pro ſe in ignem animalia mittit*: quod & tradunt Gyraldus de Diis Gent. ſintag. 13. & alii, quo fit antiquos ut placarent Vulcanum, quem ignis auctorem, quin & eundem ignem, putabant, jis feriis in ejus honorem inſtitutis, animalia miſiſſe in ignem, ut Deus illis contentus, populum immunem ab eo periculo faceret. Has ferias vetuſtiſſimas apud Latinos opinamur. Quandoquidem id Numen, & feſtum longe ante Romam conditam Latinos, Sabinoſque habuiſſe legimus. Nam Præneſtini antiqui Latii accolæ Vulcani ſacra quotannis faciebant, cum-

eumque jactabant parentem Cæculi Urbis fundatoris;hujus rei meminit Virgilius lib.7. Æneidos ſic canens:

Nec Præneſtinæ fundator defuit Urbis
Vulcano genitus, pecora inter agreſtia Regem
Inventumque focis, omnis quem credidit ætas
Cæculus . . . .

& iterum lib. 10.

Inſtaurant acies Vulcani ſtirpe creatus
Cæculus &c.

cui conſentiunt Feſtus, & Solinus cap.8. Polyhiſtor. qui ſubdit id fuiſſe in Faſtis Præneſtinorum notatum, immo Servius ad lib. 7. totam fabulam narrat his verbis: *Præneſte Pontifices erant, & Dii Indigetes, ſicuti etiam Romæ; erant etiam duo fratres, qui Divi appellabantur: Horum ſoror, dum ad focum ſederet, deſiliens ſcintilla ejus uterum percuſſit, inde dicitur concepiſſe. Poſtea enixa, puerum juxta templum Jovis abiecit, quem Virgines aquatum euntes, juxta ignem inventum ſuſtulerunt, qui haud longe à fonte erat, unde Vulcani dictus eſt filius. Cæculus autem ideo, quia oculis minoribus fuit, quam rem frequenter effecit fumus: Hic poſt quam diù latrocinatus eſt, collecta multitudine, Præneſtinam Civitatem in montibus condidit, & quum ad ludos inuitaſſet vicinos populos, cæpit eos hortari, ut ſecum habitarent, & pro gloria jactare ſe filium eſſe Vulcani, quod quum illi non crederent, invocato Vulcano, ut eum filium comprobaret, omnis illius multitudinis cætus eſt flamma circumdatus, quo facto commoti omnes, ſimul habitaverunt, & Vulcani filium eſſe crediderunt:* Et licet plures ſint, qui alios Præneſte conditores aſſerant, negari tamen haud poteſt ob eam famam in faſtis Præneſtinorum deſcriptam, eos populos, qui vetuſtiſſimi Latinorum habiti ſunt, Vulcano devotos fuiſſe, ejuſque feſta agitaſſe.

Præterea ipſi Trojani, & Æneæ ſucceſſores id Numen in Latium invexerunt; produnt enim Venerem Matrem Æneæ, Vulcani conjugem fuiſſe; quamobrem Virgilius lib. 8. Æneidos effingit Venerem Vulcanum maritum ſuum advocaſſe, ut juvaret Æneam cum Rutulis, vel Laurentibus dimicantem, ita namque is pergit:

At

At Venus haud animo nequicquam exterrita Mater
Laurentumque minis, & duro mota tumultu,
Vulcanum alloquitur: thalamoque hæc Conjugis aureo
Incipit, & dictis divinum aſpirat amorem.

Ubi Servius notat, Vulcanum fuiſſe virum Veneris, Martem vero, & Anchiſen adulteros, ſed Martem gratum Vulcano etiam poſt adulterium, quod illud ignorans, ſeu diſſimulans, arma pro eo fabricaſſe conſtet, quamvis lib. 6. Æneid. pag. 398. referat fabulam Græcorum, qui narrabant indicato à Sole adulterio Martis, & Veneris, Vulcanum minutiſſimis catenis lectulum cinxiſſe, quibus Mars, & Venus ignorantes implicati, & cum ingenti turpitudine reſoluti ſunt ſub teſtimonio cunctorum Deorum, quamobrem Donatus, & Phurnutus locis jam adductis autumant, Æneam, & Trojanos id Numen in Latium aſportaſſe. Quin Cincius, & Piſo contendunt Tuſculanos, ſeu alios priſcos Latii populos Vulcani uxorem Majam, ſeu Majeſtam dictam, coluiſſe, ut videre eſt apud Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 12.

Ergo ex his patet cultum Vulcani, & feſtum Latinis vetuſtiſſimum fuiſſe, Sabinis etiam, quum referant Titum Tatium, qui cum Romulo regnavit, Romæ ædem Vulcani Sabinorum Numinis poſuiſſe ex Dionyſio lib. 2., ejuſque Interprete Euſtathio: Varrone lib. 4. & 5. de Lingua Latina, Divo Auguſtino de Civitate Dei lib. 7. cap. 16. & aliis, quod Templum Plutarchus Problem. cap. 48. aliis 47. falſo aſſerit Romulum extra Urbem conſtituiſſe propter Vulcani ſuſpicionem adverſus Martem de Venere, juxta fabulam, quam retulimus, cujus rei cauſſa fortaſſe Lemnii, qui Vulcanum colebant, quod apud eos enutritus foret, Venerem, quod Marti ſe miſcuiſſet, velut adulteram adeo contemſerunt, ut nemo illi ſacrum faceret, ex Alexandro Genial. lib. 2. cap. 14.

Hoc die fortaſſe ſacrificium factum eſt quod vocabatur apud veteres *Protervia*. In eo mos erat, ut ſi quid epulis ſacris, & victima Vulcano mactata, ſuperfuiſſet, igne conſumeretur, ut produnt ſcriptores apud eundem Alexandrum lib. 3. cap. 12., unde lumen Varroni ſupra relato, is enim ſcribit populum his feriis animalia pro ſe in ignem miſiſſe, quibus verbis plures victimas immolatas Vulcano Varro commemorat, & in ignem conjectas.

Ex

Ex Calendario ruſtico,quod Goltzius,Gyraldus,Georgius Fabricius, & alii referunt patet VI. Idus Sextiles in Colle Quirinali feſtum Solis Indigetis celebratum fuiſſe. Quinam vero is Deus eſſet, mihi, & prædictis, non liquet, neque Roſino lib. 4. cap. 12. ad finem, qui etiam de eo Calendario dubitat; Verumtamen ex titulo feſti habes ea ſacra haud facta Soli, ſed alicui Regi Latinorum priſcorum, qui ex hominibus in Deorum numerum relati ſunt; Indigetes enim Deos tales fuiſſe diximus Capite 18.; unde Æneas, Hercules, Evander, Liber, Æſculapius, Caſtor, & Pollux, Faunus etiam, Latinus Aſcanius, Picus, Tiberinus, & his ſimiles Indigetes Dii à Latinis priſcis dicti ſunt ex Voſſio,qui veteres refert lib. 1.de Idololatr.cap.12. & ex aliis relatis Capite 18.; quapropter, ſicuti conſtat Æneam Jovem Indigetem dictum, ita contigiſſe arbitror, aliquem ex prædictis, Solem Indigetem nuncupatum; at ex Colle, in quo id ſacrum fieri conſuevit, Quirinali ſcilicet, ſuſpicor feſtum peractum Romulo fortaſſe ſub cognomento Solis Indigetis, de quo tamen nil certi dicere poſſum.

CAPUT XXI.

De menſe Septembri, ejuſque diebus Feſtis.

HOc menſe ſacrificia Vulcano iterum oblata fuiſſe comperimus, tanquam marito Veneris, & affinitate juncto Æneæ, ut ſuperiori Capite diximus. Hinc factum eſſe ajunt hoc ipſo menſe, ideſt Decimo Calendas Octobres Veneris Genitricis ferias inſtitutas; quandoquidem licet Latini Aprilem Veneri ſacraſſent, tamen fragmentum Faſtorum effoſſum Romæ ſub Colle hortulorum notato die ferias Veneri Genitrici factas exhibet, ita enim in illo legitur: *V. Kal. Octob. Veneri Genitrici in Foro Cæſaris*: quo vero tempore hæ feriæ inſtitutæ ſint, Calendarium ipſum innuit, dum in eo notatur, *in foro Cæſaris*, Veneri ſacra facta. Ferunt quippè Cæſarem jactantem ſe ex Æneæ, & Veneris progenie ortum, ante pugnam Pharſalicam, Templum Veneri Genitrici voviſſe, & potitum victoria, in foro ſuo poſuiſſe,

ſuiſſe, eique ſpolia dedicaſſe, nempe Thoracem de Margaritis Britannicis. In eo quoque Statuam Deæ collocauit nondum plene ab Artifice abſolutam: Auguſtus itidem Statuam æneam Cæſari Divo cum Stella crinita ſupra caput ipſius fulgente, quod ejuſmodi poſt mortem ejus, Stella viſa eſſet: id habes ex Dione lib.43., Appiano lib.2. Bellor. Civil.; ergo ſi in Foro Cæſaris hæ ſolemnitates eo die peragebantur, intelligitur eas agitatas in æde ſacra Veneri Genitrici, in Foro ſuo à Cæſare dicata. At non deſunt qui prodant has ferias Veneri Genitrici ſacratas ab Ænea, Lavinienſibus, & Albanis primum religioſas fuiſſe. Etenim alibi diximus ex Macrobio Saturnal. lib.1. cap.12., & aliis, Sacerdotes Venerem in ſacris longè ante Cæſarem, quin ab exordio Romanæ gentis Genitricem indigitaſſe; Albanos quoque, & Lavinienſes Veneri Genitrici ædes ſacras locaſſe, quod genuiſſet Æneam, Latinæ, & Romanæ gentis auctorem. Itaque feſti ritus, & titulus fruſtrà Cæſari tribuitur, quum is Latinis priſcis ſolemnis extiterit, unde Ennius vetuſtiſſimus Romanarum rerum Scriptor lib.1. Annalium, ut probaret Romanos ab Albanis ortos, & Albanos, Latinoſque cæteros, Veneris, & Anchiſis prolem eſſe, ſic canit:

Atque Anchiſes doctus, Venus quem pulchra Dearum
Fari donavit, divinum pectus habere.

& paulò poſt:

Te nunc ſancta precor Venus & genitrix
Patris noſtrei.

quibus verſibus Ennius palàm fecit opinionem antiquorum Romanorum, quod Venus, Anchiſes, & Æneas generis ſui auctores eſſent, unde Rutilius Numatianus ait:

Auctorem generis Venerem, Martemque fatemur
Romuleumque patrem.

& Lucretius lib.1.

Æneadum genitrix, hominum, Divumque voluptas.

Hinc deducitur Latinos Anchiſem inter Indigetes Deos numeraſſe teſtimonio Dionyſii lib.1., & Ennii loco quo ſupra: quin eundem Augurem feciſſe, & id muneris aſſequutum, quum propè Simoëntis fluenta cum Venere concubuiſſet, ut innuit idem Ennius, qui

qui eum *doctum*, *&* *fandi*, ideſt vaticinandi donum à Venere accepiſſe ait, quod & Næuius lib. 3. Belli Punici ſcribit:

Poſtquam auim adſpexit
Templo Anchiſes, ſacra in
Menſa Penatium ordine
Ponuntur: immolabat
Auream victimam pulcram.

Et Virgilius lib. 2. Æneidos, ubi augurantem Anchiſen facit his verſibus:

Jam jam nulla mora eſt, ſequor, & quo ducitis adſum
Veſtrum hoc augurium.

De quibus plenè diſſerit Hieronymus Columna Scholiaſtes Ennij lib. 1. pag. 51. 52. & 92.

Sunt etiam qui referunt apud Laurentum, ſeu Lauinium Venerem Genitricem Equitantem cultam, Equeſtrem quoque appellatam, narrantes Æneam poſt longæ navigationis tædia littori Laurentino redditum, equum conſcendentem, Matrem Venerem tali effigie coluiſſe. ex Ligorio in MSS. Otthobonianis verbo *Venus*; qui tamen Albæ id ſimulacrum ab Aſcanio translatum, & in æde Veneris poſitum tradit; & ex Tomaſino de Donar. cap. 31. ad finem: quibus & alludere videtur Servius relatus cap. 16. Id ipſum probat mos priſcus Latinorum qui menſe Aprili feſta Veneris percolebant floribus, & myrto ſicuti dictum eſt Cap. 16. In ſacris autem Veneris Genetricis columbam immolabant, quod Deæ ea avis ſacra eſſet propter frequentem fætum, & coitum; ut auctor eſt Virgilius lib. 6. Æneid. qui de Ænea loquens ita ait:

Vix ea fatus erat, geminæ quum forte Columbæ
Ipſa ſub ora Viri cælo venere volantes
Et viridi ſedere ſolo, tum maximus heros
Maternas agnoſcit aves, lætuſque precatur:
Eſte duces, ò ſi qua via eſt, curſumque per auras
Dirigite in lucos, ubi pinguem diues opacat
Ramus humum, tuque ò dubiis ne deſice rebus
Alma parens.

Ad quæ Servius, & Donatus id referunt: Martialis etiam lib. 13. Epig. 66.

Ne violes teneras praeduro dente Columbas,
Tradita ſed Gnidiae ſint tibi ſacra Deae.

Tomaſinus de Donar. cap. 16. exhibet vetuſtum Cippum Eborae effoſſum cum hac Epigraphe.

DIVO IVLIO
LIB. IVL. EBORA
OB ILLIVS IMMVN. ET MVN
LIBERALITATEM
EX D. D. D
QVOIVS DEDICATIONE
VENERI GENETRICI
CESTVM MATRONAE
DONVM TVLERVNT

Unde patet Matronas in dedicatione aedis Veneris Genitricis Eborae ad ſimilitudinem ejus, quam Julius Caſar Romae voverat, conſtructae, Ceſtum dicaſſe, qui ſane erat Amoris cingulus ex Martiali:

Ut Martis revocetur amor, ſummique Tonantis
A te Juno peto Ceſton, & ipſa Venus.

Ergo ex his patuit Latinos longe ante Caeſarem Veneri Genitrici aedes ſacraſſe. An vero ii Populi die ſupra notato ferias concelebraverint, ſeu potius eas in dedicatione Templi Caeſar inſtituerit, mihi non liquet.

Sunt qui in veteri ruſtico Calendario notant die ultimo Septembris, ideſt pridie Calendas Octobres *Meditrinalia*, quae Roſinus lib.4.cap.14., & alii quinto Idus Octobris fuiſſe ſcribunt. Id diſſidium componere ſatagit Dauid Origanus Clacenſis libro, cui titulus *Ephemerides Brandeburgicae*, ubi vetus ruſticum Calendarium ſequitur, & probat in Urbe Roma fortaſse Quinto Idus Octobres Meditrinalia celebrata, à forenſibus vero die ultimo Septembris. Quidquid de hoc ſit, id pro certo habeo haec feſta à Latinis priſcis in Romanos propagata teſtimonio Feſti lib.11. *Meditrinalia*, is inquit, *dicta hac de cauſa: Mos erat Latinis Populis quo die quis primum guſtaret muſtum, dicere ominis gratia: vetus novum bibo, veteri novo morbo medeor:*

medeor: à quibus verbis etiam Meditrinæ Deæ nomen ceptum, ejuſque ſacra Meditrinalia dicta ſunt; unde apparet Meditrinam Deam à Latinis dictam à medendo, & hunc diem ei Deæ aſſignatum, quod vinum novum guſtantes putarent à veteribus morbis immunes eſſe, ut ex Varrone lib. 3. de Lingua Latina eruitur: *Meditrinalia*, inquit, *dies dictus à medendo, quod ut Flaccus Flamen Martialis dicebat hoc die ſolitum vinum novum, & vetus libari, & deguſtari medicamenti cauſa, quod facere ſolent etiam nunc multi, quum dicunt: Novum vetus vinum bibo, novo veteri morbo medeor*. Hoc itaque die Latini priſci agitarunt ferias Meditrinæ dicatas, cui quum Sacerdos vino novo, & veteri libaret, hæc pronunciabat: *Novum vetus vinum bibo, novo veteri morbo medeor*, quo facto ſinguli Patres familias id ipſum in privatis ædibus agebant. Hinc ſcimus die ultimo Septembris conſueviſſe Latinos priſcos, uti nunc ſuperſtitioſe ſervant, vindemiam cogere, muſtumque novum guſtare. Eum morem hos populos à Græcis Latii accolis traxiſſe dilucidum eſt, illi enim eo die celebrabant Neoinian, quo feſto novum deguſtabant vinum, illudque Diis offerebant, ut notat Dacerius in Feſtum. Alexander Genial. lib. 6. cap. 8. de hoc feſto ita loquitur: *Fuitque veteri lege ſancitum, ut Flamen Martialis diceret diem veteri vino libando medicaminis cauſſa. Inde uſurpatum verbum: Novum vetus vinum bibo, novo veteri morbo medeor: unde Meditrinæ nomen Deæ, cujus ſacra Meditrinalia, & dies Meditrinalis. Sicuti ad primitias Pomorum, nova eſſe dicebant vetera, & alia exoptabant nova ominis cauſſa*. Unde id carpſerit Alexander ignotum eſt, nam Varro, qui Meditrinalium meminit, Flaccum Flaminem Martialem ritum hujus feſti referentem adducit; quamobrem facile eſt Alexandrum haud recte legiſſe, & putaſſe Varronem prodidiſſe Flaminem Martialem ſolitum diem Meditrinalium dicere.

Cæterum ex Plinio lib. 18. cap. 2. intelligimus id feſtum inſtitutum, quod Latini nefas eſſe crederent, vina, novas fruges, & poma deguſtare, antequam Sacerdotes primitias Diis libaſſent, unde idem Plinius quærit: *Cur ad primitias pomorum hæc vetera eſſe dicimus, alia nova optamus?* quibus verbis teſtatur idem factum, antequam nova poma deguſtarentur, uti Dacerius ad Feſtum

lib. 11. interpretatur, & Alexander mox adductus probat.

Sic Cereri antequam novas fruges cogerent, ſolemni ritu ſpicas libabant ex relatis Cap. 20. Meditrinæ novum muſtum veteri vino mixtum, uti diximus, & Pomonæ nova poma, prius quam ea comederent. Erat autem Pomona vetuſtiſſima Latinorum Dea. Hanc ea gens prodebat fuiſſe Pici Latii vetuſtiſſimi Regis uxorem, fortaſſe Canentem dictam ex Ovidio lib. 14. Metamorph., & poſt conſecrationem Pomonam appellatam, ut Auctor eſt Servius in lib. 7. Æneidos ad ea carmina:

Picus equum domitor, quam capta Cupidine conjux
Aurea percuſſum virga, verſumque venenis
Fecit avem Circe, ſparſitque coloribus alas.

Ad hæc Servius: *Fabula talis eſt: Picum amavit Pomona Dea Pomorum, & ejus volentis eſt ſortita conjugium. Poſtea Circe quum eum amaret, & ſperneretur, irata eum in avem Picum maritum convertit, nam altera eſt Pica. Hoc autem ideo fingitur, quia Augur fuit, & Domi habuit Picum, per quem futura noſcebat, quod Pontificales indicant libri*: Quamvis enim Grammaticus memoriæ mandarit hanc eſſe fabulam, tamen liquido conſtat Latinos divinos honores uxori Pici, ſive ea Canentes, ut Ovidius narrat, aut Pica, uti Servio placet, appellaretur, præſtitiſſe, illamque Pomonam, & Pomorum Numen nuncupaſſe, quippe univerſus cætus Deorum Latii fabulis, & erroribus erat fœdatus, quod etiam conſtat ex Feſto lib. 14. *Pomonal*, is ait, *eſt in agro Solonio via Oſtienſi ad duodecimum lapidem diverticulo, à milliario octavo*, ideſt in agro inter Oſtienſem, Ardeatinum, & Laurentem ex Plutarcho in Mario, Livio lib. 8. ac Cicerone in Oratione pro Roſcio: quem agrum ita dictum putant, quod in eo eſſet Lucus Sacer, vel ædes Pomonæ dicata, ut vetus Interpres Feſti memorat: unde liquet in eo ſitu uxorem Pici Laurenti, & Latinæ gentis Regis ſub cognomento Pomonæ fuiſſe cultam.

Huic Deæ aſſignatum fuiſſe Flaminem, Pomonalem dictum, refert idem Feſtus lib. 11. *Maximæ dignationis flamen Dialis eſt inter quindecim flamines, & quum cæteri diſcrimina majeſtatis ſuæ habeant, minimæ habetur Pomalis* (Pomonalis ſcilicet) *quod Pomona leviſſimo fructui agrorum præſidet pomis.*

Quæ

Digitized by Google

Quæ dicta ſint, non ut hoc menſe ejus Deæ feſta locemus, quum dies celebritatis hujuſmodi incertus, & potius Menſi Junii accenſendus ſit, ſed ut Pici uxoris conſecrationem, & ædem ſacram, ac ſitum, ubi ea ædes erat enunciaremus, quum id inter antiquitatis latebras delituerit. Porro ex prædictis compertum eſt, quanti Latini priſci ſua falſa Numina exiſtimaverint, & quam longævus ſit mos gentium, primitias fructuum Diis ſuis offerendi, unde hinc ſaltem oblatrare ceſſabunt ii, qui juſtitiæ obſtrepentes, primitias, & decimas Sacerdotibus inique contendunt apud nos, quibus æternus & verax Deus legem ſacroſanctam dictavit.

CAPUT XXII.

De Feſtis diebus menſis Octobris.

AN Vertumnalia, Ditis, & Proſerpinæ ſacris antecederent, mihi compertum non eſt: illud tamen palam eſſe arbitror tertio Nonas hujus menſis ſacrum Diti Patri, ac Proſerpinæ à Latinis dicatum. Hujus rei meminit Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 16. his verbis: *Quia nec Latinarum tempore, quo publicè quondam induciæ inter Populum Romanum, Latinoſque firmatæ ſunt inchoari bellum decebat, nec patente mundo, quod ſacrum Diti Patri, & Proſerpinæ dicatum eſt*: mundus autem, ut ait Feſtus lib. 11. ter in anno patere dicebatur, ideſt poſtridie Volcanalia, ante diem tertium Nonas Octobris, & ante diem ſextum Idus Novembris: quo poſito, non tertio Nonas, ut Roſinus, & alii ſcribunt, ſed quarto Nonas Octobres; ideſt die quarta ejuſdem menſis hæc ſacra peragebantur ex Dacerio ad Feſtum, & ſic conſtat Diti, & Proſerpinæ tertio Calendas Septembres, quarto Nonas Octobres, ac ſeptimo Idus Novembres ſacra facta, quæ in Latium tranſvexerunt Pelaſgi teſte Varrone apud Macrobium Saturnal. lib. 1. cap. 7. Erant autem ea Pelaſgorum magna Numina, ab iis maxime culta diebus jam notatis, quibus mundum patere Græcia putabat. Romani ſcriptores cauſſam hujus ritus ſe ignorare fatentur, eamque vetuſtiſſimam ſcribunt, & obſcuram, ita Cato in Commentariis Juris apud Feſtum lib. 11.: *Mundo, inquit, nomen*

nomen impoſitum eſt ab eo mundo, qui ſupra nos eſt; forma enim ejus eſt, ut ex iis, qui intravere cognoſcere potui aſſimilis illi: ejus inferiorem partem veluti conſecratam Diis manibus, clauſam omni tempore, niſi iis diebus, qui ſupra ſcripti ſunt, majores cenſuerunt, quos dies etiam religioſos judicaverunt ea de cauſa, quod quo tempore ea, quæ occultæ & abditæ religionis Deorum Manium eſſent, veluti in lucem quandam adducerentur, & patefierent: nihil eo tempore in Republica geri voluerunt. Itaque per eos dies non cum hoſte manus conſerebant, non exercitus ſcribebatur, non comitia habebantur, non aliud quicquam in Republica niſi quod ultima neceſſitas admonebat, adminiſtrabatur. Hinc viri docti arguunt antiquitatem ritus vix Catoni doctiſſimo viro notam, quin & Varroni apud Macrobium lib. 1. cap. 16. aliis 19. hæc tantum tradenti: *Mundus quum patet, Deorum triſtium, atque Inferorum janua patet*: quamobrem Pontanus, Meurſius, aliique Macrobii interpretes, quid veteres eo nomine intellexerint quærunt, Apulejum in Apologia adducentes, qui etiam ſe involuit, unde merito utrunque irridet Arnobius lib. 5. adverſ. gent.. De hac re agit etiam Macrobius in Somnio Scipion. lib. 1. cap. 11., ubi putat Ditis Sedem apud inferos ſub certa mundi parte, eique mortem ſubditam eſſe, unde factum ajunt ter in anno Diti, & Proſerpinæ ſtatis diebus ſacrificia ab antiquis oblata, ut ita inferna Numina placata vitæ auras reſpirari ſinerent: cui rationi alludit Valerius Maximus lib. 2. cap. 1., ubi de Valeſio quodam loquitur viro locuplete, & ruſticæ vitæ, qui duobus filiis ægrotantibus, & filia ad deſperationem uſque medicorum laborante, Lares familiares oravit, ut puerorum periculum in ipſius caput transferretur: orta autem voce, habiturum eos ſalvos ſi continuo flumine Tiberis devectos Terentum portaſſet, eo facto filiorum ſalutem impetravit. Erat autem Terentum locus in Campo Martio, quod eo loco ara Ditis Patris terra occultaretur ex Feſto lib. 18., quam aram ſub effoſſa humo ſtantem Romani maxime venerabantur, quum ob Ditis, & Proſerpinæ, quibus dicata erat cultum, tum ob memoriam, quod illa antequam Roma conderetur eo loci fuiſſet. Ad eam igitur ter annis ſingulis, & diebus ſupra ſcriptis acceſſus patebat, quod Diti, & Proſerpinæ ſacra fierent, ut Scholiaſtes Feſti memorant, & conſentit Alexander

Digitized by Google

der Genial. lib. 5. cap. 26., qui ſubdit Quirites ad eam aram ludos ſeculares dictos haud ſtato die, ſed à prima origine ſingulis centum annis ex præcepto Sibyllinorum carminum feciſſe, eorumque auctorem fuiſſe Valerium Publicolam, qui primum cæſis atris bobus, Diti maribus, Proſerpinæ fœminis, trinoctio ludos ibidem fecit ex Plutarcho in vita Publicolæ, & Horatio in carmine ſeculari, qui de his ludis ſic loquitur:

Certus undenos decies per annos
Orbis, ut cantus, referatque ludos
Ter die claro, totieſque grata
Nocte frequentes.

Porro & Virgilius lib. 6. Æneidos vetuſtatem ſacrorum Ditis, & Proſerpinæ exponere volens, exhibet Aneam utrique Numini ſacrificia facientem: en ejus carmina:

Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Conſtituit, frontique invergit vina Sacerdos,
Et ſummas carpens media inter cornua ſetas
Ignibus imponit ſacris libamina prima,
Voce vocans Hecaten cæloque, Ereboque potentem.

& infra,

. . . . . . *Ipſe atri velleris agnam*
Æneas Matri Eumenidum, magnæque ſorori
Enſe ferit, ſterilemque tibi Proſerpina vaccam:
Tum Stygio Regi nocturnas incboat aras,
Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis,
Pingue ſuperque oleum fundens ardentibus extis.

Inde Servius, & Donatus produnt ea ſacra vetuſtiſſima, Græciſque & Trojanis familiaria fuiſſe, ritumque illorum Poëtam erudite explicaſſe.

Hactenus de feſtis Ditis, & Proſerpinæ: nunc ad *Vertumnalia* deſcendamus, quæ initio hujus menſis fuiſſe Varro, & cæteri commemorant. Hæc ante Romam facta tradit Propertius lib. 4. Eleg. 2. his verſibus:

Quid mirare meas tot in uno corpore formas,
Accipe Vertumni ſigna paterna Dei.

Tu-

Tuſcus ego, Tuſcis orior, nec pænitet inter
Prælia Volſcinos deſerviſſe focos.
Nec me Turba juvat, nec templo lætor eburno,
Romanum ſatis eſt poſſe videre forum.

Ex quo habemus id Numen, quod omnes figuras ac formas, & mentes hominum, & cogitationes in rebus emendis, vendendiſque, vertere, immutare, ac varie efficere credebant, Tuſcorum Deum ante Romam conditam fuiſſe, eique ſacratas ferias *Vertumnalia* dictas, ut pergit Propertius, apud quem plura alia, prout apud Horatium Satyr.7. lib.2. & Aſconium Pædianum in 3. Verrinam Ciceronis.

Non deſunt qui perhibent hunc vetuſtiſſimum Tuſcorum Regem fuiſſe & conſecratum, quod vinearum, & pomiferarum arborum ſerendarum tradidiſſet rationem; quin cultum ſolemnibus feſtis quotannis à Sabinis, Latiniſque finitimis ante Romam conditam putat Antonius Fanenſis in lib.6. Faſtor. Ovidii, referens Tuſcos illos, qui cum Lucumone, ſeu Cælio Vibenna in auxilium Romuli veniſſe dicuntur, Romæ Templum in Vico Turario, ſeu Tuſco ædificaſſe, quod & probant Varro lib.5. de Lingua Latina, Feſtus lib. 19. Tacitus lib. 4. Annal. P. Victor 8. Region. Urbis Romæ, Alexander Genial. lib.2. cap.18. & lib.6. cap.8. & Aſconius Pædianus loco quo ſupra, addens Tuſcos, Sabinoſque putaſſe hunc Deum mercaturæ, & vertendis rebus præeſſe, quod & Donatus in Adelphos Terentii pluribus locis comprobat.

Itaque ſicuti Latini, ita & Sabini, ac Tuſci, Reges ſuos conſecrarunt. Illi enim Sancum gentis auctorem, & Principem coluerunt ex Silio lib.8. Bell. Punic.

. . . . . *à Tetrica comitantur rupe Cohortes*
Cunctis haſta decus, clypeuſque refertur in orbem
Vertice, & implumes, ac leui tegmine cruris
Ibant, & læti pars Sancum voce canebant
Auctorem gentis, pars laudes ore ferebant
Sabe tuas, qui de patrio cognomine primus
Dixiſti Populos magna ditione Sabinos.

Tuſci autem Etruriæ primum Regem, cujus nomen antiqui tacent, conſecrarunt, & Vertumnum appellarunt ex Varrone lib.5. de Lingua

gua Latina; immo quum Latini Regibus ſuis conſecratis nomina immutaſsent, Sabinos quoque, & Etruſcos id ipſum feciſse produnt; illi quidem Sabum, Sancum, Divum Fidium, & Herculem nuncuparunt ex relatis Capite 8., quamvis Dionyſius lib.2. ex Catone hæc tradat: *At Porcius Cato nomen Sabinis impoſitum à Sabo Sanci filio: Sancum vero iſtum fuiſſe regionis Genium & à nonnullis Divum Fidium appellari*; Tuſci autem ſuum Regem Vertumnum dixerunt; quin quum Latina gens ſuos Reges Indigetes feciſſet, Sabini, ac Tuſci ſuos Semones celebrarunt, quod nec cæleſtes putarentur ob meriti paupertatem, neque terreni ob gratiæ venerationem, uti ad Chalcidium ſcribit Fulgentius, & notant Gyraldus de Diis gentium Syntagm.14., Cerinus de Urbe Roma lib.1. cap.49.

Hinc errorem apud veteres Chriſtianos, ſcriptoreſque doctiſſimos irrepſiſſe aliqui putant, ab antiquis cippis deceptos & Inſcriptionibus, quas ſubiicio.

I.

SEMONI SANCO DEO FIDIO SACRVM
SEX. POMPEIVS S.P.F. COS. MVSSIANVS
QVINQVENNALIS DEC. BIDENTALIS
DONVM DEDIT

II.

SANCO SANCTO SEMONI
DEO FIDIO SACRVM
DECVRIA SACERDOTVM BIDENTALIVM
RECIPERATIS VECTIGALIBVS

Ex his quæ proſtant apud Cerinum ubi ſupra, memoriæ mandarunt, Romanos Simoni Mago divinos honores tribuiſſe. Sic Tertullianus in Apologet.: *Sed quum Larentiam publicum ſcortum velim ſaltem Laidem aut Phrynen inter Junones, & Cereres, ac Dianam adoratis, quum Simonem Magum ſtatua, & inſcriptione ſancti Dei inauguratis*: quod & ſcribunt Euſebius Hiſtor.Eccleſ.lib.2.cap.13., & Divus Irenæus lib.1. Adverſ. Hæret., Card. Baronius ad Annum Chriſti 44.

& alii; & ne ambigi poſſet Tertullianum de alia inſcriptione locutum, ſunt qui verba Juſtini Martyris ex Apologia 2. quem ille adducit referant, quæ quidem hæc ſunt: *Simon quidam apud vos Samaritanus, propter magicas, quas exhibuit virtutes, Deus habitus eſt, & ſtatua apud vos veluti Deus honoratus, quæ ſtatua in amne Tiberi inter duos pontes eſt erecta*, uti notat Deſiderius Heraldus in Apologeticum Tertulliani. Ergo quum liqueat cippum priſcum cum epigraphe prima ſuperius relata, effoſſum fuiſſe ævo Gregorii XIII. Pontificis è ruderibus Inſulæ Tiberinæ, ſicuti teſtantur Joſephus Caſtalio Decad. 3. obſervat., ac Baronius loco adducto, facile ajunt hallucinatos Juſtinum, & Tertullianum ex ea inſcriptione dicata Semoni Sanco Sabinorum Numini. Quæ tamen perperam dicta puto; non enim aſſentior in re tam vetuſta ex effoſſo nuper lapide in Tiberina inſula, Juſtinum vanos effudiſſe ſermones. Nemo ſane non ſcit Romanos Imperatores ſtatua decoraſſe veluti Deos, homines, quorum merita venerabantur; ſic, quam plurimis prætermiſſis, Hadrianus Apollonium Tyanæum, qui & ipſe Magus fertur, coluit ex Philoſtrato in vita Apollonii lib. 8. cap. 8., quin narrant Caracallam tanti eum feciſſe, ut heroico monumento ornandum ſibi exiſtimarit ut notat Jo: Meurſius ad Lactantium lib. 5. de Inſtit. cap. 3. Epheſios autem ſimulacrum ejus ſub Herculis Alexiaci nomine conſtitutum, ſacris honoraſſe patet ex eodem Lactantio lib. 5. cap. 3.. Facile itaque eſt Simoni itidem Mago, ob Magicas virtutes Claudium, aut Neronem ſtatuam veluti Deo dicaſſe, quod teſtatur Divus Irenæus lib. 1. Adverſ. Hæreſes cap. 20., qui de eo hoc modo loquitur: *A Claudio Cæſare etiam ſtatua honoratus eſſe dicitur propter magiam. Hic igitur à multis quaſi Deus glorificatus eſt*. Quoniam vero mos gentium erat, vel nomina conſecratis immutare, aut iis accommodare nomina Deorum, quæ ſimilia videbantur, veroſimile eſt Quirites id ipſum feciſſe, & ſtatuam Simonis Magi in loco Semoni Sanco ſacrato apud inſulam Tiberinam, poſuiſſe, ut ita ille ſimilis Sanco videretur. Cæterum Juſtinus, qui Antonini Pii ætate ſcripſit, & facile redargui poterat, maxime à Philoſopho Cinicæ ſectæ ſibi adverſario, qui calumnias nectere in Chriſtianos, Juſtinumque Chriſtianorum Anteſignanum nunquam deſtitit, prædicta non affirmaſſet, ſi Romæ tunc haud notoria

fuiſ-

fuiſſent, & ſtatua in Tiberina Inſula, non Simoni Mago, ut ipſe ait, ſed Semoni Sanco Sabinorum Deo ſacrata eſſet.

Tertio Idus Octobris *Fontinalia* erant ex Calendario. Has quoque ferias, & ſolemnitates à Latinis in Romanos propagatas palàm eſt; quandoquidem Latini priſci omnes fontes ſacros habuerunt ex Servio lib.7. Æneidos ad illud:

Conſulit Albunea nemorum quæ maxima ſacro
Fonte ſonat &c.

Quibus alludit vetus cippus Brixiæ apud Tomaſinum de Donar. cap. 28.

FONTIBVS DIVINIS
SACR:
M. ANTONIVS SP. F. SILPHON
V. S. L. M

Putabant enim fontibus, & aquis Nymphas præſidere auctore eodem Servio in Eclog. 1. ad ea carmina:

Fortunate Senex, hic inter flumina nota
Et fontes ſacros frigus captabis opacum.

Arcades id inſtituerunt, qui in Latium appulſi, fontes, prata, & loca virentia Nymphis dedicarunt teſte Dionyſio lib. 1. Ii ſane credebant Rheam Saturni uxorem, Jovem parientem lavacrorum cauſa Nedam fontem è Licæo Arcadiæ monte defluentem aperuiſſe, illumque, & cæteros fontes ob hanc rem Nympharum poteſtati dediſſe ex Strabone lib.8., ſeu ut alii produnt, Nymphas Bacchi nutrices fontibus, pratis, & floribus addictas ex Tomaſino de Donar. cap. 28., unde factum eſſe ajunt, Ardeates fontem, qui in eorum agro erat, non longe à Numicio fluvio, Juturnæ ſorori Turni dicaſſe, poſtquam illam veluti Nympham conſecrarant, ut ait Varro apud Servium ad lib. 12. Æneid. pag.674: Id ipſum innuit ſaxum Albæ apud eundem Tomaſinum cap.28. cum hac inſcriptione:

PRO SALVTE DOMINI
NOSTRI SANCTISSIMI
ANTONINI PII NYMPHIS
NOVIS SACRVM RVFINVS
LEG. XIII.

Et priſci Norbani Lapides in loco Nymphis dicato, qui Nymphæus hodieque dicitur, quos referam quum de Norbanis verba facturus ſum; hinc patet cultum fontium, & aquarum in priſco Latio fuiſſe ſolemnem. Igitur in gratiam fontium, & Nympharum illis præſidentium Latini priſci *Fontinalia* fecerunt, quibus Sacerdotes in fontes coronas jaciebant, & puteos coronabant, ut Varro lib. 5. de Lingua Latina memorat.

At Joſeph Scaliger Conjectan. in Varronem eo loci, ſcribit *Fontinalia* eſſe ſacra, & ferias ejus tantum fontis, cujus delubrum juxta portam Capenam viſebatur, quæ porta ob id Fontinalis dicta eſt. Eum tamen erraſſe dilucidum eſt, quum Feſtus lib. 5. prodat *Fontinalia* fuiſſe fontium omnium, non autem unius ſacra, & Fontinalem portam ita dictam, quod prope eam eſſet Fontis delubrum, ſive ut ait Bartholomæus Marlianus lib. 1. cap. 8., duo fontes ibi eſſent, licet falſò is aſſerat hanc portam eandem eſſe ac Septimianam, quod etiam refert Alexander Genial. lib. 4. cap. 16., nam verius eſt illam fuiſſe eandem, quæ Capena, inde Appia dicta eſt ex eodem Scaligero, Dacerio ad Feſtum lib. 5. & Pomponio Læto Roman. antiquit. lib. 2. cap. 7., qui tamen incertus hæret. Neque Varronis verba Scaligerum juvant, nam Varro ita loquitur. *Fontinalia à Fonte, quod is dies feriæ ejus, ab eo autem, tum & in fontes coronas jaciunt, & puteos coronant.* His autem verbis Varro probat hoc die feſtas ſolemnitates Romæ primum peractas in fonte, cujus delubrum erat apud Fontinalem portam, inde in cæteris fontibus, & puteis, ut ita innueret Romæ hunc ritum fuiſſe, ut ſacra præmitterentur apud ædem fontium, & poſtmodum Nymphis in omnibus fontibus, quin puteis, ubi erant aquæ, quibus illæ præſidebant, ſacrificaretur.

Idibus Octobris October equus Marti immolabatur ex Calendario,

dario, Feſto lib. 13., Roſino, Alexandro Genial. lib. 3. cap. 18., & aliis, quamvis Plutarchus Problem. cap. 97., mendoſe, ut arbitror, Idibus Decembris id factum ſcribat. Hujus rei cauſſam quærunt Feſtus, & Plutarchus, quorum ille ſic prodit: *October equus appellatur, qui in Campo Martio menſe Octobri immolabatur quotannis Marti, bigarum victricium dexterior: de cujus capite non levis contentio ſolebat eſſe inter Suburanenſes, & Sacravienſes, ut hi in Regiæ pariete, illi ad Turrim Mamiliam id figerent, ejuſdemque cauda tanta celeritate præfertur in Regiam, ut ex ea ſanguis diſtillet in focum participandæ rei divinæ gratia, quem hoſtiæ loco quidam Marti bellico Deo ſacrari dicunt, non ut vulgus putat, quia velut ſupplicium de eo ſumatur, quod Romani Ilio ſunt oriundi, & Trojani ità, effigie in equi, ſunt capti.* Hæc Feſtus, qui tamen lib. 14. *Panibus*, inquit, *redimibant caput equi immolati idibus Octobribus in Campo Martio, quia ſacrificium fiebat ob frugum eventum, & equus potius, quam bos immolabatur, quod hic bos frugibus pariendis aptus.* At Plutarchus ita rem expendit: *Cur Idibus Decembris* (Octobris ſcilicet) *in curſu equorum victor dexter ſacer Marti immolabatur, & caudam ſtatim deciſam ad Rheginam, qui dicitur locus, deportat, & aram cruore ſpargit, de capite vero inter ſe decertant, alii de ſacra via deſcendentes, alii de ſubura adverſus eos impetum facientes? An quod Trojam equo captam putant, idcirco equum ſupplicio afficiunt, quod Trojanorum clara pignora fuerint mixta pueris Latinorum; an quod iracundum, ferox, & bellicoſum animal eſt equus? Diis autem grata, & accommodata in primis immolabantur, victor autem idcirco immolatur, quod victoriæ Mars auctor eſt.*

Ex his habes eam celebritatem Latinis priſcis vetuſtiſſimam fuiſſe, & inſtitutam ab Ilienſibus in Latium appulſis in vindictam equi Trojani, cum quo Troja oppugnata dicebatur: quamvis Feſtus aliter ſentiat: quod mihi perſuaſerit nemo; nam cauſam ritus Feſtus ipſe, & Plutarchus ignorant, potiuſque divinant, plures referentes, nullam probantes: quamobrem, ſi vulgus, & ſic opinio populi, ut Feſtus teſtatur, ea tunc erat, ut illo ſacro pœnas luere diceretur equus, quo Troja exitium paſſa eſt, quod & Plutarchus memorat. Hinc

origo

Digitized by Google

origo feſti vero propior apparet, populus namque prodere ſolet quæ à majoribus accepit, ergo quum is ritus vetuſtiſſimus eſſet, neque Romani ſcriptores, qui, ut ſæpe dictum eſt, Reges, & Conſules Feſtorum fere omnium auctores fecerunt, hujus ſolemnitatis originem tradant, aut certam cauſſam, opinioni priſcorum Romanorum, & vetuſtæ famæ potius conſentio, quam Feſti judicio.

Et licet Hyginus, & Tubero apud Servium in lib. 2. Æneidos affirmarint Trojanum equum machinamentum bellicum fuiſſe, alios vero prodidiſſe Antenorem Græcis aperuiſſe portam Urbis, ubi equus pictus erat, vel Trojam equeſtri prælio victam, aut arte Græcorum, qui poſt montem Hippium ſe abſconderant, ut videre eſt apud eundem Servium, Cælium Rodigium lib. 21. cap. 2. Plinium lib. 7. cap. 56., & alios; attamen quidquid prædicti autument, palam eſt Latinos, & Romanos pro certo habuiſſe Durii equi commento Trojam captam teſtimonio Virgilii lib. 2. Æneid.

. . . . fracti bello, fatiſve repulſi
Ductores Danaum tot jam labentibus annis,
Inſtar montis equum divina Palladis arte
Ædificant, ſectaque intexunt abjete coſtas.
Votum pro reditu ſimulant, ea fama vagatur
Huc delecta virum ſortiti corpora furtim
Includunt cæco lateri, penituſque cavernas
Ingentes, uterumque armato milite complent.

Ubi Servius poſt antiquorum relatas ſententias, ait: *Aut re vera fuit* (equus ſcilicet) *quod Virgilius ſequitur*; id ipſum Homerus aſſeruit lib. 8. Odyſs.

Verum age, jam progredere, & equi ſtructuram cave
Lignei, quem Epeus fabrefecit cum Minerva.

Quæ carmina referens Politianus in miſcellaneis, ſcribit antiquos putaſſe equo ligneo ab Epeo, vel Calcha, ut Virgilio arridet conſtructo, Ilium everſum. Sic Seneca in Agamemnone Caſſandram ita loquentem inducit:

Vidimus ſimulata dona molis immenſæ
Fatale munus Danaum traximus noſtra
Creduli dextera, tremuitque ſæpe

Limi-

Limine in primo Sonipes, cavernis
Conditos Reges, bellumque geſtans:
Sæpe commotæ ſonuere parmæ
Tacitumque murmur percuſſit aures
Et fremuit male ſubdolo
Parens Pyrrbus Ulyſſi.
Secura metu Troica pubes,
Sacros gaudet tangere funes.

Petronius Arbiter eleganter vaſtitatem ventris hujus equi deſcribit hiſce verſibus:

Aperitur ingens antrum, & obducti ſpecu
Qui caſtra caperent: huc decenni prælio
Jurata virtus abditur, ſtipant graves
Equi receſſus Danai, & in voto latent.

Immo ſunt qui numerent duces in eo equo abſconditos, Ulyſſem ſcilicet, Diomedem, Theſſandrum, Stheneium, Acaman, Troadem, Machaonem, & Neoptolemum, ex Virgilio, Homero, & Hygino Fabul. 108., Pauſania, Smyrnæo, Colutho, & aliis: quin memorant ita ſcriptum in equo,

DANAI MINERVAE DONO DANT

Itaque conſtat Quirites, atque Latinos credidiſſe hoc ligneo Equo, Minervæ ſubdole dicato, captam, direptamque fuiſſe Trojam, quod adeo verum eſt, ut Romani vulgo appellarent Trojanum eum porcum, quem aliis incluſis animalibus gravidum, menſis deliciarum cauſa inferebant, inſtar Trojani equi, qui grauidus armatis fuit, ut auctor eſt Cincius apud Macrobium Saturnal. lib. 2. cap. 9. ad finem: quibus ſi addatur opinio Populi Romani putantis hoc die equum Marti mactatum, ut ſupplicium de equo Trojano, quo Ilium captum eſt ſumeretur, uti Feſtus memoriæ prodit, necnon ritus recidendi equo immolato caudam, & caput, illudque figendi in Reginorum loco, vel Turri Mamilia, & certamen Suburánorum, ac Sacravienſium contendentium caput equi obtinere, ut id palam exponerent, ac ad parietem publicum ſuſpenderent, res in propatulo eſt, quum

quum prædicta vindictam, & contumeliam evincant, quæ quidem ſacra profanaſſent, ſi equus ob fructuum eventum vel alia de cauſa à Feſto relata, quæ ſupplicium non indicaſſet, immolatus eſſet.

Decimoquarto Calendas Novembres, ideſt die decimonono Octobris *Armiluſtrium* erat ex Calendario. Plures ſcribunt id feſtum à Romulo inſtitutum, ut Tatii Sabinorum Regis, qui cum eo Romæ regnaverat memoriam recoleret ex Plutarcho in Romulo: *Romulus corpus Tatii magno bonore Romam delatum tumulavit in Aventino ad Armiluſtrium*. Alii legunt: *Tumulavit in Aventino qui locus dictus eſt Armiluſtrium*, hinc arguentes, Romanos Armiluſtrium, hanc celebritatem appellaſſe, quod ſacra fierent eo loco, quo Tatius ſepultus eſt, ejuſdem nomine ſuppreſſo, ne revireſceret infamia Romuli, qui tradebatur, Tatium proditorio facinore occidendum Laurentibus obtuliſſe, ut Regni ſocio liberaretur ex eodem Plutarcho & Livio lib. 1., de quo diſertiſſime Divus Auguſtinus lib. 3. ad Marcellinum cap. 13. His addunt Sabinos eo loci Tatium coluiſſe pro Deo, ut innuere videntur Plutarchus, & Divus Auguſtinus ubi ſupra, & Romanos manibus ejus quotannis publicas inſtauraſſe inferias, ut auctor eſt Dionyſius lib. 1. *Sepultus*, inquit, *eſt Romæ bonorato funere, quotanniſque manibus ejus publicæ inſtaurantur Inferiæ*.

Verumtamen ii, quorum nomen honoris cauſa neque pandendum cenſeo, falſitatis notantur ex Varrone lib. 5. de Lingua Latina, & Feſto; ille enim ait: *Armiluſtrium ab eo quod in Armiluſtrio armati ſacra faciunt, niſi locus potius dictus ab eis, ſed quod de bis prius, id ab luendo, aut luſtro, id eſt quod circumibant ludentes ancylibus armati*: Feſtus vero, ſeu potius Paulus ejus mutilator: *Armiluſtrum*, ait, *feſtum erat apud Romanos, qui res divinas armati faciebant, ac dum ſacrificarent tubis canebant*, quo loci Scaliger ſubdit centuriatis Comitiis exercitum armatum luſtrari, & claſſico, non autem tubis eo in ſacro Romanos canere ſolitos, putatque Quirites id inſtitutum ab Athenienſibus accepiſſe, apud quos Comitium luſtratum legitur; ſic etiam Feſtum autumant emendandum Dacerius, Roſinus & Cirinus de Urbe Roma lib. 1. cap. 50. ad finem: qui ex Spartiano in Veſpaſiano addit in eo loco poſita fuiſſe arma Militum, quare Scaliger cenſet id ſacrum factum, ut luſtraretur exercitus, ſeu Armiluſtrium,

Digitized by Google

ſtrium, & ſic locus, ubi arma ſervabantur. At ſane errat, nam Quirites exercitum luſtrare ſolebant in Campo Martio, ubi armatos milites pedites, equiteſque lauro coronatos rem divinam, & luſtrale ſacrificium facere oportebat ſub dio, uti Servius Rex edixerat ex Livio Dec. 1. lib. 1., Dionyſio lib. 4., Gyraldo de Diis Gent. Syntagm. 17., quam diem Armiluſtrum nuncupabant, ejuſque meminit Varro lib. 4., qui id nomen ab ambitu luſtri dictum exiſtimat, quod ibi circumferretur pompa, & equi currerent, quamobrem neque locus, neque ritus conſentit ſacro, de quo loquimur & quod Feſtus refert. Hinc & Marlianum de Roma antiqua lib. 5. erraſſe arbitror, is enim Cap. 4. ſcribit Armiluſtrium fuiſſe locum in Aventino, vel in Circo Maximo, ubi milites, & arma luſtrabantur, in quo etiam armati milites rem divinam canoris tubis faciebant, quod adverſatur Varroni.

Porro Varro hujus celebritatis ritum ſatis expreſſit, quandoquidem dubitans, an is locus dictus eſſet potius ab iis, qui armis rem divinam faciebant, antiquitatem ſacri Armiluſtrio vetuſtioris innuit, referens vero Ancilibus ea ſacra facientes ludere ſolitos, à Saliis Sacerdotibus eo loci ſacrificatum fuiſſe declarat. Sic Feſtus prodit Sacerdotes dum ſacrificarent, tubis ceciniſſe, ut intelligeretur id feſtum difforme eſſe à ſacro fieri ſolito, quum luſtrarent exercitum, quo claſſico canebant; erat enim id ſacrificii genus vetuſtiſſimum, Latiniſque priſcis familiare; Salii namque, qui ſaltantes armati ſacra faciebant Marti, vel Herculi, priuſquam Roma conderetur, apud Latinos fuerunt teſte Varrone apud Servium ad lib. 8. Æneidos ad ea carmina:

Jamque Sacerdotes, primuſque Potitius ibant
Pellibus in morem vincti, flammaſque ferebant:
Inſtaurant epulas, & menſæ grata ſecundæ
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus Aras:
Tum Salii ad cantus, incenſa altaria circum
Populeis adſunt evincti tempora ramis:
Hic Juvenum chorus, ille ſenum, qui carmine laudes
Herculeas, & facta ferunt.

Salii ſunt, is inquit, *qui tripudiantes aras circumibant, ſaltabant autem ritu veteri armati poſt victoriam Tiburtinorum de Volſcis*;

ſunt autem alii Martis, & Herculis, quoniam Chaldei Stellam Martis, Herculem dicunt, quos Varro ſequitur, & Tiburtes Salios etiam dicaverant. Quidam hos à ſaltu appellatos tradunt, quos alii à Numa inſtitutos, ut arma Ancilia portantes ſaltarent: ergo bene à ſaltu appellati. Horum numerum Hoſtilius addidit, nam duo ſunt genera Saliorum, ſicut in Saliaribus carminibus invenitur, Collini, & Quirinales à Numa inſtituti, ab Hoſtilio vero Pavorii, & Pallorii inſtituti. Habuerunt ſane & Tuſculani Salios ante Romanos: alii dicunt Salium quemdam Arcadem fuiſſe, qui Trojanis junctus, hunc ludum in ſacris inſtituerit; nonnulli tamen hos à Dardano inſtitutos volunt, qui Samothracibus Diis ſacra perſolverent. Quidam etiam dicunt Salios à Morro Rege Vejentanorum inſtitutos, ut Aleſus Neptuni filius eorum carmine laudaretur, qui ejuſdem Regis familæ auctæ ultimus fuit. Hæc Servius, qui Tiburtinos, Tuſculanos & Latinos univerſos id Sacerdotium ante Romam conditam habuiſſe diſerte probat, quod & Macrobius Saturnal. lib. 3. cap. 12. Octavii Herſennii librum laudans, quo de ſacris Saliaribus Tiburtium tractaverat: ſubditque in Templo Herculis Tiburtini fuiſſe antiquiſſimum Collegium Saliorum, qui certis diebus, & auſpicatò ſaltantes, ac armati operabantur. Sic Feſtus lib. 17. ex Polemone priſco auctore tradit Æneam ſecum à Mantinea in Latium deduxiſſe Arcadem quemdam nomine Salium, qui Latinos juvenes ſaltationem ſacram docuit, inde ſic ſubjicit: *At Critolaus Saonem ex Samothrace cum Ænea Deos Penates, qui Lavinium tranſtulerat, Saliare genus ſaltandi inſtituiſſe, à quo appellatos Salios, quibus per omnes dies ubicumque manent, quia amplæ ponuntur cœnæ, ſi quæ aliæ magnæ ſunt, Saliares appellantur*: Giſbertus Cuperus legit: *per ominis dies* loco *omnes dies*, quum veteres ominoſos haberent dies, quibus movebantur Ancilia; interpretes vero Horatii Ode 37. lib. 1. in ea carmina:

. . . . . *Nunc Saliaribus*
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erit dapibus, Sodales,

Legunt *per omnes ſacrorum dies*; ego vero Feſtum uti jacet intelligo, quum Saliis, nedum diebus, quibus movebantur Ancilia, ſed aliis, quibus ii operabantur, & in omnibus locis, ad quæ ibant, amplæ

cœnæ

cœnæ, delicatæ, & opiparæ pararentur ex Acrone, & Porphyrione in Horatium ubi ſupra, & Apulejo lib.4. Metamorph., quod & viri docti obſervarunt.

Idipſum teſtatur Dionyſius lib.7. pag.474. 475., ubi memoriæ mandavit uſum ſacræ ſaltationis armatæ, quæ vocatur Pyrricha, à Græcis priſcis, qui Latium incoluerunt, in Romanos manaſſe: quod probant hymni, quos Salii inter ſaltandum canebant; ii quippe ab ipſis Romanæ hiſtoriæ ſcriptoribus antiquiſſimi vocantur, quia in illis Janus omnium Deorum Deus indigitabatur, hic enim erat ritus Latinorum priſcorum, qui Janum primum Latii Regem, omnium Deorum Principem affirmabant, Romani vero non hunc, ſed Jovem ex Macrobio Saturnal. lib.1. cap.9. ad finem: quo fit ea quoque carmina à Latinis in Romanos propagata. Sic conſtat & in iiſdem hymnis Saliorum, Jovem, Lucetium fuiſſe appellatum, eodem Macrobio lib. 1. cap. 15. teſte, quod Oſcorum priſcorum cognomentum erat, & à Latinis finitimis populis uſurpatum ex relatis Cap. 19.; quamobrem Cæſares eorum nomina Saliari carmine celebrari, & in hymnis, quos Salii canebant adnotari conſtituerunt, ut illorum quoque memoriam ſempiternæ gloriæ mandarent, ut Tacitus lib.2. literis tradidit.

Dicant nunc Romani ſcriptores Numam Saliorum Collegium, armatam ſaltationem, & armatos Salios primum inſtituiſſe, Ancilia ex Egeriæ Nymphæ Oraculo reperiſſe, eaque efformaſſe ad ſimilitudinem ejus, quod è Cœlo in manum ſuam, vel ejus Regiam delapſum jactabant, ſicuti Plutarchus in Numa cenſet, qui Salios Trojanis fuiſſe negat Livius lib. 1., & Ovidius lib.3. Faſtor., Lucilius etiam lib.9. Satyrar. apud Franciſcum Douſam:

Hinc Ancilia, ab hoc aſpices, capidaſque repertas.

Atque Ennius lib. 1. Annal. de Numa loquens ait:

Menſas conſtituit, idemque Ancilia primus
Libaque, Fictores, Argeos, & Tutulatos.

Quibus Ennius & Flamines Numæ attribuit, ac Tutulatos, ideſt Sacerdotes, qui pallio caput velabant ad ſacrificium acceſſuri, ut explicat Hieronymus Columna pag. 91.

Hæc etenim, & his majora, quæ Romani prodiderunt, ut Re-

ges, & Conſules ſuos ſacrorum omnium auctores facerent, ac Latii, à quo originem traxerunt, honori detraherent, celari adeo non potuerunt, ut rerum vetuſtarum monumenta non erumperent; quandoquidem eodem Livio lib. 1. teſte, Romulus Urbis Romæ parens, omnia quæ inſtituit ſacra, ab Albanis accepit, Albanoque ritu, vel Græco, ſicuti Latini conſueverant feciſſe dicitur: en Livii verba: *Sacra Diis, aliis Albano ritu, Græco Herculi, ut ab Evandro inſtituta erant, facit*: Numa etiam à Sabinis, Tuſcis, aut Latinis ſacrificia ſua mutuavit ex Dionyſio lib. 2., maxime hæc ſacra, quibus Salii armati, & ſaltantes operabantur, nam & id ſacrificii genus, apparatus, & indumenta græcanica erant; Salii quippe verſicoloribus induti tunicis incedebant, ac æneis Baltheis ſuccincti, gladiiſque accincti, dextera Lanceam, ac læva Thraciam peltam ferebant, quæ Ancile dicebatur, quod ea arma ab utraque parte, ut peltæ Thracum inciſa eſſent, neque enim illa circuli formam habebant, neque peltæ orbem, ſed quandam lineæ tortuoſæ inciſuram, cujus reflexi apices, & inter ſe mutuo recurrentes, curvam figuram exhibebant. Geſtabant quoque Capitibus apices, ſcilicet faſtigiatos in coni formam pileos, & gladiolos Ancilia percutientes cum greſſu, & gradu compoſito, pulſu pedum ad ſonum vocis modulato, ſacrificabant ex Dionyſio lib. 2., Livio Decad. 1. lib. 1. cap. 26., quæ omnia Græcanici vetuſtiſſimi ritus fuiſſe notat Dionyſius lib. 7. ubi ſubdit Numam, Regeſque Romanos, qui Græciam tunc non penetraverant, haud potuiſſe à Græcis prædicta ediſcere, eaque propterea à Latinis priſcis, quorum magna pars à Græcis Latii accolis prognata erat, accepiſſe. Numa itaque primum Romæ Saliorum Collegium inſtituit, eoſque Patricios eſſe, Ancilia quoque ab iis cuſtodiri juſſit, feſtumque Anciliorum Martio menſe indixit, hymnoſque compoſuit, ejus tamen ritum à Latinis priſcis accepit. Huic Collegio tres præerant, Præſul, qui Sacerdotum erat Princeps, Vates, & Magiſter ex Dionyſio. Ad Præſulem pertinebat in exultationibus primum motum edere, poſt quem alii ſimili motu ſaltabant ut ait Feſtus lib. 16. voce *redamptruare* quem ita legendum cenſet Scaliger: *Redamptruare dicitur in Saliorum exultationibus, quum Præſul amptruavit, quod eſt motus edidit, & referuntur invicem iidem motus*, ſubditque Lucilium hoc carmine id ſignificaſſe:

Præ-

Digitized by Google

Præſul ut amptruat inde, & vuolgus redamptruat olli.
Quod ita legendum cenſet Merula apud Dacerium Scholiaſtem Feſti:
Præſul ut amptruet hinc, & vulgus redamptruet inde.
Ad Vatem, carminum rationem habere ſpectabat, erant enim ea carmina vetuſtiſſima, quæ à nominibus Deorum, quibus hymni dicati erant, dicebantur Janualia, Saturnia, Junonia, Minervia, & his ſimilia teſtimonio Feſti lib. I. ad finem. Horum hymnorum, in quibus omnes Deos nominare fas erat, Venere excepta, ſicuti Numa edixerat, ne quicquam mutare licebat neque Vati conceſſum erat, ritu priſcæ Religionis ita diſponente, verba ſuboſcura interpretari. Erant enim ea carmina verbis antiquis, partim Latinis, partim Græcanicis compoſita; unde Fabius Pictor, ſeu quiſquis ille ſit apud Scaligerum, & Dacerium in Feſtum lib. I. ad finem, ſcripſiſſe fertur Sacerdotes laudatos vix intellexiſſe carmina, quæ in Tripudiis canebant, ſicuti etiam refert Alexander Genial. lib. I. cap. 26., qui ſubiicit nomen Veturii Mamurrii, qui fabricaverat cætera Ancilia inſtar ejus, quod è Cælo delapſum dicebant, in dictis hymnis Saliaribus prolatum fuiſſe.

Erat & munus Vatis alios verſus in hominum laudem componere. Hos appellabant axamenta ab *axare*, quod eſt nominare ex Feſto lib. I., ſeu ut Scaligero placet, quod in axibus, ſeu tabulis deſcriberentur; neque vocem *componebantur*, qua utitur Feſtus, pro *Canebantur* accipio, ut arriſit Dacerio, aliiſque Feſti interpretibus, nam quamvis Saliaria carmina vetuſtiſſima eſſent, neque eis quicquam addere, aut demere liceret, tamen id intelligitur de hymnis in honorem Deorum. Cæterum carmina, quæ in virorum illuſtrium, & optime meritorum laudem Salii canebant, Vates Collegii componebant ut Feſtus ſcribit, & patuit ex ſuperius relatis, quibus probavimus Imperatores conſtituiſſe, eorum nomina in hymnis Saliaribus adnotari: quod feciſſe ajunt Germanicum, & ipſum ſequutos Principes, quorum nomina in hymnis antiquiſſimis ſcripta proculdubio non erant.

Magiſtri vero eidem Collegio præpoſiti, nemo antiquorum quod ſciam meminit præter Alexandrum, qui fortaſſe id nomen legit apud veteres ſcriptores non recogitans Magiſtrum, & Præſulem eundem fuiſſe, ſicuti viri docti & priſci Cippi probant. Quanti autem id Sacerdotium fuerit, inde licet æſtimare, quod Appius Claudius Triumphalis,

Digitized by Google

lis, Scipio Africanus & L. Bibaculus inter Salios eſſe, & hæc ſacra attrectare ſibi gloriæ duxere. Et Titus Veſpaſianus quod numero Saliorum fuiſſet cooptatus, gratias egit. Antoninus quoque Philoſophus natus octo annos, ab Hadriano Cæſare inter Salios adnumerari laudi duxit ex Livio 4. Dec. lib.7. Julio Capitolino in vita Antonini, Alexandro lib. 1. cap.26. ad finem, & aliis.

Quare patet Romanos hæc ſacra, & hoc Sacerdotium Numæ tribuiſſe, quod is primum Romæ ea inſtituerit; ſic & Veſtæ ſacrificia, & Fecialium Collegium illi conceſſerunt, tametſi appareat liquido eum Regem Veſtales ab Albanis mutuaſſe, & Feciales ab Ardeatibus, ſeu ab Æquicolis,ut produnt Livius lib. 1.,Dionyſius lib. 2. qui ſubdit Romanos hæc affirmaſſe, quod Numa primum laudata ſacra Romam tranſvexerit, ſicuti alibi fuſius diximus. Sed cur Ennius rerum antiquarum inveſtigator, Numam Saliorum inventorem fecerit, facile eſt intelligere. Is ſanè verſibus jam dictis prodidit eundem liba, & ſic ſacra omnia, & Tutulatos, ideſt Flamines, qui tectis capitibus ſacrificarent, conſtituiſſe: quæ ſi abſolute accipias, falſa ſunt, quum pateat Romulum more Albanorum, & Latinorum, ſacra quæ inſtituit, & longo ævo Romæ durarunt, feciſſe, & Flamines ſub Albanis Regibus fuiſſe teſtimonio Servii ad lib. 2. & 8. Æneidos: cui conſentit Varro lib.4. de Lingua Latina, qui hæc habet: *Flamines quod in Latio capite velato erant ſemper, ac caput cinctum haberent filo, flamines dicti*: necnon Feſtus lib.6. ex quibus palam eſt, priuſquam Roma conderetur Flamines, Apices, Pileum, Tutulum, & cætera ornamenta Sacerdotum, quæ Ennius Numæ tribuit, Albæ, Laurenti, Lavinii, & in univerſo Latio fuiſſe, quod & canit Virgilius lib. 3. Æneidos.

Et capite ante aras Phrygio velamur amictu.

ubi Donatus, Servius, & Probus notant, Æneam Flamines, & cætera eorum inſignia in Latium tranſvexiſſe, & velato capite ſacra fieri inſtituiſſe, quod & produnt Feſtus lib. 17. voce Saturnia: *Nam Italici* (Latini ſcilicet) *auctore Ænea velant capita, quod is quum rem divinam faceret in littore Laurentis agri Veneri Matri, ne ab Ulyſſe cognitus interrumperet ſacrificium, caput adoperuit, atque ita conſpectum hoſtis evitavit*: ac idem Virgilius ita pergens:

Et

Digitized by Google

Et poſitis aris, jam vota in littore ſolvens
Purpureo velare comas adopertus amictu
Ne qua inter ſanctos ignes in bonore Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omnia turbet.

Hæc ſcripſimus, non ad aſſerendum Armiluſtrium hoc die in Calendario notato apud Latinos agitatum, ſed ut exponeremus Salios, & ſacra cum armis, & ſaltatione hoc die facta, à Latinis in Romanos propagata; quo vero die in Latio ita ſacrificaretur, mihi non liquet, ſed veroſimile eſt die feſto Martis, Herculis, & Penatium ex ſuperius adductis.

Calendarium Ruſticum apud Roſinum, & alios, hoc menſe ſacrificia Libero oblata docet. Diximus Cap.16. Vindemiarum tempore plura ſacrificia Libero, Diiſque aliis facta, quæ Feſtus numerat: is enim lib.17. prodit tempore, quo uvæ calente prælo premebantur, conſueviſſe veteres ſuffimenta offerre Diis, Libero maxime, quæ facta erant ex faba, milioque molito mulſo ſparſo: eodemque libro, voce *Sacrima*, tradit pro primis uvis ſolitum ſacrificari Libero, muſto in amphoram indito, ut ita Bacchus vaſa, & vinum conſervaret. Sic paulò ante vindemias pro vaſis preſſoriis Libero ſacra faciebant ex Columella de Re Ruſtic.lib.12.cap.18., qui præterea lib. 2. cap. 22. ſcribit, nec ſementem adminiſtrare, nec fænum ſecare, vincire, aut vehere, nec vindemiam cogere Antiquis licuiſſe, aut oves tondere, niſi Catulo res divina facta foret, ideſt catulo, Caniculæ ſacrificatum eſſet, ut explicat Tiraquellus ſcholiis in Alexandrum Genial. lib. 3. cap.12.. Verumtamen laudata ſacra privata erant. Quamobrem ex Calendario habemus, & publica ſacra hoc menſe, quo Vindemia cogebatur Libero facta, atque per rura, & compita ludos actos, in quibus in pratis edebant, & bibebant, per unctos utres ſaltabant, oſcilla arboribus ſuſpendebant, ut tabula interpoſita pendentes funibus ſe jactarent ex Feſto voce *Oſcilla*, & Antonio Auguſtino in notis ad eundem; Saturnios & verſus, ac hymnos in laudem Liberi canebant; hujus rei meminit Virgilius Georgic. lib.2.

. . . . . . *Et veteres ineunt proſcenia ludi*
Præmiaque ingentes pagos, & compita circum
Theſeidæ poſuere: atque inter pocula læti

Mol-

Mollibus in pratis unctos ſalvere per utres
Nec non Auſonii Troja gens miſſa Coloni
Verſibus incomptis ludunt, riſuque ſoluto:
Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis
Et te Bacche vocant per carmina læta, tibique
Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu,
Hinc omnis largo pubeſcit vinea fætu.

Unde Donatus, atque Servius arguunt vindemiæ tempore hæc in Latio, & Romæ celebrata, & ludicra, & turpia agitata, membra quoque virilia de floribus facta in quadriviis ſuſpenſa fuiſſe, quin delata per compita, & Urbes cum pompa ſacrorum ex dictis in Cap. 15.. Libero ſacrificatum à Sacerdotibus hirco, ſeu capro, interdum capra in omnibus oppidis, quod caper vitibus noceat ex Varrone lib. 1. de Re Ruſtic.cap.2., Ovid.lib.1.Faſtor., Martial.lib.5. Epig.71. & aliis, quin Servius ſubdit utres ipſos unctos, inter quos in pratis ludi gratia ſaltabant, ex pellibus caprorum fieri conſueviſſe, ad inſultationem etiam mortuorum caprorum Baccho infeſtorum, ne quid ex his eſſet, quod non ſentiret injuriam. Latini nunc, Setini præſertim, aliquid priſci moris ſervant, quum hoc menſe, & inter vindemias in vineis ipſis ludos agant, ſaltent, oſcilla ſuſpendant trabibus, vel arboribus, laſciva licentia, & procacia decantent, & carnes capræ, ſive capri peculiariter edant, quæ ni fallor ad Liberalia menſis Octobris referri poſſunt.

Sunt qui hoc menſe Bacchanalia agitata fuiſſe opinentur ex Blondo lib. 2. de Rom. Triumph. Ludovico Carrione Schol. in 2.lib. Argonautic. Valerii Flacci, Roſino lib. 4. Antiq. cap. 17.. Alii ex Calendario ruſtico referunt ea ſacra menſe Novembri peracta; etenim Calendarium hæc habet: *Antheſteria hoc menſe agebantur, quæ & Bacchanalia*: ſic Gyraldus in ſuo Calendario ex Conſtantino de Re Ruſtic. annotat; quippe quum hæc improba ſacrificia, Græcia in honorem Bacchi reperiſſet, & Athenis primum celebrata eſſent, ubi Novembri menſe tanta licentia Baccho litatum ferunt, ut Nympharum, & Heroum habitu bacchantes prodirent in forum, & ad ſonum tibiæ cum laſciva geſticulatione compoſitis modis pſallerent, vinumque cum bellariis, libaque ex melle, magna bibendi licentia circumferrent;

ferrent; mulieres vero Mænades dictæ, & Viri ornati hedera, crine fluxo, lymphatis animis debacchatæ, pellibus indutæ cum tyrſis veluti inſanientes, & furore afflatæ obvios ferirent, uti patuit ex verſibus Virgilii mox adductis & Servio ibidem, & notant Plutarchus in Theſeo, Lucianus in Baccho & alii: hinc ajunt eodem menſe Romæ, & in Latio acta Bacchanalia è Græcia tranſportata.

Sed an Bacchanalia apud Latinos priſcos fuiſſent, incertum eſt. Ovid.lib.6. Faſtor. in verſibus Cap.13. à nobis recitatis prodit Evandrum cultum Liberi Patris, & Mænades ejus Sacerdotes, ac ſacra, quæ Bacchanalibus fiebant, in Latium tranſvexiſſe. Sic Voſſius de Idololatr. lib.1. cap.12. ſcribit Bacchanalia feſta Latinis Ænea antiquiora fuiſſe, quin Liberum inter Deos Indigetes Latinæ gentis annumeratum. Apud Plutarch. etiam in Pararell. cap.39. hæc habentur: *Quum Bacchanalia Romæ fierent Aruntius à nativitate hydropota, Dei vires flocci faciens illius ira ebrietate captus, filiam Medullinam corrupit obſcuro quodam loco, ea vero dempto violatori anulo, parentem agnovit: quum major annis facta eſſet, intellecto flagitio, Patrem inebriat, & coronatum ad fulguris aram ducit, ibique fuſis lacrymis, virginitatis inſidiatorem mactavit, ita factum ſcribit Ariſtides 3. rer. Italic.*. Quæ probant Bacchanalia vetuſtiſſima Romæ, & in Latio fuiſſe, & hunc Deum maxime cultum, ne iratus ebrios contemptores faceret, quod à paucis notatum eſt.

Neque ab his diſſentit Livius Dec. 4. lib. 9. qui Græcum ignobilem, & Vatem Bacchanalia in Etruriam, & dein Romam ſub Poſthumio Conſule tranſtuliſſe affirmat. Nam Livius loquitur de Bacchanalibus novo, & peregrino ritu inductis; Romæ enim Mænades Bacchi Miniſtræ, & Sacerdotes erant, quæ furiis agitatæ ſacrum faciebant in luco Semelis ubi Arcades ſacra inſtituiſſe ferebant, uti Ovid. lib.6. Faſtor. canit. At in eo luco ſolæ fœminæ erant, & Baccho litabant, ac Bacchanalia die non nocte celebrabant, in aliis vero Latii Oppidis conſtat Martio menſe, Octobri quoque Bacchanalia interdiù facta eſſe, & ſacra, tanta temulentia, & verborum licentia, ut ipſe Varro alioquin Deorum inanium cultor, fieri ea non potuiſſe ſcripſerit niſi mente commota teſte Divo Auguſtino lib. 6. de Civit. Dei cap.9. & lib.7. cap.21.

Qq Neſa-

Nefaria autem ſacra, quæ ſacrificulus Græcus in Hetruriam transvexit, partim compoſita ex iis, quæ Athenis, partim ex iis quæ in monte Parnaſſo alternis annis agebantur, ubi & Satyrorum frequens cernebatur cætus, itemque cymbalorum crepitus, & voces propriæ eorundem Satyrorum exaudiebantur teſte Macrobio Saturnal. lib. 1. cap. 18., nocturna erant, & Hyctileja appellata, in quibus fœminæ Bacchantes, & nudæ, mixtæ viris nudatis, qui viginti annos non excederent, ſacris operabantur cum ſtrepitu, & ululatu, ita ut ingenuarum, & mulierum conſtupratarum gemitus, & voces exaudiri non poſſent, quæ quidem ſacra maximorum ſcelerum cauſa, & ſeminarium erant, uti Servius ad lib. 4. Æneidos prodit & Livius, qui ideò Hiſpalam Conſuli Poſthumio originem ſacrorum expromentem, ita loquentem inducit: *Primo ſacrarium id* (ideſt Lucum Semelis qui mendosè apud eum legitur *Similae*) *fœminarum fuiſſe, nec quemquam virum eo admitti ſolitum; tres in anno ſtatos dies habuiſſe, quibus interdiu Baccho initiarentur Sacerdotes, invicem Matronas creari ſolitas; Pacullam Miniam Campanam Sacerdotem omnia tanquam Deum monitu immutaſſe, nam & viros eam primum ſuos filios initiaſſe, & nocturnum ſacrum ex diurno, & pro tribus in anno diebus, quinos ſingulis menſibus dies initiorum feciſſe, ex quo in promiſcuo ſacra ſint, & permixti viri fœminis, & noctis licentia acceſſerit; nihil ibi facinoris, nihil flagitii prætermiſſum, plura virorum inter ſeſe, quam fœminarum eſſe ſtupra, &c.*

Merito itaque Romani perpetuo Senatus Conſulto, non in Urbe mòdo ſed per omnem Italiam Bacchanalia hujuſcemodi coercuerunt Livio teſte, edictumque refert Raphael Fabrettus Inſcrip. cap. 6. pag. 426. & 429. apud quem plura de his. Bacchanalia vero diurna, de quibus verba fecimus, illibata perſeverarunt.

CAPUT

CAPUT XXIII.

De diebus Feſtis menſis Novembris,

PAlam eſt Latinos populos Novembri menſe plures agitaſſe ſolemnitates: quas nam vero,& quibus diebus, mihi non conſtat. Calendarium enim plura indicat ejus menſis feſta, quæ Romanis peculiaria fuiſſe arbitror: ea tamen ſolum Latinis communia puto, quæ notantur ſeptimo Idus Novembris, quo die mundum patere jactabant, & Diti, ac Proſerpinæ ſacra faciebant, uti diximus Cap. præcedenti, & Idibus ejuſdem, quo Epulum ſacrum indictum apparet. Id Epulum Jovi in ejus Templo apparabatur hoc die, qui illi ſacer erat. Idus enim omnes Jovi dicatas meminimus Capite 15., quum moris eſſet apud Latinos nonunquam placandæ alicujus Dei iræ cauſa, ſæpe etiam majoris erga Numina venerationis gratia, convivium ſacrum in æde ejus Dei exhibere. Sic feriis Jovis Latiaris nempe Latini Regis, Latium univerſum in Ferentinæ Luco, & in Albano monte epulum ſacrum inſtituiſſe patuit ex relatis Cap.8.; ita etiam apud Aram maximam Herculis, Evandrum, dein Latinam gentem, & Romanam conſueviſſe die feſto ejus Dei Epulum exhibere dictum eſt Cap.12., & fuſius de hoc ritu dicemus, quum de Templo Herculis Setini verba facturi ſumus. Vacunalibus etiam, quæ feſta inſtituta ſunt in honorem Vacunæ Sabinorum, & Latinorum vetuſtiſſimæ Deæ, quam alii Victoriam, alii Minervam, Dianam,vel Cererem, plerique incertam Deam faciunt, ut videre eſt apud Varronem lib.1. Rer. Divin. quem refert Porphyrion Horatii interpres apud Roſinum Antiq. lib.2. cap.9. His inquam feſtis Epulum ſacrum à priſcis Latinis ei Deæ exhibitum probant Commentatores Ovidii, & præcæteris Paulus Marſus in lib.6. Faſtor. ad ea carmina.

Ante focos olim ſcamnis conſidere longis
Mos erat, & menſæ credere adeſſe Deos.

Huic mori alludit Virgilius lib.8. Æneidos ubi inducit Evandrum Epulum apud Aram maximam Herculis Æneæ, & ſociis exhibentem, & ita pergit:

Interea ſacra hæc (quando huc veniſtis amici)
Annua, quæ differre nefas, celebrate faventes
Nobiſcum, & jam nunc ſociorum aſſueſcite menſis.
Hæc ubi dicta, dapes jubet, & ſublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipſe ſedili:
Tunc lecti juvenes certatim, aræque Sacerdos
Viſcera toſta ferunt taurorum, onerantque caniſtris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque miniſtrant.
Veſcitur Æneas ſimul, & Trojana juventus
Perpetui tergo bovis, & luſtralibus extis.
Poſtquam exempta fames, & amor compreſſus edendi
Rex Evandrus ait: non hæc ſolemnia nobis,
Has ex more dapes, hanc tanti Numinis aram
Vana ſuperſtitio, veterumque ignara Deorum
Impoſuit ſævis, hoſpes Trojane, periclis
Servati facimus, meritoſque novamus honores.

Hinc Donatus, Servius, & Probus notant Arcades ſeu Pelaſgos hunc morem ſacras dapes, & ſolemne Convivium Diis exhibendi in Latium tranſvexiſſe, quamvis Cirinus de Urbe Roma lib. 1. cap. 33. ad principium, harioletur Trojanos ejus celebritatis auctores. Hujus rei cauſa ferunt Romulum quum Urbem Romam condere vellet, die, quo Pomœrium ſignavit, Epulum Diis feciſſe, ſicuti prodit Dionyſius in 1. Antiq. Roman.. At quum pateat ex Livio lib. 1., Romulum more Albanorum Diis ſacrificaſſe, palam fit, & Epulum ſacrum eo die exhibuiſſe, ne Albanos ritus præteriret, quod Cirino in loco jam adducto arridet, is enim ex Virgilio refert, Trojanos, quum Lavinium conderent, ſacras dapes, & ſacrificia inſtauraſſe.

Porro & Iſidorus lib. 5. de Temporib. notat Latinos ſingulis Idibus cujuslibet menſis ſacras Epulas inſtituiſſe: en ejus verba: *Quidam autem Calendas à colendo appellatas exiſtimant, apud veteres enim omnium menſium principia colebantur, ſicut & apud Hebræos. Idus autem plerique Latinorum ab edendo dictas putant quod ii dies apud veteres epularum eſſent.* Itaque quum Latini Jovem maxime colerent, ſinguliſque Idibus ſacras Epulas celebrarent, facile eſt, prius quam Roma conderetur, his Idibus ſolemne Epulum Jovi exhibuiſſe,
quod

Digitized by Google

quod innuit Valerius Maximus lib. 2. cap. 1., qui narrat Jovem eo Epulo in lectulum, Junonem, & Minervam in ſellas ad cœnam invitatas, ut ita oſtenderent vetuſtiſſimas mulieres ejus Regionis accolas ſedentes epulatum iviſſe, unde colligitur id epulum vetuſtiſſimum fuiſſe; erant enim eo die in Templis Jovis Lectiſternia parata, ita dicta à ſtratis lectis, quibus ordine diſcumbebatur ex Wolfgango Lazio in Commentariis lib. 11. cap. 5., quamvis ante Romam conditam ſedilia diſpoſita eſſent, uti diximus Cap. 12.. Ibidem ex victimis, & immolatis convivium Numini exhibebatur, & Juppiter in lectulo jacens, Juno, & Minerva in ſellis ſedentes apud ſacram menſam quaſi epulaturi locabantur; unde Arnobius lib. 7. Adverſ. Gent. id ipſum irridens ait: *Jovis Epulum cras eſt. Juppiter enim cœnat, magniſque implendus eſt dapibus, jamdudum inedia geſtiens anniverſaria interjectione jejunus.*

Sacerdotes dapes, & vina menſæ per ordinem apponebant, dein tollebant, & ad eorum menſas haud longe diſpoſitas ferebant, & ſic læti coronis, & lemniſcis redimiti loco Jovis, Junonis, & Minervæ multa nocte, poſtquam populus receſſiſſet, ſacratos cibos comedebant, ſicuti probant carmina Virgilii jam relata, & produnt Arnobius, Lazius, Hoſpinianus lib. 2. de Origin. Feſtor. cap. 28., & alii. Hujus Epuli Jovis meminit paſſim Livius lib. 5. & 7. Dec. 3. item lib. 1. Dec. 4. & lib. 10. Dec. 10.. Neque id Epulum Romæ poſt Reges exactos inſtitutum ut videtur erui ex eodem Livio 4. Dec. lib. 3. ubi memorat Triumviros Epulones factos C. Licinium Lucullum, T. Romulium, qui legem de creandis his tulerat, & P. Porcium Leccam, quibus, ut Pontifici lege datum togæ prætextæ habendæ jus, quo fit tunc primum creatos Epulones, & ſic Sacerdotes, qui Epulas indicendi Jovi, cæteriſque Diis poteſtatem haberent ex Feſto lib. 5.; quandoquidem Romani ſcriptores id quoque Feſtum, & Sacerdotium confuderunt, nam Livius meminit quidem ejus Sacerdotii, ſed initium Epuli Jovis tacet, & Dionyſius lib. 4. Tarquinium Superbum in Albano Monte feriis Latinis id inſtituiſſe affirmat, quamobrem Cirinus lib. 1. cap. 33. de Urb. Rom., & alii, eum Regem hujus Epuli auctorem faciunt, inſulſe quidem, quum conſtet Tarquinium Superbum Templum Jovi Latiali condidiſſe, & edixiſſe Latinos ferias ſuas,

quas

quas ii Populi jam Latino Regi ſub Jovis Latialis cognomento in Luco Ferentinæ ſacraverant, in ea æde agitare, ſacrificio & Epulo peractis, ſicuti jampridem ſolitum fuerat, uti patuit ex Feſto, & aliis jam relatis Cap. 8.; quamobrem idem Feſtus lib. 5., ut proderet id Sacerdotium Roma antiquius fuiſſe, hæc retulit: *Epulonos dicebant antiqui, quos nunc Epulones dicimus: datum autem eſt his nomen, quod Epulas indicendi Jovi, cæteriſque Diis poteſtatem haberent*; hinc colligitur id Numen, & Sacerdotium Latinis priſcis innotuiſſe, ii enim *Epolas*, quas nunc Epulas dicimus ſcribebant, unde *Epolones* vocabant eos, qui ſacris Epulis præſidebant, uti Scaliger, & Dacerius advertunt: quibus ſi addas morem ſacrum Epulum Jovi, Herculi, Vacunæ, Latino Regi, & ſimilibus Diis indicendi, Latinam gentem ante Romam conditam ab Arcadibus, Pelaſgis, ſeu Trojanis accepiſſe, res in propatulo eſt, niſi dicatur eam gentem Sacerdotibus, qui illas ſacras dapes tractarent, Diiſque ad convivium invitatis miniſtrarent, caruiſſe, quod nemo arbitrabitur.

Cæterum Roma quæ Magiſtratus, & Sacerdotes ſuos honoribus ſemper augere ſtuduit, ut hoc Sacerdotium à cæteris ſegregaret, tribuſque primum, dein quinque, quin ſeptem viris hunc honorem concederet, togaque prætexta eos decoraret, Sacerdotibus Jovis, Herculis, cæterorumque Deorum Epulum indicendi poteſtatem inhibuit, ut eam ſoli Triumviri Epulones aſſequerentur, ſi Hoſpiniano de Origin.Feſtor.lib.2.cap.28. credimus, quod tantummodo Livius affirmat & Cicero lib. 3. de Orator. & in Oratione de Haruſp. Reſponſ. quæ ſatis ſint in re vetuſtiſſima.

CAPUT

CAPUT XXIV.

De Feſtis diebus menſis Decembris.

NOnis Decembribus Faunalia erant, ideſt feſtæ ſolemnitates Fauni Latinorum Regis magno apparatu celebrari ſolitæ, quas ſic deſcribit Horatius lib. 4. Ode 18.

Faune Nympharum fugientium amator,
Per meos fines, & aprica rura
Lenis incedas, abeaſque parvis
Æquus alumnis.
Si tener pleno cadit hædus anno,
Larga nec deſunt Veneris ſodali
Vina crateræ, vetus ara multo
Fumat odore,
Ludit herboſo pecus omne campo,
Quum tibi Nonæ redeunt Decembres,
Feſtus in pratis vacat otioſo
Cum bove pagus.
Inter audaces lupus errat agnos;
Spargit agreſtes tibi ſilva frondes,
Gaudet inviſam pepuliſſe foſſor
Ter pede terram.

Ad hæc Acron, & Porphyrion ejus ſcholiaſtes ſcribunt id feſtum in Urbibus, quin ſilvis, & pratis celebratum à Villarum Dominis, pecorum, & armentorum cuſtodibus, univerſoque Latio; quandoquidem præſepia frondibus ornabantur, Coloni, & Ruſtici omnes in ſilvis, & pratis edentes, ac ludentes feriabantur. Aram ejus Numinis veterem vocat Horatius, ut innueret eam Roma vetuſtiorem; ſuper aris Fauni hoc die multa urebantur thura, & mira ſuffimenta ſpirabant. Hoſtia erat hædus vino inſperſus, Horatio teſte, interdum agna, ut cecinit Ovidius lib. 2. Faſtor:

Cornipedi Fauno cæſa de more capella
Venit ad exiguas turba vocata dapes,

ex quibus arguitur fuiſſe ſacras Epulas hac nocte exhibitas, & feſta pervi-

pervigili anniverſario culta ex Alexandro Genial. lib. 3. cap. 18. ad finem.

Diximus Cap. 4. Latinos priſcos Faunum ſuum Regem Inuum, Pana, & Silvanum nuncupaſſe, ejuſque ædem ſacram, Caſtrum Inui dictam, in agro Laurentino locaſſe, ubi Oraculum Fauni erat, & Saturniis carminibus reſponſa dabantur, quamobrem facile eſt hoc die Latinam Gentem in eo templo ſacra feciſſe, & Sacerdotes Dei Oracula conſuluiſſe; erant enim in ea æde ſacra Sacerdotes, Faunii dicti, qui divino afflatu carmina canere Saturnia, & Oracula reddere credebantur, ejus rei meminit Ennius lib. 1.

. . . . ſcripſere alii rem
Verſibus olim quos Faunei, vateſque canebant

ubi Hieronymus Columna notat, Saturnios verſus nuncupatos, quod Saturni ævo Fauni, & Vates eo metro in edendis oraculis uterentur, quod Varroni adverſatur, qui lib. 6. de Lingua Latina hæc habet: *Fauni Dei Latinorum, ita ut Faunus, & Fauna ſint in verſibus, quos vocant Saturnios: In ſilveſtribus locis traditum eſt ſolitos fari, à quo fando, Faunos dictos*: Feſtus etiam lib. 17. *Verſus quoque*, inquit, *antiquiſſimi, quibus Faunus fata ceciniſſe hominibus videtur, Saturnii appellantur*: & Servius ad lib. 8. Æneid. ad illud:

Hæc nemora Indigenæ Fauni, Nymphæque tenebant.

ſane, ait, *ſicuti ſupra dictum eſt Faunus Pici filius dicitur, qui à fando, quod futura prædiceret Faunus appellatus eſt, quorum reſponſa ferebantur: hic Faunus habuiſſe filiam dicitur ornatam caſtitate, & diſciplinis omnibus eruditam, quam quidem, quod nomine dici prohibitum fuerat, Bonam Deam appellatam volunt; hos Faunos, etiam fatuos dicunt, quod per ſtuporem divina pronuncient: quidam Faunum appellatum volunt quem nos propitium dicimus.*

Ex prædictis igitur intelligitur Fauni Sacerdotes, qui oracula verſibus Saturniis redderent, templo ejus Dei miniſtraſſe, & Faunios appellatos, quod imitarentur Deum, quem Saturnio carmine fata ceciniſſe prodebant: quo fit Oraculum Fauni, quod Virgilius, & alii Cap. 4. adducti memorant, fuiſſe potius inventum fraude Sacerdotum, qui Oracula quaſi Dei afflatu correpti edere Saturniis verſibus popu-

populo ſimulabant, ſic Delphica Oracula, Poëtæ fani miniſtri carminibus prodebant ut ex Socrate colligit Antonius Vandale de Oracul. diſſert. 2. pag. 243. & 257., & Plutarcho in libro de Pythiæ Oraculis, quibus alludit Lucretius lib. 5. his verſibus:

. . . multa bene, ac divinitus invenientes
Ex adytis tanquam cordis, reſponſa dedere
Sanctius, & multo certa ratione, magis quam
Pythia quæ Tripode ex Phœbi, Lauroque profatur.

Hinc nota digni videntur Scaliger, Oiſelius, & Sponius doctiſſimi viri, quorum ille in Conject. ad Varronem de Ling. Latina pag. 78. & 130. putat Faunios fuiſſe Sacerdotes à priſcis Latinis Saturno dicatos, qui in ejus Dei templis oracula carminibus redderent, quum conſtet ex nomine ipſo, ex prædictis, & Ennio, quem Scaliger adducit, Sacerdotes laudatos Fauno ſacratos; licet facile ſit eoſdem Saturni templis à Fauno vivente addictos, quod prodant Faunum primum in Latio Saturno Avo, & Pico Patri nefaria ſacra inſtituiſſe, ac Lucos ſacros, & Fana dicaſſe, ut auctor eſt Probus Scholiaſtes Virgilii relatus per Beroaldum ad Suetonium in Julio Cæſare cap. 53., & Curtium Symphorianum de Hortis lib. 4. cap. 1., & teſtatur Lactantius de Falſ. Relig. lib. 1. cap. 15., & fuſius cap. 22., ubi refert hæc Lucilii carmina:

Terricolas Lamias Fauni, quas Pompiliique
Inſtituere Numæ, tremit has: hic omnia ponit.
Ut pueri infantes credunt ſigna omnia abena
Vivere, & eſſe homines: ſic iſti omnia ficta
Vera putant, credunt ſignis cor ineſſe abenis
Pergula Pictorum: veri nihil: omnia ficta.

quibus verſibus Poëta priſcos Latinos, & Romanos à Fauno, & Numa Deorum inanium cultum accepiſſe teſtatur. Oiſelius vero in Theſaur. Selector. Numiſmat. Tabul. 48. num. 5. memoriæ mandavit Bonam Deam fuiſſe peculiare Numen Africæ, eandemque & Junonem in pluribus cippis vetuſtis cæleſtem, & Bonam Deam appellatam, quaſi faventem, & propitiam, quam ideo Sponius ſect. 3. poſt num. 46. Carthagine cultam affirmat, plures exhibens tabellas ei Deæ votivas ex Africa advectas. Horum quippe lapſus ſatis dilucidus eſt,

quum Servius loco adducto, Macrobius, aliique antiquiſſimi ſcriptores teſtentur Bonam Deam, Faunam Fauni Regis ſororem, filiam, vel uxorem fuiſſe, neque obſtat Carthaginenſes Junonem quoque Bonam Deam appellaſſe, id enim feciſſe dicendum eſt, ut eo titulo honorarent Junonem, quam etiam Cæleſtem, Salutarem, Reginam, Natalem, & Lucinam nuncupabant: jure ergo merito utrumque ſcriptorem carpit Fabrettus Inſcript. cap.9. fol.667.

Ligorius in MSS. Otthobonianis verbo *Flamini Laurentinali* refert Laurenti fuiſſe flaminem Lucularem ita dictum, quod ejus curæ datum eſſet Lucos ſacros Pici, & Fauni cuſtodire, & in illis ſtatis diebus ſacra facere, de quo tamen alibi dicam prolixius. Turnebus Adverſ.lib.8.cap.16. notat Fauno, oleaſtrum arborem ſacram fuiſſe, in qua, ut diximus Capite 4. apud ædem Laurentinam poſita, è naufragio ſervati, vota & donaria ſuſpendebant Virgilio lib. 12. Æneidos teſte.

Sic Tomaſinum de re antiquaria optime meritum hallucinatum arbitror, is enim cap.26. de Donar. Silvanum Pana credit, & à Fauno diſſimilem, quod Silvano porcus mactaretur ex Juvenal. Satyr. 6.

Cædere Silvano porcum . . . .

& Martianus Capella de Nupt. Philolog. & Mercur. lib. 1., Silvanum, & Faunum diverſa Numina faciat his verbis: *Ipſam quoque terram, quæ hominibus invia eſt, reficiunt longævorum Chori, qui habitant ſilvas, nemora, Lucos, lacus, fontes, ac fluvios, appellanturque Panes, Fauni, Foni, Satyri, Silvani, &c*; quandoquidem etſi liqueat Faunum, & Pana antiquos confudiſſe, planum eſt Faunum, Silvanum, & Pana à Latinis dictum; erat enim Faunus præcipuus agreſtium Deus, & Silvicola, ac in Silvis fari credebatur, uti ex Varrone, & aliis jam probavimus, quamobrem Silvani nomen à Silvis ſortitus videtur, quin quoties ex Silvis vox aliqua nocturna erupiſſet, ea Silvani eſſe putabatur, teſte Julio Obſequente libro de Prodig. cap.8. *Silentio noctis ex Silva Arſia ingens vox audita, quæ Silvani credita eſt fuiſſe*, quem eundem, ac Faunum prodit Dionyſius lib. 5., qui referens bellum cum Tarquiniis actum, quo Brutus interiit: *Inter hujuſmodi cogitationes*, inquit, *& colloquia circa pri-*

Digitized by Google

primam fere vigiliam, è ſilvâ, ad quam caſtra habebant, vox quædam ad utriuſque partis aures appulſa eſt, ſive ea herois fuit, cujus iſtud fanum eſt, ſive Fauni quem vocant, ad hunc enim auctorem Romani ſolent referre panicos terrores, omniſque generis ſpectra, nam ſi quando inſolitæ ſpecies oculos hominum exterrent, voceſve divinæ aures eorum percellunt, Numini huic opus illud tribuunt: Hæc Dionyſius, quamvis Cotta apud Ciceronem omnino neget Faunos, aut eorum vocem unquam auditas fuiſſe.

Inuus, ſeu Incubus dicebatur Faunus, Silvanus etiam ex gloſſario veteri & Divo Auguſtino lib. 15. cap. 22. de Civit. Dei: *Quoniam*, ait, *celeberrima fama eſt, multique ſe expertos, vel ab iis, qui experti ſunt, de quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe confirmant, Silvanos, & Faunos, quos vulgo Incubos vocant, improbos ſæpe extitiſſe mulieribus, & earum appetiiſſe, ac peregiſſe concubitum*: Idem patet ex Joanne Meurſio Criticar. Exercit. par. 2. cap. 1., quin quum à ſacris Bonæ Deæ Fauni uxoris, viri arcerentur, ſicuti fuſius diximus Capite 4., ita & mulieres Silvano, qui Faunus vir Bonæ Deæ fuerat, ſacrificare non licebat, ut notat vetus Scholiaſtes Juvenalis Satyr. 6. ad verſ. 466.

Pecorum, & agrorum Deus Silvanus dicebatur teſtimonio Virgilii Eglog. 1.

> *Venit & agreſti capitis Silvanus honore*
> *Florentes ferulas, & grandia lilia quaſſans.*

& lib. 10. Æneid. ubi eum notat arvorum, pecoriſque Numen nec non Ovidii lib. 2. Faſtor.

> *Pana deum pecoris veteres coluiſſe feruntur.*

Luporum exactorem ac fulguritarum arborum eundem nuncupat Lucilius apud Nonium Marcellum de Propriet. Sermon., & Tutorem finium, & terminorum Horatius Epod. Ode 2.

> *Qua muneretur te Priape, & te Pater*
> *Silvane Tutor finium.*

Ejus rei cauſſa omnis poſſeſſio apud priſcos Latinos tres Silvanos habebat, quorum unum domeſticum poſſeſſioni conſecratum, ſecundum agreſtem Paſtoribus addictum, alterum orientalem dicebant, cui erat in confinio lucus poſitus, ut memoriæ mandavit

 Cato

Cato in libro de Limitib. Agror. apud Servium lib. 8. Æneidos ad illud:

. . . *Arvorum, pecoriſque Deo* . . . . .

Urbicus etiam de Finib. Agror. & Voſſius de Idololatr. lib. 2. cap. 13.

Hæc quæ de Silvano memorabant, & Fauno conveniſſe ſcimus, nam & is pecorum Deus erat, uti ex Horatio diximus, & Ovidius occinit:

Agreſti Fauno ſuppoſuiſſe pecus.

& Virgilius eum facit Faunorum, Satyrorum, & reliquorum agreſtium Numinum Patrem ex Roſino lib. 2. cap. 17., quod memorat Plutarchus in Numa, qui Picum, & Faunum Satyrorum generi æquiparat, aitque Romanos eos errantes ſpiritus exiſtimaſſe. Tutorem quoque finium, & poſſeſſionibus conſecratum eum Deum viri docti putant, quod in formula Solitaurilium ad luſtrandű agrum Ambarvali ſacrificio, & aliis precationibus Ruſticorum, Marſpiter appellaretur, qui idem ac Silvanus, & Faunus erat, ita dictus, quod eum à Marte oriundum crederent, à Pico ſcilicet, quem Martis cognomento Latini venerabantur, uti ex Dionyſio lib. 1. probavimus, & produnt Cato de Re Ruſtic. cap. 38. & 83., aliis 141. *Votum pro bobus, ut valeant ſic facito Marti Silvano in ſilva interdiu &c.* Scaliger & Dacerius ad Feſtum lib. 11. voce *Marſpedis*, Adrianus Turnebus lib. 29. Adverſ. cap. 23., licet is Silvanum, & Martem eundem eſſe affirmet.

Utrumque etiam confundit Gratius in Cynegeticis;

. . . . *Latii cultor, qui Faunus amœni*
Mænaliuſque puer, domitrix Idea Leonum
Mater, & inculto Silvanus termite gaudens.

Porrò & Auctor Origin. Gent. Rom., Servius, & alii Cap. 4. adducti, & Lapis vetuſtus apud Ligorium in MSS. Otthobonianis verbo *Antro Aventino*, dilucide probant priſcos Latinos, & Romanos, Faunum, Silvanum, & Pana nuncupaſſe, quamobrem eleganter Meurſius Critic. Exercit. par. 2. lib. 11. cap. 1., docet id Numen, cui in puerorum natalitiis lectus in ædibus ſternebatur, Martem Silvanum Picumnum ab antiquis dictum, ut intelligeretur eundem eſſe Picumnum, & Martem: Silvanum quod tamen poſtremum mihi non arri-

det,

det, quum pateat Picumnum Ardeatium Deum fuiſſe, & à Silvano difformem ex relatis Cap. 13. ad princip., quamvis palam ſit antiquos Fauno, & Silvano, Picumni, & Martis cognomentum addidiſſe, quod Faunus Pici, & Martis proles jactaretur.

Rem ipſam ob oculos ponunt Dionyſius lib. 1., & Livius itidem lib. 1., qui ſcribunt Evandrum, Fauni Regis Latinorum ævo, in Latium appulſum, Panis Dei Arcadum Numen ad Latinas oras tranſvexiſſe. Hunc Arcades Faunum, ac Faunum Pana appellaſſe, & Silvanum produnt Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 22., & fuſius Voſſius de Idololatr. lib. 1. cap. 12., hinc oborta confuſio, quippe quum Faunus Rex Arcades Evandro duce benigne hoſpitio excepiſſet, neque in Latio tunc Reges conſecrati eſſent, grati animi ergo, Græcanica gens ſolita Reges ſuos, & Heroas conſecrare, Faunum docuit Saturnum, Picum, & cæteros ſuos majores colere, & in Deorum numerum referre, & Faunum ipſum conſecravit, eique honoris cauſſa Panis, qui Deus Arcadum, & quem Silvanum, univerſæque ſubſtantiæ dominatorem dicebant, cognomentum, ac virtutes tribuit, & Panis, ac Fauni ritus confudit.

Ex his habes cur Faunus ab Arcadibus edoctus primum in Latio nefaria ſacra Saturno, & Pico parentibus ſuis inſtituerit, ut ſuperius dictum eſt; cur Ovidius lib. 1. Faſtor. Evandrum Latii Numinum vectorem appellet: cur Latini priſci Faunum ſuum Regem, Panis, Inui, & Silvani cognomento, & Panas Fauni nomine honorarint: cur etiam ſimulacrum Fauni ſimilè illi Panis fecerint. Nam perhibent Panos, cornua, barbæque prolixam dimiſſionem, & capræ pedes geſtantem, ac manu fiſtulam, effinxiſſe, ut auctor eſt Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 22. Voſſius de Idololatr. lib. 9. cap. 34. Faunum etiam eadem effigie coluiſſe ex Ovidio lib. 2. Faſtor. cujus carmina ſupra retulimus, ubi interpretes id ipſum produnt, licet Silvanum alii fingerent nudum, capite corona è ferula, & liliis redimito, manu protenſa, & cupreſſu armatâ, cujus ſationem primus inveniſſe dicebatur ex Martiano Capella lib. 5. nuptiar. Mercur. & Philolog. in princip.

Tunc primum poſita Silvanus ſorte cupreſſu
Percitus, ac trepidans, dextram tendebat inermem,

& Tomaſino de Donar. cap. 26.

Hæc

Hæc feciſſe conſtat Latinos, dein Romanos, ut Faunum in Pane, & Panem in Fauno colerent, quanquam haud ſimulare poſſent utrumque Numen diſtinctum fuiſſe; quoniam hoc die Fauni feſta percolebant in Monte Cælio, & in Inſula Tiberina, ut ex Capite 4. patuit, ac Roſinus cap. 17. lib. 2. notat; Februario vero menſe, Pana Lupercalibus ſolemnitatibus in Palatino monte honorabant, ut dicemus ſuo loco; unde erraſſe puto Tomaſinum loco quo ſupra, ubi narrat Calendis Martiis Silvano ſacra facta, quum eo die Marti, non autem Silvano, quem eundem ac Faunum diximus, liqueat ſolemnia concelebrata.

Nec quicquam facit Silvano porcum immolatum, Fauno hædum; enimvero porcum immolabant Silvano, quem etiam ſcimus lacte piaſſe, quod ob ritus confuſionem Pana eum dicerent, & Faunum, quibus merito lacte, porco etiam ſacrificare poterant, ſi credimus Tibullo lib. 11. Eleg. 5. & lib. 1. Eleg. 10., aliiſque quos idem Tomaſinus ubi ſupra refert.

Ex quibus ni fallor Ariſtidis Mileſii fabula falſa colligitur, qui tertio Rer. Italicar. ait: *Valeria Tuſculanaria ob iram Veneris Valerium patrem deperibat, remque nutrici communicat, quæ dolis ſubiens herum, puellam quandam ex vicinis eum adamare inquit, quæ aſpectum ejus, apertumque concubitum vereatur. Aliquando pater poſtmodum debacchatus, lumen petiit: nutrix vero præveniens, fugienſque ſe præcipitavit, filia quoque inde evadens peperit Silvanum, quem Græci Ægipanem vocant*, ſi fides preſtanda eſt Plutarcho in Pararell. cap. 45.. Ad hæc Hieronymus Columna ad Ennii lib. 1. Annal. pag. 47., ſcribit Faunum editum ex nefario Valerii Tuſculani cum filia inceſtu. Hos enim erroris inſimulo, quum ex mox relatis, & iis, quæ diximus Cap. 4.; appareat Faunum, qui & Silvanus eſt, Pici Regis Latinorum filium fuiſſe.

Cæterum lapides Romæ effoſſi, quos ipſe Tomaſinus cap. 26. refert, Silvanum eundem, ac Faunum fuiſſe, & ſpeciem ejus oraculi probant. Primus cippus hæc habet.

SILVA-

I.

S I L V A N O
S A N C T. S A C R
E T L I B E R O P A T
A: C O E D I C I V S T H E P H I L V S
E X V I S O D. P O S

I I.

S I L V A N O S A L V T A R I
L. M A N L I V S S A T V R N I V S
E X V I S O P O S V I T

I I I.

S A C R V M S A N C T O S I L V A N O
A V G. V O T O S V S C E P T O E X V I S V

Quidam legunt *Auguſti*, at alii *Auguſto*, quæ lectio mihi magis arridet.

Hæc ſaxa indicant morem priſcorum Latinorum, qui in Templis Fauni cubare ſolebant, ut in ſomno oracula acciperent, quod eleganter explicat Ovidius lib.4. Faſtorum his verſibus:

Silva vetus nullaque diu violata ſecuri
Stabat Mænalio ſacra relicta Deo;
Ille dabat tacitis animo reſponſa quieto
Noctibus, hic geminas Rex Numa mactat oves.
Prima cadit Fauno, leni cadit altera ſomno,
Sternitur in duro vellus utrumque ſolo.
Bis caput intonſum fontana ſpargitur unda,
Bis ſua faginea tempora fronde tegit.
Uſus abeſt Veneris, nec fas animalia menſis
Ponere, nec digitis anulus ullus ineſt.
Veſper ubi eſt tectus, ſupra nova vellera corpus
Ponit, adorato per ſua verba Deo.
Interea placidam redimita papavere frontem
Nox venit, & ſecum ſomnia nigra trahit;

Faunus

Faunus adeſt, oviumque premens pede vellera duro
Edidit è dextro talia verba thoro.
Morte Boum tibi Rex tellus placanda duorum,
Detque ſacris animas una Juvenca duas.
Excutitur terrore quies; Numa viſa reſolvit
Et ſecum ambages, cæcaque juſſa refert.

Poëta itaque, ut produnt interpretes, & maxime Paulus Marſus, occinit, Numam oraculum Fauni Latinorum Regis in Silva Laurentina conſuluiſſe, quam Mænalio Deo ſacram is dixit, ut innueret Faunum in Pane, & Pana in Fauno cultum, quanquam Plutarchus in Numa memoriæ mandarit in Aventino lucum fuiſſe Pico, & Fauno ſacrum. Dein refert in eo templo, Faunum noctu per quietem Oracula edere ſolitum, morem poſtmodum eorum, qui id Oraculum conſulebant erudite explicat, narrans hos mactaſſe duas oves, unam Fauno, alteram Somniorum Deo, pelles hoſtiarum humi ſtraviſſe, & ab omni coitu, eſuque carnium ſe abſtinuiſſe, expectatoque ſigno occaſus veſperis, aſperſo capite aqua vivi fontis, ut ſe ab omni crimine expiarent, conſueviſſe bis caput fago (quæ arbor Deo ſacra erat) coronare, & ſine cultu corporis, anulis etiam depoſitis, præmiſſis precibus ſuper ſtratis hoſtiarum pellibus in Templo cubare. Sic dormientes nocturna viſa expectabant, ideſt quæ in ſomniis ipſis cubantibus apparebant, & ita Oracula ſe accepiſſe, & monitos à Deo in ſomniis, tanquam ex viſu opinabantur, uti ex carminibus prædictis patuit, cujus etiam rei meminit Pauſanias in Atticis, qui de Amphiarai Oraculo apud Oropios hæc prodit: *Conſulendi quidem cauſa qui accedunt, primo luſtrantur omnes, pro piaculo res divina eſt, quam quum Amphiarao ipſi faciunt, tum cæteris, quorum in eadem ara inſcripta ſunt nomina. Deinde arietem ei immolant, cujus ſubſtrata pelle dormientes nocturna viſa expectant*: quibus addit Philoſtratus lib.2. vitæ Apollonii Thyanæi: *Eos qui ad accipienda reſponſa eo acceſſerant* (ad ædem ſcilicet Amphiarai) *ſacerdotes jubebant diem integrum à cibo & triduum à vini potu abſtinere.*

Quamobrem Lapides relati, Silvano vota ſoluta exprimunt ex viſu, ideſt poſtquam ſolemnibus prædictis peractis, voti reus dormierat in Fauni æde, & in ſomniis admonitus putabatur gratum Numini

Numini fore id votum ſolvere; quare habes in æde ſacra Fauno in Laurenti agro poſita, oracula Saturniis verſibus per Sacerdotes reddita, & per viſum, ſcilicet per ſpeciem variæ formæ in ſomniis oblata cubantibus. Quæ dicta ſint, ut eruditorum diligentiæ adhuc plurimum ſuperſit, nam Faunus præcipuus, & maximus Latinorum Deus fuiſſe perhibetur.

Præter Agonalia, de quibus ſuo loco dicam & Conſualia, quorum meminimus Cap. 20., Saturnalia feſta XVI. Calendas Januarias fuiſſe comperimus. Hæc feſta à Latinis in Romanos propagata palam eſt, quamquam Romani ſcriptores ea Regum, & Conſulum faſtis de more accenſuerint. Feſtus enim ſcribit Saturno diem feſtum dicatum menſe Decembri, *quod eo ædes eſt dedicata, & is culturæ agrorum præſidere videtur, quod etiam falx eſt ei inſigne*; ſic Dionyſius lib. 3. Tullum Romanorum Regem in prælio adverſus Sabinos ad Eretum pugnantem, Saturno, & Opi ſolemnes ferias voviſſe, partaque victoria inſtituiſſe cenſet. Livius lib. 2. cap. 21. prodit anno ab V.C. CCLVIII. A. Sempronio, & Minucio Coſs. ædem Romæ Saturno dicatam, feriaſque primum ſacratas, quod & Lipſius lib. 1. Saturnalium cap. 3. narrat.

Veruntamen Macrobius, qui de Saturnalibus erudite ſcripſit, has ſolemnitates longe ante Romam conditam apud Latinos fuiſſe affirmat; etenim cauſas feſti inquirens lib. 1. cap. 7., tres refert, quarum ultima præ cæteris viris doctis arridet: *Nec illam cauſam*, inquit, *quæ Saturnalibus aſſignatur ignoro, quod Pelaſgi, ſicut Varro memorat, quum ſedibus ſuis pulſi diverſas terras petiiſſent, confluxerunt plerique Dodonam, & incerti quibus hærerent locis, ejuſmodi acceperunt reſponſum*: dein relato reſponſo, ſic pergit: *Acceptaque ſorte, quum Latium poſt errores plurimos appuliſſent, has ſibi ſedes prædictas eſſe didicerunt, vaſtatiſque Sicilienſibus incolis, occupaſſe regionem, decima prædæ ſecundum reſponſum Apollini conſecrata, erectiſque Diti ſacello, & Saturno ara, cujus feſtum Saturnalia nominarunt. Quumque diu humanis capitibus Ditem, & virorum victimis Saturnum placare, ſe crederent, Herculem ferunt poſtea cum Geryonis pecore per Italiam revertentem, ſuaſiſſe illorum poſteris, ut fauſtis ſacrificiis infauſta mutarent,*

inferentes Diti non hominum capita, ſed oſcilla ad humanam effigiem ſimulata, & aras Saturnias, non mactando viros, ſed accenſis luminibus excolentes, inde mos per Saturnalia miſſitandis cereis cæpit.

Hactenus Macrobius, qui ut probaret Græcanicam gentem ea feſta in Latio inſtituiſſe, hos refert ex Accii annalibus verſus:

Maxima pars Grajum Saturno, & maxime Athenæ
Conficiunt ſacra, quæ Cronia eſſe iterantur ab illis
Emque diem celebrant per agros urbeſque per omnes
Exercent Epulis læti, famuloſque procurant
Quiſque ſuos, noſtriſque itidem eſt mos traditus illinc
Iſte, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.

Idipſum teſtantur Dionyſius lib. 1., Stephanus de Urbibus, Ennius lib. 1. Annal., Arnobius lib. 2. Adverſus Gentes, Lactantius de Falſa Religione lib. 1. cap. 21. aliique, quos retulimus Capite 17., quo fit, has ſolemnitates, antequam Hercules in Latium appelleretur, fuiſſe à Pelaſgis inſtitutas, ut Prætextatus apud Macrobium cap. 7. aſſerit.

Scio eundem Macrobium duas alias cauſas adſignaſſe; primam, qua Saturnalia ad Janum retulit his verbis: *Excogitavit Janus bonorum eius* (Saturni ſcilicet) *augumenta, ac primum terram omnem ditioni ſuæ parentem Saturniam nominavit, aram deinde cum ſacris tanquam Deo condidit, quæ Saturnalia nominavit. Tot ſæculis Saturnalia præcedunt Romanæ Urbis ætatem*: cui conſentit Herodianus Hiſtor. lib. 1. in Commodo cap. 18.. Hæc tamen cauſa fabuloſa apparet, ſi conſideremus Faunum Latinorum Regem Jano, Saturno, & Pico primum in Latio ſacra feciſſe, & Fana, ac ædes ſacras dicaſſe, ſicuti ſuperius dictum eſt, quanquam Xenon apud Macrobium lib. 1. cap. 9. Janum in Latio primum Diis templa feciſſe, & ritus inſtituiſſe ſacrorum referat; neque ex hoc argumento evincitur, haud potuiſſe Pelaſgos hunc Saturni cultum in Latium invehere, quum ante Janum, & Saturnum ea gens Latium tenuerit ex Rickio de Antiq. Lat. Colon. cap. 3. & 5., nam ætates adeo vetuſtas computare, & tempora, quibus Pelaſgi, Aborigines, & Siculi Latium incoluerunt numerare, difficile, quin adeo impoſſibile eſt, ut ipſi vetuſtiſſimi Roma-

Romanarum rerum ſcriptores, Livio lib.1. teſte, id aſſequi poſſe ab omni ſpe animum abduxerint; mirum itaque eſt viros doctiſſimos, qui poſt tot ſæcula ſcripſerunt ſibi ſuaſiſſe tantum pelagus vadare.

Aliam Saturnaliorum cauſſam ſic Macrobius cap. 7. tradit: *Qui erant ab Hercule in Italia relicti, ut quidam ferunt; quum à Latronibus infeſtarentur occupato edito Colle, Saturnios ſe nominaverunt, quo ante nomine etiam idem Collis vocabatur, & quia ſenſerunt ſe bujus Dei nomine, & religione tutos, inſtituiſſe Saturnalia feruntur, ut agreſtes vicinorum animos ad majorem ſacri reverentiam ipſa indicti feſti obſervatio vocaret*: ex quibus compertum ſit inſignem adeò fuiſſe gentium reverentiam in ſuos Deos, ut neque Latrones ad Lucos, vel Colles ſacros tentarent accedere, ne ira Numinis correpti, condignas pœnas luere crederentur.

Hinc Macrobius arguit, cujuſmodi ſacri hujus origo eſſet, eam proculdubio fuiſſe Roma vetuſtiorem; ſed cur Pelaſgi, qui hæc ſacra in Latium tulerunt, Saturnalibus diebus ſervis miniſtrarent, operæ pretium eſt intelligere. Philocorus apud ſæpe laudatum Macrobium lib.1. cap.10., memoriæ mandavit Cecropem primum in Attica ſtatuiſſe aram Saturno, & Opi, eoſque Deos pro Jove, & Terra coluiſſe: inſtituiſſe etiam, ut patres familiarum frugibus, & fructibus jam coactis paſſim cum ſervis veſcerentur, cum quibus patientiam laboris in colendo rure toleraverant. Alii referunt Saturnum honore ſervorum delectari eodem Macrobio teſte. Athenæus Deiphnoſoph. lib.4. aliis 14., memorat Pelaſgis Diis immolantibus, Pelorum denunciaſſe ingenti Terræ motu montes in Hemonia diffractos, recluſoque hiatu, paluſtrem aquam erupiſſe, & regionem illam ſiccatis aquis amplam, amœnamque planitiem apparuiſſe. Ob eam cauſam ſubdit eos Populos Peloro, & ſervis lautam appoſuiſſe menſam, ac miniſtraſſe, Jovique Pelorio mactatis hoſtiis conſueviſſe quotannis ſumptuoſo menſarum apparatu convivari, peregriniſque, ac ſervis recumbentibus miniſtrare; unde factum eſſe ajunt, Pelaſgos Latium incolentes Saturno devotos, id feſtum inſtituiſſe, exemplo ejus quod Jovi Pelorio faciebant.

Sunt & qui putent Tyrrhenos è Latio Pelaſgos pepuliſſe, qui verò remanſerunt, ſerviles operas in colendo agro aliis præſtitiſſe,

Sſ 2 atque

atque in eorum gratiam cæptum Saturni feſto iiſdem miniſtrare, ut ex Stephano, Cicerone, & aliis notat Rickius de Prim. Ital. Colon. cap. 3. ad finem. Ego vero opinor Græcanicam gentem hæc ſacra, & ritum ſervis accumbentibus miniſtrandi, in Latium invexiſſe, quum palam ſit, nedum Pelaſgos, ſed & alias nationes Græciæ Saturnalibus talia convivia ſervis feciſſe, uti Cretenſes, & Athenienſes, quin & Babylonios ante Græcos, quibus feſtum fuit, cui nomen *Sacea*, in quo quinque diebus ſervi imperabant Dominis ſuis, & è ſervitio unus ſtolam regiam induebat, ſicuti ex Cariſtio, & Cteſia docet Athenæus loco quo ſupra, & prodit Dempſterus ad Roſinum lib. 4. cap. 12. ad 17., quamvis non deſint qui tradant id factum, ut recoleretur memoria aurei, & priſci ſæculi, quo ſumma inter dominos, & ſervos æqualitas, paritaſque erat, ut Poëtæ paſſim, & præ aliis Tibullus lib. 1. Eleg. 3. Auſonius Eclog. de Menſib.

Aurea nunc revocet Saturni feſta December
Nunc tibi cum Domino ludere verna licet.

& Acron in Horatium loco mox adducendo.

Itaque his diebus ſive in honorem Saturni, ſive ut ſervis gratiam reſponſarent perfecti laboris, ut arridet Solino Polyhiſtor. cap. 3., Latini ſervis ſuis ludendi, comedendique cum ipſis Dominis plenam libertatem conceſſerunt, uti patuit ex prædictis, & notant veteres Interpretes Horatii lib. 2. Satyr. 7. ad illud:

. . . . . . *age libertate Decembri,*
(Quando ita majores voluerunt) utere, narra.

Quamobrem ſervi ingenuorum miniſteria occupabant, pileos ſumebant, à liberis nullo diſcrimine differebant, ſtipemque invicem dabant, & munera miſſitabant teſte Alexandro Genial. lib. 2. cap. 22. Solitum & fuit cereos dono mittere ex Feſto lib. 3. *Cereos Saturnalibus muneri dabant humiliores potentioribus, quia candelis pauperes, locupletes cereis utebantur*: & Martiali lib. 10. Epigr. 87.

Abſit cereus aridi Clientis,
Et vani triplices, breveſque mappæ,
Expectent gelidi jocos Decembris.

unde habes Clientes etiam miſſitaſſe cereos Patronis; narrant enim Herculem loco victimæ, Saturno lumina accendi, & cereos ſibi invi-

invicem mittere docuiſſe ex Macrobio lib. 1. cap. 7. & cap. 11., ad finem, Alexandro Genial. lib. 2. cap. 22.

Quot verò dies priuſquam Roma conderetur Saturno ſacri eſſent, facile non eſt aſſerere, nam Mallius vetuſtiſſimus ſcriptor putavit Latinos per triduum Saturnalia agitaſſe, ſubditque hoc exemplo Auguſtum, qui Latinæ gentis erat, in judiciariis legibus ferias Saturno triduo juſſiſſe celebrari. Maſurius contra, aliique Auctores, uno die, ſcilicet XIV. Calendas Januarias Saturnalia fuiſſe prodiderunt, quam ſententiam Feneſtella confirmat. Nonius verò, & Memmius in Atellanis meminerunt apud veteres ſeptem diebus peragi ſolitum Saturnalia. Horum opiniones refert Macrobius lib. 1. cap. 10. ubi Maſurii, & Feneſtellæ ſententiam probat.

At Lipſius Saturnal. lib. 1. cap. 3. & 7. memoriæ prodidit, tres dies Saturno, & poſt tertium, dies quatuor alios, non tamen feriatos, hilaritati, & ſolemnitati feſtorum fuiſſe ſacratos, quod & referunt Roſinus Antiq. Rom. lib. 2. cap. 4., & Fabrettus Inſcrip. cap. 7. pag. 482. & 483.. Apud me tamen, tantæ eſt auctoritatis exemplum Auguſti, qui in Judiciariis legibus antiquorum uſum ſequutus, tres dies feriatos Saturno adſcripſit, ut potius Mallii, quam aliorum ſententiæ adhærendum arbitrer. Quod intelligitur ex Feſto, & Varrone; ille enim lib. 13. ſic ait: *Opalia dicebantur dies feſti, quibus Opi ſupplicabant*. Varro autem lib. 3. de Lingua Latina hæc habet: *Saturnalia dicta ab Saturno, quod eo die feriæ ejus, ut poſt diem tertium Opalia Opis*; ex his ſcimus Opi, non uno die, ſed pluribus ferias ab antiquis agitatas ex Feſto, & Saturnalia uno die olim concelebrata; at quoniam Saturno, & Opi, principibus, magniſque Diis Latinæ gentis, ſi Varroni lib. 4., de Lingua Latina credimus, in eadem æde Saturni ſacrificari ſolitum erat, ut literis tradiderunt Lactantius de Falſa Religion. lib. 1. cap. 15. Pauſanias Arcadic. ſeu lib. 8. Macrobius cap. 10. Alexander Genial. lib. 6. cap. 4., hinc fortaſſe factum, Latinos priſcos duos dies haud feſtos, qui inter Saturnalia, & Opalia incidebant, feriis Saturnalibus dicaſſe, Opique totidem feriatos conceſſiſſe, uti Feſto arridet, qui plures Opalibus adſcriptos prodit, quam ſane rem Macrobius ipſe lib. 1. cap. 10. & 11. confundit; enim verò is ait: priſco ævo Saturnalia & Opalia uno eodemque

que die, ſcilicet XIV. Calendas Januarias celebrata, quod Feſto, Varroni, & cæteris jam relatis adverſatur. Subdit etiam XIII. Calendas Januarias Sigillariorum feſtum agitatum, ac ſi hæc ſolemnitas diſſimilis ab Opalibus, & Saturnalibus eſſet, quin recens, & Saturnalibus addita, quum ex iis, quæ Capite 11. ſcribit, pateat eam ſolemnitatem, qua oſcilla quædam, & fictilia ſimulacra in ſacellum Ditis aræ Saturni cohærens, pro ſuis capitibus quiſque ferebat, inventam ab Hercule, qui temperato nefario ſacro, quod his diebus Pelaſgi Saturno & Diti in Latio faciebant, de quo verba fecimus Capite 17., loco humanæ hoſtiæ docuit Saturno lumina accendi, & Diti Patri pro viventium capitibus fictilia capita offerri, ut ita Latini piaculum Saturno pro Dite facerent.

Ergo liquet ex eodem Macrobio Sigillariorum feſtum hoc menſe Saturno ſacro, & his diebus, quibus Opi, & Saturno litabant, à Latinis priſcis ex Herculis inſtituto, non autem recens addictum Saturnalibus, ut ipſe haud recte autumat, niſi dicamus additum vetuſtæ ſolemnitati vicum Romæ Sigillaria dictum, ubi venum res venales, & fictilia exponebantur, diebus maxime prædictis, quibus Populus Romanus confluebat ad eum vicum, ut imagunculas, & ſimulacra venalia emeret, & in ſacellum Ditis deferret, de quo fuſius Alexander Genial. lib. 3. cap. 4.. Quamobrem dilucidum fit Saturnalia, & Opalia ſex diebus, non omnibus feſtis, ſed feriatis agitata, eoque tempore & convivia in æde Saturni exhibita, lumina accenſa, & Diti in Sacello in eodem templo Saturni condito, Oſcilla oblata. Hæc enim omnia facta feruntur à Pelaſgis, Latiniſque priſcis ex Herculis inſtituto, & ut ea gens memoriam recoleret Saturni, & Opis, quam ſororem, & uxorem Saturni fuiſſe ſcribunt Diodorus Siculus lib. 3. Bibliothecæ alias 4. cap. 5. Macrobius cap. 10., Fulgentius in Mythologicis lib. 1. cap. 3. & alii, quum ii Dii principes eſſent in Latio Varrone mox relato teſte, quo fit inveriſimile admodum eſſe iis Diis in Latio magnis, & à quibus Latini ſe originem ducere putabant ex dictis Capite 3., & quos Cœlum, & Terram eſſe jactabant, unum diem feſtum, ut Macrobio placet ſacratum. Ego ſanè, ni fallor, ex tanto apparatu celebritatis hujuſmodi, aliiſque, quæ dicturus ſum in deſcriptione Templi Saturni Profugi Setinorum, arbi-

tror

tror cum Mallio Saturnalibus tres dies feriatos à Latinis additos, totidemque Opalibus ex Feſto Pompejo, unum tantum additum à Romanis, apud quos conſtat eam ſolemnitatem ſeptem dies occupaſſe, ut auctor eſt Macrobius cap. 10. ad finem, quem diem Caligulam adieciſſe notat Suetonius in eodem: *Et ut lætitiam publicam in perpetuum quoque augeret, adjecit diem Saturnalibus, appellavitque Juvenalem*, quamvis Dion lib.6., hunc diem quintum non ſeptimum Saturnalium exiſtimaverit.

His etiam diebus ſunt qui memoriæ mandarint ſacra facta Evandro Arcadum duci; hunc ſacris honoratum, & inter Indigetes Deos à Latinis, Romaniſque numeratum diximus Capite 4. ex Dionyſio lib.1. & aliis, quin cultum in ipſa æde Saturni, & Saturni nomine, ac promiſcuis ſacrificiis prodit Voſſius de Idololatr. lib. 1. cap.12.. At quoniam is Saturni in Latium appulſum fabularem aſſerit, ſubditque Evandrum hujus fabulæ cauſam fuiſſe, idcirco arbitror Voſſium divinaſſe, quum omnes veteres ſcriptores, Romani præſertim, præter Evandrum, Saturnum Jani ætate in Latium veniſſe palam aſſerant, de quo conſulas librum de Setinis, & caput de æde Saturni Profugi Setinorum.

Hæc de Saturnalibus, quæ valde à Romanis ſcriptoribus confunduntur; nunc ad Divalia, ſeu Angeronalia divertamus. Has ferias XII. Calendas Januarias agitatas habetur ex Calendario, Macrobio Saturnal.lib.1. cap.10., Roſino, & aliis. Varro lib.5. de Lingua Latina ſic hujus feſti meminit: *Angeronalia ab Angerona, cui ſacrificium fit eo die, ac cujus ea feriæ publicæ*, uti hunc locum reſtituit Scaliger in Conjectaneis; Feſtus lib.1.ità: *Angeronæ Deæ ſacra à Romanis inſtituta ſunt, quum angina omne genus animalium conſumeretur, cujus feſta Angeronalia dicebantur*. Verrius Flaccus ait Angeronam dictam, quod angores animique ſollicitudines propitiata depelleret. Maſurius adjecit ſimulacrum hujus Deæ ore obligato, atque ſignato in ara Volupiæ propterea collocatum, quod qui ſuos dolores, anxietateſque diſſimulant, perveniant patientiæ beneficio ad maximam voluptatem. Julius Modeſtus ideò ſacrificari huic Deæ tradit, quod Populus Romanus morbo, qui Angina dicitur, præmiſſo voto ſit liberatus: horum ſententias probat Macrobius Saturnal.lib.1. cap.10. ad princip.

Ex

Ex relatis ſcriptoribus, qui ejus ſolemnitatis initium tacent, neque illius Auctorem produnt, intelligitur illam vetuſtiſſimam, & ante Romam conditam in Latio concelebratam, & à Romulo exemplo Albanorum, à quibus is ſacra, quæ dictavit, carpſit, inſtitutam; fallitur enim Feſtus, Julius quoque Modeſtus, & Maſurius hallucinantur, quum cauſam ejus feſti vero propriorem, & difformem Solinus cap. 1., enunciet: *Inter antiquiſſimas ſane religiones*, inquit, *ſacellum colitur Angeronæ, cui ſacrificatur ante diem duodecimum Calendarum Januariarum, quæ Dea Præſul Silentii, iſtius prænexo, obſignatoque ore ſimulacrum babet*, quod & tradit Plinius lib. 3. cap. 5. Itaque antiquiſſimas has ferias Solinus appellat, quod eam Deam Latini priſci venerarentur, credentes ſilentio præeſſe, & Romani laudatas ferias urbe ipſa naſcente agitaſſent.

Cur autem in æde Volupiæ ſacellum Angeronæ eſſet, facilè intelligitur ex Varrone lib. 4., de Lingua Latina ubi ait: *Præterea, intra muros video portas dici, in Palatio Mucionis à mugitu, alteram Romanulam, quæ eſt dicta ab Roma, quæ habet gradus in navalia ad Volupiæ ſacellum*. Hanc portam Feſtus lib. 16. Romulam vocitatam dicit à Romulo, qui eam conſtruxit, ut explicant Alexander Genial. lib. 4. cap. 16., & Dacerius Feſti interpres; unde eruitur Romulum prope hanc portam à ſuo nomine dictam, Volupiæ templum condidiſſe, & in illo Angeronæ ſacellum locaſſe, quæ ideo Numina Latinis, Albaniſque familiaria fuiſſe nemo eſt qui inficiari poſſit, quum liquido conſtet Romulum Albano ritu ſacra feciſſe, & ab Albanis numina, & cæremonias mutuaſſe, Livio lib. 1., & Dionyſio lib. 1. & 2. teſtibus. Hæc ſunt feſta Decembris, quæ ad Latinos veteres pertinuiſſe puto.

CAPUT

CAPUT XXV.

De Feſtis diebus menſis Januarii.

Diximus Capite 14. Latinos priſcos, qui duodecim, aut treſdecim menſes numerabant, Januarium Jano ſacraſſe, & ab eo denominaſſe. Hujus Calendis ſolemne fuit in Latio Jani feſtum, in quo erant vetuſtiſſimæ Jani ædes Laurenti, & Albæ; quandoquidem fama eſt Templum Jani Bifrontis inſtar duarum ædium circa imum Argiletum juxta Theatrum Marcelli, Numam primum Romæ condidiſſe ex Livio Dec. 1. lib. 1., Plinio lib. 34. cap. 8. & aliis. Verumtamen & Bifrontem Janum priſcos Latinos in ædibus laudatis coluiſſe conſtat, & meminit Virgilius lib. 7. Æneidos his verſibus:

Mos erat Heſperio in Latio, quem protinus Urbes
Albanæ coluere ſacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, quum prima movent in prælia Martem;
Sunt geminæ belli portæ (ſic nomine dicunt)
Religione ſacræ, & ſævi formidine Martis,
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora; nec cuſtos abſiſtit limine Janus:
Has ubi certa ſedet Patribus ſententia pugnæ
Ipſe Quirinali trabea, cinctuque Gabino
Inſignis, reſerat ſtridentia limina Conſul,
Ipſe vocat pugnas, ſequitur tum cætera pubes,
Æreaque aſſenſu conſpirant cornua rauco.
Hoc & tum Æneadis indicere bella Latinus
More jubebatur, triſteſque recludere portas.

His carminibus Poëta prodidit Laurenti fuiſſe ædem Jano Bifronti ſacram: conſueviſſe etiam Latinam gentem ante Æneæ in Latium appulſum eam pacis tempore claudere, bello vero ingruente aperire: ad hæc Servius: *Heſperio in Latio*, inquit, *hoc eſt in antiquo, nam ut in principio diximus duo Latia fuerunt, unde non fruſtra Heſperio addidit. Quod autem dicit hanc conſuetudinem antiquam fuiſſe,*

falſum eſt, nam à Numa Pompilio primum inſtituta eſt, ſed carmini ſuo, ut ſolet miſcet hiſtoriam. Arguit ergo Grammaticus falſitatis Virgilium, qui ut idem, & Donatus ſæpe ſcribunt, Latinorum priſcorum hiſtoriam optime calluit. Verum (quod pace Servii dictum velim) Poëta eo loci diſerte probat ædem Jani Bifrontis, & morem aperiendi, & claudendi portas ejus ædis, pacis, vel belli tempore Laurenti fuiſſe, ac Numam hunc à Latinis priſcis mutuaſſe: enimverò fallitur Grammaticus, qui pauló infra teſtatur ædem Jani Bifrontis Numam Romæ locaſſe, eam enim condidit Romulus pace inter ipſum & T. Tatium facta, quemadmodum ex Varrone teſtatur Divus Auguſtinus, ut notat Roſinus Antiq. lib. 2. cap. 3., idemque Grammaticus ad lib. 1. Æneidos ad illud:

. . . . . . diræ ferro, & compagibus arctis
Claudentur belli portæ . . . . .

ubi ſic ait: *Hujus autem aperiendi, vel claudendi Templi ratio varia eſt. Alii dicunt, Romulo contra Sabinos pugnante, quum in eo eſſet, ut vinceretur, calidam ex eodem loco erupiſſe, quo fugavit exercitum Sabinorum, hinc ergo tractum morem, ut pugnaturi aperirent Templum, quod in eo loco fuerat conſtitutum, quaſi ad ſpem priſtini conſilii. Alii dicunt Tatium, & Romulum fœdere facto, hoc Templum ædificaſſe, unde & Janus ipſe duas facies habet, quaſi ut oſtendat duorum Regum coitionem, vel quod ad bellum ituri, debent de pace cogitare: eſt alia melior ratio, quod ad bellum ituri optent reverſionem.* Unde lumen Virgilio; quum enim teſtimonio Livii lib. 1. Romulus Templa, & ſacra fecerit Albanorum more, palàm eſt hunc morem, propter pacem habitam Jano ſacrificandi, Romulum ab Albanis, & ſic à priſcis Latinis accepiſſe. Porro idem Servius lib. 1. Æneidos ad princip. hunc locum Virgilii laudat hoc modo: *Et ſciendum bene hunc ordinem ſervare Virgilium, ut ante dicat Latium, inde Albam, poſt, Romam, quod & hoc loco fecit, & in quinto priſcos docuit celebrare Latinos, & deinde: Albani docuere ſuos, nunc maxima porro accepit Roma, & patrium ſervavit honorem: item in ſeptimo: mos erat Heſperio in Latio, quem protinus Urbes Albanæ coluere ſacrum, nunc maxima rerum Roma colit;* haud recte ſervaſſet ordinem hunc Poëta, ſi falſa veris miſcuiſſet, &

ſacra,

Digitized by Google

ſacra, quæ Numa primum fecerat, priſcis Latinis, & Albanis attribuiſſet: quin Virgilius eodem lib. 7., Æneidos Regiam Pici Latinorum Regis deſcribens, ejuſque Progenitores, ita canit:

Quin etiam veterum effigies ex ordine Avorum
Antiqua ex cedro, Italuſque, Paterque Sabinus,
Vitiſator, curvam ſervans ſub imagine falcem,
Saturnuſque Senex, Janique Bifrontis imago
Veſtibulo adſtabant, aliique ob origine Reges.

quo fit eundem, uti Donatus ibidem perhibet, Janum Bifrontem Laurenti cultum putaſſe.

Probus Capite præcedenti relatus literis mandavit Faunum Latinorum Regem Jano, Saturno, Pico, aliiſque Regibus Latii nefaria ſacra conſtituiſſe, cui conſentiunt Lactantius de Falſa Relig. lib. 1. cap. 22. & alii, jam adducti; & quamvis Xenon apud Macrobium lib. 1. cap. 9., prodat Janum in Latio primum Diis Templa feciſſe; & ritus inſtituiſſe ſacrorum, quod arridet Auctori Origin. Gent. Roman., & aliis; attamen palam eſſe arbitror, Faunum primum in Latio ſuperiores Reges, & Janum maxime conſecraſſe, ſacriſque honoraſſe, & Templis, unde arguitur Laurenti, quæ Urbs Fauni Regia fuit, ædes ſacras Saturno, & Jano fuiſſe conſtitutas & eorum cultum in Latio ad Fauni ætatem eſſe referendum.

Sic & ejus imago duabus frontibus efficta Latinis priſcis venerabilis fertur, prius quam Roma conderetur; quandoquidem narrant poſt Saturni in Latium appulſum, Janum æra ſignaſſe, ex altera quidem parte ſuo capite, ex altera navi, qua Saturnus fuerat advectus expreſſa ex Macrobio Saturnal. lib. 1. cap. 4., Lactantio de Falſa Relig. lib. 1. cap. 13., Servio ad lib. 8. Æneidos ad illud:

Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit Urbem.

Auctore Origin. Gent. Roman., Atheneo lib. 15., Plinio lib. 33. cap. 3., & Ovidio lib. 1. Faſtor., qui interrogans Janum:

. . . . *ſed cur navalis in ære*
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?

ita eum reſpondentem exhibet.

Noſcere me duplici poſſes ut imagine, dixit,
Ni vetus ipſa dies extenuaſſet opus:

Cauſa ratis ſupereſt: Tuſcum rate venit in amnem
Ante pererrato Falcifer orbe Deus.
Hac ego Saturnum memini tellure receptum:
Cœlitibus regnis à Jove pulſus erat.
Inde diu genti manſit Saturnia nomen,
Dicta quoque eſt Latium Terra latente Deo.
At bona poſteritas puppim formavit in ære
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

Hinc patet, hunc nummum, in quo imago Jani Bifrontis expreſſa erat, vetuſtiſſimum in Latio fuiſſe, & ſignari cæptum vel ipſo Jano vivente, aut poſtquam Latina gens Janum, & Saturnum divinis honoribus percolere cæpit, quemadmodum Commentatores Ovidii, Auctor Origin. Gent. Roman., & Lactantius memorant.

Cauſam etiam ejus imaginis Romani à Latinis acceperunt, quamvis enim ſint, qui prodant, poſt quam Romulus, & T. Tatius in fœdera convenerunt, Jano ſimulacrum duplicis frontis effectum, quaſi ad imaginem duorum Populorum, ut videre eſt apud Servium ad lib. 12. Æneidos ad illud:

Hæc eadem Ænea, Terram, Mare, Sydera juro
Latonæque genus duplex, Janumque Bifrontem.

qui tamen ad lib. 1. Æneidos alias cauſas narrat, uti ex verbis ſuperius relatis patuit, ea tamen vero propior cauſa aſſeritur, quod Janus præterita ſciverit, & futura præviderit, vel ut ait Gabius, aliis Cajus Baſſus, in libro quem de Diis compoſuit, quod is eſſet quaſi ſuperum, atque Inferum Janitor ex Macrobio Saturnal. lib. 1. cap. 9., & Ovidio lib. 1. Faſtor, ubi Janum ſic cauſam ſuæ figuræ exponentem offert.

. . . . . . *cauſam nunc diſce figuræ*
Jam tamen hac aliqua tu quoque parte vides.
Omnis habet geminas hinc, atque hinc Janua frontes,
E quibus hæc Populum ſpectat, & illa larem.
Utque ſedens veſter primi quoque limina tecti
Janitor, egreſſus, introituſque videt.
Sic ego perſpicio cæleſtis Janitor aulæ
Eoas partes, Heſperiaſque ſimul.

ubi

ubi ſcholiaſtes id factum notant ab Antiquis, ut innuerent Janum ante, & poſt Chaos fuiſſe, eundemque diem à nocte, & lucem à tenebris ſegregaſſe, uti Ovidius ipſe loco adducto paulò ante cecinit, licet ineptè.

Hujus rei cauſſa Faleriis vetuſtiſſimum erat ſimulacrum Jani quadrifrontis, quod Urbe capta, Romam advectum eſt, erectumque, ut quidam memorant, in ſacrario in foro tranſitorio, ubi quatuor portæ conſtitutæ ſunt,quemadmodum Macrobius loco relato probat, ſubditque id indicaſſe, Janum quaſi univerſa climata ſua majeſtate complexum, & Servius ad lib. 7. Æneidos hæc addit: *Janum ſane quadrifrontem eſſe non mirum eſt, nam alii eum diei Dominum volunt, alii anni totius, quem in quatuor tempora conſtat eſſe diviſum. Anni autem eſſe Deum illa res probat, quod ab eo prima pars anni nominatur, nam ab Jano Januarius dicitur*.

Ergo priſci Latini Jani ſimulacrum hac arte finxerunt, ut Dei virtutes, & ritus myſteria ſignificarent. Inſtituerunt & morem, belli, aut pacis tempore claudendi, vel aperiendi januas ejus ædis, ad indicandum Janum mundi figuram exhibuiſſe, & quum mundum undique clauſum crederent pacis tempore, idcirco Jani caulas clauſas eſſe voluerunt, quas bello indicto aperiebant ad auxilium petendum, ſive, ut videretur Deus ad bellum contra hoſtes proſiluiſſe ex Alexandro Genial. lib. 1. cap. 14., & Servio ad lib. 7. Æneidos, qui ſubjicit ei quaſi mundo duas facies datas Orientis, & Occidentis; quatuor quoque ſecundum quatuor partes, cui conſentit Ovidius lib. 1. Faſtorum;

At cur pace lates, motiſque recluderis armis?
Nec mora, quæſiti reddita cauſa mihi.
Ut populo reditus pateant ad bella profecto
Tota patet demptà janua noſtra ſera;
Pace fores obdo, ne qua diſcedere poſſit.

niſi hujus ritus rationem referamus ad virtutes Numini adſignatas, quod quidem mihi arridet; nam Janum Latina gens fœderibus præeſſe putabat, ut auctor eſt Servius ad lib. 12. Æneidos pag. 677.; belli, & pacis arbitrum, diemque aperire, & claudere, atque utriuſque Januæ Cæleſtis potentem jactabat ex Macrobio Saturnal. lib. 1.

cap. 9.,

cap.9., L. Floro Epitomaſte ex lib. 4. Livii, Servio ad lib. 1. Æneidos, & Claudiano de 6. Honorii Conſulatu.

. . . . perpetuiſque immoto cardine clauſtris
Janus bella premens, læta ſub imagine pugnæ,
Armorum innocuos paci largitur honores.

Hunc patrem in indigitamentis invocabant, quod Lucilius apud Lactantium de Vera Sapient. lib. 4. cap. 3., in Deorum Concilio irridet:

Ut nemo ſit noſtrum, quin pater optimus Divum,
Ut Neptunus pater, Liber, Saturnus pater, & Mars
Janus, Quirinus pater, nomen dicatur ad unum.

& Juvenalis Satyr. 6.

Reſpondes his Jane pater.

Virgilius lib. 8. Æneidos in carminibus mox adductis. Hunc Salii Deorum Deum indigitabant prius quam Roma conderetur ex Macrobio lib. 1. cap. 9., & relatis Cap. 22., hunc principium rerum, & Deorum, ut Septimius antiquus Poëta apud Terentianum Maurum libro de Metris occinit:

Jane pater, Jane tuens, dive, biceps, biformis
O cate rerum ſator, ò principium Deorum,
Stridula cui limina, cui Cardinei tumultus,
Cui reſerata mugiunt aurea clauſtra Mundi.

Conſecrarunt & illi januas, & vias, quin etiam omnium januarum, & portarum Cuſtodem, & Rectorem viarum fecerunt, ſi Macrobio cap. 9. credimus. Varro lib. 5. Rer. Human. apud eundem Macrobium, refert, antiquos duodecim aras pro totidem menſibus Jano dedicaſſe, ad indicandum eum anni moderatorem, de quo etiam Martial. lib. 10. Epig. 28. ad Janum:

Annorum; nitidique ſator pulcherrime Mundi,
Publica quem primum vota, preceſque canunt.

Quamobrem Jano primitias omnium ſacrorum offerebant, quamvis aliis Diis litarent, quod is viam pandere ad audientiam Deorum omnium putaretur teſte Macrobio ubi ſupra, Arnobio lib. 3. contra gentes, & Ovidio lib. 1. Faſtor.

cur

Digitized by Google

. . . . cur quamvis aliorum numina placem
Jane tibi primùm thura, merumque fero?
Ut poſſis adytum per me, qui limina ſervo
Ad quoſcumque voles, inquit, habere Deos.

Et quamquam Xenon apud ſæpe laudatum Macrobium ſcribat id factum, quod narrarent Janum primum ritus inſtituiſſe ſacrorum, quod & plures hariolantur Fabii Pictoris lib. 1. de Aureo ſæculo, hæc referentes verba: *Vinum, & far primus illos docuit Janus ad ſacrificia, & religionem verius, quam ad eſum, primus etiam aras, & Pomœria, & ſacra docuit, & ob id ei in omni ſacrificio perpetua præfatio præmittitur, farque illi, & vinum primo prelibatur:* Attamen titulus ejus libri mentitur, & qui Fabii verba tranſcripſerunt, ab Annio Viterbienſi mangone ſe fraudatos complorent. Cæterum cauſa vero propior ea eſt, quam Feſtus lib. 3., in voce *Chaos* exponit his verbis: *Unde Janus detracta aſpiratione nominatur, ideo quod fuerit omnium primus, cui primo ſupplicabant velut parenti, & à quo rerum omnium factum putabant initium*; cui conſentiunt Servius ad lib. 7. Æneidos, ubi ſubdit Janum aërem reputatum, & vocis genitorem, idcirco inſtitutum, ut is preces omnes ad Deos perferret, & Tullius lib. 1. de Natur. Deorum.

Nomina etiam, quibus eum in vetuſtiſſimis carminibus Saliaribus indigitabant, id ipſum evincunt: *Eanum* quippe eum vocabant ab *eundo*, quod mundus ſemper eat, dum in orbem volvitur, & ex ſe initium faciens, in ſe refertur: Patrem quaſi Deorum Deum. Conſivium à conſerendo, ideſt à propagine generis humani, quæ Jano auctore conſeri putabatur: Junonium, quaſi omnium menſium ingreſſum tenentem, nam in ditione Junonis erant omnes Calendæ, Patulcium, & Cluſivium, ſeu Cluſium, quia bello caulæ ejus patebant, pace claudebantur, Geminum, quaſi utriuſque Januæ Cæleſtis potentem, uti patet ex Macrobio cap. 9., Servio ad lib. 7. Æneidos, Alexandro Genial. lib. 1. cap. 14. ad finem, Ovidio lib. 1. Faſtor., qui præcæteris ſic virtutes Jani deſcribit:

Quidquid ubique vides, Cœlum, mare, nubila, terras:
Omnia ſunt noſtra clauſa, patentque manu.

Me

Me penes eſt unum vaſti cuſtodia mundi,
Et vis vertendi cardinis omne meum eſt:
Cum libuit pacem placidis emittere tectis
Libera perpetuas ambulat illa vias.
Sanguine letifero totus miſcebitur orbis
Ni teneant rigidæ condita bella feræ.
Præſideo foribus cœli cum mitibus boris
Et redit officio Juppiter, itque meo:
Indè vocor Janus . . . .

Hiſce poſitis, liquet morem portas ejus ædis claudendi, & aperiendi, bello indicto, vel pace parta, non à Numa, vel Romulo, ſed vetuſtiorem Roma fuiſſe, & à Latinis inſtitutum, ut intelligeretur, bellum, & pacem ſub Jani præſidio, & tutela eſſe, quaſi ſub univerſorum Principe, quod Alexandro cap. 14., magis arridet. Fruſtra igitur falſitate notatur à Servio Maro, qui omnem ritum ſacrorum Jani à Latinis in Romanos manaſſe meminit, quum aſſertionem Virgilii prædicta confirment: quin & habitus Conſulis bellum indicentis, & fores templi recludentis, qui erat incinctus cinctu Gabino, ideſt toga ſic in tergum rejecta, ut una ejus lacinia revocata hominem cingeret, quem morem eo veſtitu ſacra Jani tractandi, quum bellum indiceretur, ipſe Grammaticus lib. 7. Æneidos à Latinis in Romanos propagatum probat: *Cinctuque Gabino: hoc autem veſtimenti genere veteres Latini, quum necdum arma haberent, præcinctis togis bellabant. Hoc rurſus utebatur Conſul bella indicturus, ideò quum Gabii campaniæ Civitas ſacris operaretur, bellum ſubito evenit: tunc Cives cincti togis ſuis ab aris ſunt ad bella profecti, & adepti victoriam, propter quod omen, tali habitu ſemper utebantur in bellis, unde hic ortus eſt mos*, & fuſius Alexander Genial. lib. 1. cap. 14.

Jani ſimulacrum biceps ſenili vultu, cum clavi, ac virga figurabatur ex Ovidio lib. 1. Faſtor., qui ita Janum exhibet.

Ille tenens baculum dextra, clavemque ſiniſtra,
Edidit hos nobis ore priore ſonos.

& infra:

Tum Deus incumbens baculo, quem dextera tenebat.

& Ma-

& Macrobio cap. 9., Romæ vero plerumque fingebatur manu dextra tercentorum, & ſiniſtra quinquaginta, & quinque numerum retinens, ad demonſtrandam anni dimenſionem, quod Numam primum effinxiſſe ferunt teſtimonio Plinii lib. 34. cap. 7., qui tamen id ſimulacrum tercentorum, & quinquaginta dierum notam manibus tenuiſſe affirmat: necnon Macrobii cap. 9., Alexandri Genial. cap. 14., & Tiraquelli ejus interpretis, qui Macrobium à Plinio diſſentientem laudat.

Sacrificabant hoc die Numini libo & mola, ideſt farre toſto, & ſale ſparſo, quod *Janual* nuncupabant, Feſto lib. 9. auctore; idipſum refert Ovidius lib. 1. Faſtor.

Inde vocor Janus, cui cum Cereale Sacerdos
Imponit libum, farraque mixta ſale.

Hinc Paulus Marſus ſcribit ex Varrone, & Feſto id libi genus fuiſſe vetuſtiſſimum, unde arguitur, veteres Latinos, quibus far in uſu fuit, ita Jano ſacra feciſſe; & quamvis Poëta infra thure quoque, & mero Jano ſacrificatum referat, uti ex verſibus mox relatis patuit, attamen hunc morem Romanos à Latinis haud traxiſſe ſunt qui autument, eo quod Albani, & Latini in ſacris thure nequaquam uſi ſint, ut auctor eſt Arnobius lib. 7. Contr. Gent.: *Neque enim temporibus quemadmodum creditur, & perhibetur heroicis, quidnàm eſſet thus ſcitum eſt ſcriptoribus, ut comprobatur à priſcis, quorum in libris poſita nulla ejus mentio reperitur, neque genitrix, & mater ſuperſtitionis Hetruria opinionem ejus novit, aut famam, ſacellorum ut indicat ritus, neque quadringentis annis, quibus Albana res viguit, in uſum cuiquam venit, ſacra res quum fieret: neque ipſe Romulus, aut religionibus artifex in commiſcendis Numa, aut eſſe ſcivit, aut naſci.* Quicquid tamen ſit de Arnobii ſententia, liquet Ovidium expoſuiſſe ritum offerendi thura, & vinum Jano in præfatione, quam is in ſacris omnibus aliorum Numinum meruit; verumtamen hoc die non thure, ſed libo, & mola, vetuſto more ei Deo ſacrificatum palàm eſt ex eodem Poëta & aliis.

His Calendis Latini invicem miſſitabant caricas, ideſt ficus ſiccas, cariotides; & ſic fructus palmarum, mella, & globulos melle conſperſos, ac ſtipem, nummum ſcilicet ſignatum Jani effigie, &

Navis, qua Saturnus advectus erat, quæ munera à Romanis ſtrenæ dicta ſunt à Tatio Rege, qui verbenas felicis arboris ex luco Streniæ, anni novi auſpices primus accepiſſe dicitur ex Symmacho lib. 10. epiſt. 28.. Hæc facta ſcimus ominis cauſa, ut ita dulces dies anni à dulcibus rebus auſpicarentur. Hujus rei meminit Ovidius loco citato ſic canens.

Quid vult palma ſibi, rugoſaque carica, dixi,
Et data ſub niveo condita mella cado?
Omen ait, cauſa eſt, ut res ſapor ille ſequatur,
Et peragat cæptum dulcis ut annus iter.
Dulcia cur dentur video: ſtipis adjice cauſam:
Pars mihi de feſto ne labet ulla tuo.

qui infra ſtipis munus refert ad Saturnum, ut per dona nummorum laudatorum memoria Saturni, & paupertas illius ætatis perennis poſteris eſſet, ſicuti Marſus ejus interpres eruditè explicat, qui ſubdit idipſum indicaſſe Martialem his verſibus:

Aurea porrigitur Jani cariota Calendis,
Sed tamen hoc munus pauperis eſſe ſolet.

Hinc intelliges Suetonium in Tiberio, qui litteris mandavit præfatum Cæſarem inhibuiſſe ſtrenarum commercium, ne ultra Calendas Januarias exerceretur. Nunc Latini his Calendis, dulcia, ficus ſiccas, uvam paſſam, lixulas, & globulos melle conſperſos, & mella ipſa donant ſuis civibus, vicinis, & iis, qui ex vetuſtiſſimo ritu procacia ſolent eo die canere carmina, & ita annum auſpicari felicem: quæ quidem nonniſi ad priſcum morem, & omen Latinæ gentis mox enunciatum referri queunt, immo quum qui prædicta munera petunt, & donant, ſuffimen expoſcant, & pro ſuffimine tradant (quod Setiæ maximè in uſu eſt) ſuſpicor antiquos hanc miſſitationem dulcium, piaminis cauſa feciſſe.

Hæc feſta agitaſſe liquet Latinos populos, qui Januarium anni initium fecerunt; qui vero decem menſibus annum terminabant, neque Januarium computabant, quorum meminimus Capite 14., Jano etiam ferias, & ſolemnia dicaſſe ſatis compertum eſt; nam & Janum coluerunt Albani, & Latini omnes, quin Albæ Carnæ, & Jani ædem Procæ Albanorum Regis ætate fuiſſe patet ex Ovidio relato

relato Capite 13., ejuſque interpretibus. Quo vero menſe, & die Albani ſolemnia prædicta celebrarent, mihi non conſtat.

Diximus Latinos priſcos Calendis, & pluribus Januarii diebus Jani ferias concelebraſſe: ejus rei inditium eſt quod quinto Idus hujus menſis, ideſt nono die, *Agonalia* erant, quæ plures *Agonia* dicunt, quas ferias Latium coluit Roma haud condita, & Jano ſacravit; de his multi multa dicunt. Paulus Feſti mutilator lib. 1. ait hunc diem Agonio Deo præſidenti rebus agendis dicatum, inde ſibi parum conſtans ſubjicit, ab hoſtia, quam antiqui Agoniam dicebant id feſtum dictum, dein à montibus, qui Agones appellabantur, quaſi nomen acceperint feriæ à monte Quirinali, qui Agonius dictus eſt, & à Collina porta Agonenſi nuncupata, ſeu à ludo eo die agitato, quem Agonalia dixerunt, quod locus, in quo hi ludi initio facti ſunt, fuerit ſine angulo. Varro lib. 4. aliis 5. de Lingua Latina, hæc habet: *Dies Agonales per quos Rex in Regia arietem immolat, dicti ab Agone, eo quod interrogatur à Principe Civitatis, & Princeps gregis immolatur*. Ovidius lib. 1. Faſtor. his, aliiſque rationibus originis hujus feſti adductis, teſtatur feſtum, & feſti ritum manaſſe à Græcis, qui Latium incoluerunt, & ludos Agonalia dictos Jano ſacrarunt, en ejus carmina, omiſſis aliis, quibus cæteras cauſas refert:

Fas etiam fieri ſolitis ætate priorum
Nomina de ludis Græca tuliſſe diem;
Et prius antiquus dicebat Agonia ſermo,
Veraque judicio eſt ultima cauſa meo.

Ad hæc Marſus notat Poëtam verius putaſſe hunc diem feſtum dictum à ludis, à Græcis, qui cum Hercule in Latium venerunt, in honorem Jani inſtitutis, quippe eos ludos Hercules in Elide apud Jovem Olympium primus feciſſe dicitur, & priſci Latini Agonia denominarunt, quod Feſtus, & Ovidius memorant; ut autem laudatos ludos eo die Jano factos Naſo oſtenderet, ita canit.

Quattuor adde dies ductis ex ordine Nonis,
Janus Agonali luce piandus erit.

ſed qua hoſtia placaretur Janus, paulò poſt innuit.

. . . . . . *ita Rex placare ſacrorum*
Conjuge laniferæ Numina debet ovis,

Vu 2 ideſt

ideſt immolatione arietis,qui eſt quaſi coniux,maritus ſcilicet ovium, ſicut exponit Alexander Genial. lib.6. cap.8., & Marſus, qui ſubdit Poëtam verſibus, qui ſequuntur, dilucidè narraſſe id ſacrum adeo vetuſtum in Latio fuiſſe, ut aræ, non thure tum non advecto, ſed herbis Sabinis,& lauro fumarent. Hujus feſti Numam auctorem facit, ut ſolet Plutarchus in Numa, fortaſſe quod ille Romam primum hanc celebritatem invexerit, quam à Latinis priſcis eum accepiſſe patuit ex prædictis.

Sequebantur *Carmentalia*, quæ tertio Iduum, ideſt undecimo Januarii die celebrabantur ex Calendario, Ovidio lib.1. Faſtor., & aliis. Alexander Genial. lib.6. cap.8. has ferias decimoctavo Calendas Februarii, & ſic decimoquinto die Januarii, agitatas fuiſſe ſcribit; cui conſentit Calendarium, ubi Carmentalia tertio Iduum, & XVIII. Calendas Februarii acta eſſe notantur. Hinc inſignis confuſio apud viros doctos: nam ſunt qui tradunt priora Carmentalia Porrimæ Carmentæ, quæ & Proſa, ſeu potius Prorſa dicitur, ſacra, ultima Poſtvertæ. Alii memorant prima Carmentæ, ſecunda à duabus Carmentis Porrima, & Poſtverta denominata, ſi Ovidio lib.1. Faſtor. fides danda eſt, qui ſic canit:

Reſpiciet Titan actas ubi tertius Idus,
Fient Parrhaſiæ ſacra relata Deæ.
Nam prius Auſonias matres Carpenta vehebant
(Hæc quoque ab Evandri dicta parente reor)
Mox honor eripitur, matronaque deſtinat omnis,
Ingratos nulla prole novare viros.
Neve daret partus, ictu temeraria cæco,
Viſceribus creſcens excutiebat onus.
Corripuiſſe patres auſas immitia nuptas,
Jus tamen ereptum reſtituiſſe ferunt:
Binaque nunc pariter Tegeæ ſacra parenti
Pro pueris fieri, Virginibuſque jubent:
Scortea non illi fas eſt inferre ſacello,
Ne violent puros exanimata focos.
Si quis amas veteres ritus, aſſiſte precanti,
Nomina percipies non tibi nota prius.

Porri-

Digitized by Google

Porrima placatur, Poſtvertaque ſive ſorores,
Sive fugæ comites, Mænali Diva, tuæ.
Altera quod porro fuerat ceciniſſe putatur,
Altera venturum poſtmodo quidquid erat.

Hactenus Ovidius, quem tamen plures reprehendunt, putantes bis hoc menſe, & notatis diebus ſacrificatum, & in ſacris Carmentam, Porrimam, & Poſtvertam indigitatam, quod ea Dea tam futura, quam præterita canere ſolita eſſet, quemadmodum Paulus Marſus in eum locum Ovidii adnotat, & Roſinus lib.4. cap.5. & alii referunt. Plutarchus tamen Problem. cap.55., vel juxta quorumdam computationem cap. 56., prodit matres familias Romanas ob reſtitutum eis Carpentorum uſum, Templum Carmentæ condidiſſe, & Carmentalia feciſſe quotannis; immò non deſunt qui litteris mandarint, ultima Carmentalia feſta, Porrimæ, & Poſtvertæ Comitibus Carmentæ dicata, quaſi harum Dearum monitu præterita, & futura nota eſſent ex Servio ad lib.8. Æneidos pag.507.

Hiſce præmiſſis incertum eſt cui nam priora, vel ultima Carmentalia eſſent ſacrata. Quod ſi liceret in tantis rerum antiquarum tenebris aliquid fari, facile concederem priora feſta Evandro, poſteriora Carmentæ facta fuiſſe. Porro ex eodem Ovidio, tertio Idus Januarii, ſacrum Carmentæ ad Pontifices ſpectaſſe habes. En ejus carmina:

Proxima proſpiciet Titono Aurora relicto
Arcadiæ ſacrum Pontificale Deæ.

Pergit Naſo, & carminibus quæ ſequuntur cauſam feſti refert ad Evandrum, qui cum Carmenta matre fatidica in Latium venit: qui verſus, quia plures ſunt, apud eundem legi poſſunt. Decimoctavo Calendas Februarii matres ſacrificaſſe liquet ex laudato Poëta; ſed unde tanta ritus difformitas orta ſit, operæ pretium eſt inquirere. Dionyſius lib. 1. poſtquam narravit Evandri, & Carmentæ matris appulſum in Latium, hæc prodit: *Nam & Evandro, & Carmentæ Romanos publice quotannis ſacrificare comperi, quemadmodum reliquis heroibus, ac Dæmonibus, aras etiam eis erectas contemplatus ſum, Carmentæ apud Carmentalem portam, Evandro apud Aventinum Collem prope portam Trigeminam*: Livius Dec.1. lib.1.

lib. 1. addit Latinos Evandrum viventem quaſi divinis percoluiſſe honoribus, quum ob advectas literas, tum propter Carmentæ matris divinitatem: *Venerabilis vir* (Evander ſcilicet) *miraculo literarum rei novæ inter rudes artium homines, venerabilior divinitate credita Carmentæ matris, quam fatiloquam ante Sibyllæ in Italiam adventum miratæ hæ gentes fuerant.*

Ejus rei cauſa Latina gens Evandro, & Carmentæ divinos præſtitit honores, & aras, ac feſtos dies dicavit teſte Virgilio lib. 8. Æneidos, ubi Evandrum ſic loquentem inducit.

Me pulſum Patria, pelagique extrema tenentem
Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum
His poſuere locis, matriſque egere tremenda
Carmentis Nymphæ monita, & Deus auctor Apollo.
Vix ea dicta, dehinc progreſſus monſtrat, & aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam,
Quam memorant Nymphæ priſcum Carmentis honorem
Vatis fatidicæ, cecinit quæ prima futuros
Æneadas magnos, & nobile Pallanteum.

ubi Servius: *Aram*, inquit, *aut quam Evander matri fecit extinctæ, aut aram pro monumento, aut ideò aram, quia ibi ſepulta eſt, & poſt exceſſum Dea credita. Hæc ara juxta portam, quæ primum à Carmenta Carmentalis dicta eſt, poſt ſcelerata à Fabiis CCC. ſex, qui per ipſam in bellum profecti, non ſunt reverſi*: quibus alludunt Ovidius mox adductus, Livius Dec. 1. lib.2., & Feſtus lib. 16. his verbis: *Religioni eſt quibuſdam porta Carmentali egredi, quod ea egreſſi ſex & tercenti Fabii, apud Cremeram omnes interfecti ſunt.* Strabo etiam lib. 5. hujus rei, & vetuſtatis aræ Carmentæ meminit, quamvis fabuloſum aſſerat Evandri in Latium adventum, quem merito arguit Rickius de Antiq. Ital. Colon. cap. 7. ad finem. Idipſum teſtantur Plutarchus in Romulo, Gyraldus de Diis Gent. Syntagm. 15. Alexander Genial. lib. 4. cap. 16., qui probant Evandro quotannis ſacra à Romanis, Latiniſque populis facta, Carmentæ quoque apud Carmentalem portam, & aram à matronis.

Dies verò, quo Latini, & Romani Evandro litabant, quamvis ex prædictis ſtatus, & ſolemnis eſſet, in faſtos relatus non apparet, neque

Digitized by Google

neque ab antiquis notatus; ergo Carmentalia bis hoc menſe agitata eſſe conſtat, quod uno die Evandro Pontifices, altero matronæ Carmentæ ſacrificarent: quamobrem Ovidius conſentit Plutarcho, qui Carmentæ feſto matres Sacerdotes ſacra feciſſe ſcribit, conſentit & aliis, qui ajunt viros ſacris Evandrum honoraſſe, dum tertio Idus Januarii Pontifices ſacra feciſſe ait.

Neque me terret Carmentalium nomen, quippe alibi diximus Gentes ſæpe matrem Deam factam, ſacris honoraſſe in memoriam filii, & filium in honorem matris; ſic enim Calendis Martiis Junoni ſacrificabant, ut Martem filium, cujus tunc feſtum recolebant venerarentur;ita matris Matutæ ferias agitantes,Melicertæ,ſeu Palœmoni filio vota ſolvebant, uti alibi diximus: quibus ſi addas Livium jam adductum perhibentem Latinos Evandrum coluiſſe ob divinitatem creditam Carmentæ matris, facile intelliges eoſdem Carmentalia prima Evandro ſacraſſe, ne aſſeramus Calendarium, id feſtum, quod ad extrema tempora Romæ ſtato die quotannis, & quidem ſolemni ritu per Pontifices actum fuiſſe Dionyſius teſtatur, occuluiſſe.

Hæc potiora ſunt, ſi conſideretur cauſa duplicis feſti Carmentæ, quam Plutarchus, & Ovidius referunt, haud veram eſſe; ferunt enim ſecundo bello Punico,quum Reſpublica infeſtis hoſtibus affligeretur, matronas ſponte aurum, & ornamenta ſua in ærarium contuliſſe, & ob id à Senatu eis datum, ut feſtis, profeſtiſque diebus, dum ad ſacra, & Ludos irent carpento veherentur, ſicuti ex Livio ſcribit Marſus commentator Ovidii loco relato, & Alexander Genial. lib. 4. cap. 8., quod tamen conceſſum Matronis Camilli ætate, quum captis Veiis Apollini votum ſolvendum eſſet, ſcribit Livius Dec. 1. lib. 5., & iterum quum à Gallis Populum Romanum redimi oporteret, cujus rei cauſa Senatus conſulto conſtitutum eſt, ut earum ſicut virorum in funere ſolemnis laudatio eſſet ex Livio ubi ſupra Plutarcho in Camillo Feſto lib. 11. ejuſque interpretibus: quo fit Carmentalia XVII. Calendas hujus menſis celebrata haud traxiſſe originem à Matronis honoratis Carpentorum jure, neque ab iis ædem Carmentæ ob eam cauſam conditam, cujus utique meminiſſent Livius, & Plutarchus in Romulo; quin ex relatis liquet aram, & ædem Carmentæ

mentæ apud Carmentalem portam vetuſtiſſimam Latinis priſcis fuiſſe, Matronas vero apud eam Carmentalia agitaſſe, quod opinarentur eam Deam Fatum eſſe Infantium, ut auctor eſt Plutarchus in Romulo & Problem. cap. 56.

Quamobrem inſtitutum dicitur, ut Carmentalibus poſterioribus, Carmenta Porrima, & Poſtverta indigitaretur, Pontifices ſacra eo die facere crimen eſſet, & aliquid ſcorteum, ideſt ex pellibus, & corio factum, aut ſua morte peremptum, in ejus Deæ ſacellum afferri piaculum, quin ſacello fortaſſe ſcriptum, ne quid ſcorteum adhiberetur, neque morticinum quid adeſſet ex Ovidio, Varrone de Lingua Latina lib. 4. & 5., & aliis; quæ primis Carmentalibus nequaquam inhibita leguntur. Ex qua utriuſque ſacri difformitate intelligitur Carmentalia prima, non Carmentæ, ſed alteri Numini dicata, quod ni fallor, ſolus Evander eſſe poterat, cui ut dictum eſt quotannis ſtato die, & ſolemni ritu Latini, & Romani ſacrificabant, tametſi dies certus notatus non ſit, ſed Carmentalium nomine præumbratus. Ita arbitror, quamvis fatear rem incertam eſſe, & ab argumentis pendere, ac Ovidium potius in æde Carmentæ ambo Carmentalia concelebrata aſſerere, Dionyſium itidem lib. 1., qui tamen Evandro, & Carmentæ eodem die à Romanis ſacra facta videtur innuere.

Cur autem ſcortea, & morticina in ſacris Carmentæ adhiberi non poſſent, nemo antiquorum exponit præter Servium ad lib. 8. Æneidos pag. 489. *Evander*, is inquit, *Arcas fuit nepos Pallantis Regis Arcadiæ; hic patrem ſuum occidit ſuadente Nicoſtrata (quæ etiam Carmentis dicta eſt, quia carminibus vaticinabatur) Alii ipſam Nicoſtratam matrem Evandri quum eſſet centum, & decem annorum à filio peremptam tradunt*; unde arguitur morticina afferri ad ædem hujus Deæ haud potuiſſe, ne fortaſſe obitus ejuſdem per ſceleſtas manus Evandri in memoriam revocaretur. Cæterum ſunt qui perhibent, hoc die in Templis Carmentæ Latinæ genti reſponſa, & oracula data ex Ligorio in MSS. Otthobonianis verb. *Carmilia*; at quoniam is tuetur hanc fuiſſe Bonam Deam, & ætate Pilumni vixiſſe, quæ falſa ſunt, idcirco vereor Ligorium de more Oraculum Albuneæ & Carmentalia confudiſſe; nam etſi Servius ad lib. 8. Æneid. pag. 507. referat opinionem illorum, qui ſcripſerunt Sibyllam Tiburtinam,

Carmen-

Digitized by Google

Carmentam fuiſſe, eos tamen commentores appellat, & Livius Dec. 1. lib. 1. Carmentam in Latium appulſam ante Sibyllam memorat, quidquid opinetur Joannes Velcurio Livii ſcholiaſtes in eum locum, qui putat Livium de Cumana Sibylla, quæ aliquanto ſerius in Italia vaticinata eſt, loquutum: veroſimile tamen Ligorii dictum apparet, quod Latini Carmentam futura & præterita ceciniſſe jactarent, eamque pro Sibylla venerarentur ſi credimus Livio aliiſque ſupra, & Capite 4. relatis, quibus conſentit Servius in lib. 8.: *Matris Evandri, quæ Nicoſtrate dicta eſt; ſed ideo Carmentis appellata à ſuis, quod divinatione fata caneret, nam antiqui vates, Carmentes dicebatur, unde etiam Librarios qui eorum dicta perſcriberent, Carmentarios nuncupatos*: & paulò poſt: *Hæc autem non verè Nympha fuit, ſed vaticinatrix; alii Nympham ideo dictam, quoniam qui Arcadum res ſcripſerunt tradunt ſex fœminas ibi fuiſſe, quæ Nymphæ vocarentur, in queis & Carmentem*, & Plutarchus Problem. cap. 56., & in Romulo, qui ait hanc divino ſpiritu afflatam verſu, ac metro Oracula edidiſſe. Pauſanias Arcadic. ſeu lib. 8. eam Ladonis vocat filiam; alii vero Timandram dictam opinantur, ſed temerè, ut Rickius cap. 7. putat.

Venerabiles Latinis, Romaniſque fuiſſe referunt aras laudatas Evandri, & Carmentæ, quod crederent in illis conditos eorum cineres ex Servio ad lib. 8. Æneidos: memorabile quoque ſaxum Carmentale dictum inter Carmentalem portam, & Capitolium, cujus meminit Livius Dec. 1. lib. 5.. Inſuper Carmentæ nomen Latio univerſo perenne, & ſanctum ob famam, quæ prævaluerat, eam Deam in Latium literas invexiſſe Macrobio Saturnalium lib. 1. cap. 5., & Alexandro Genial. lib. 2. cap. 30. teſtibus: quamvis Dionyſius, Auctor Origin. Gent. Roman., Livius, Ovidius, & alii verius affirment Evandrum literas in Latio primum docuiſſe.

De Evandro diximus Capite 4.; hunc Latina gens Mercurii filium credidit ex Dionyſio lib. 1., & Auctore Orig. Gent. Roman. alii tradunt Mercurium Nicoſtratæ matris Evandri patrem; plerique Mercurium ex Maja natum Arcadum parentem, & ſic Evandri progenitorem fuiſſe ex Servio ad lib. 8. Æneidos pag. 494., ubi Evandri genealogiam prodit. Plures vero eum Echemi filium faciunt, vel

nepotem Pallantis Arcadum Regis, & præceteris Pauſanias Arcadic. ſive lib.8., ac Servius ad lib.8. pag.461. quorum lectionem Rickius de Antiq. Ital. Colon. cap.7. erroneam probat.

Eodem die, quo Calendarium prima Carmentalia exhibet, ideſt undecimo hujus menſis, Juturnæ feſta fuiſſe canit Ovidius lib.1.

Te quoque lux eadem Turni ſoror æde recepit
Hic ubi virgineæ campus obitur aquæ.

Hanc ædem Juturnæ, cujus Naſo meminit, P.Victor in regione Circi Flaminii ad aquam Virginem locat. Poëta vero laudatus in Campo Martio prope Aquam Virginem, ut arguitur ex jam dictis verſibus, & notant Roſinus Antiq. Rom. lib.2. cap.13. ad finem, & Paulus Marſus in Ovidium loco adducto, qui ſubdit ex Frontino de Aquæduct. Agrippam eam aquam in agro Tuſculano collectam, in Urbem adduxiſſe, ac fonti ædiculam appoſuiſſe, ubi picta erat Virgo, quæ aquæ venas militibus eam quærentibus monſtraverat. Verumtamen idem Marſus hæc carmina expendens:

At quæ venturas præcedit ſexta Calendas
Hæc ſunt Lædeis Templa dicata Deis:
Fratribus illa dies, fratres de gente Deorum,
Circa Juturnæ compoſuere lacus,

memoriæ mandavit Juturnæ fontem, ſeu lacum in foro Romano apud Templum Veſtæ fuiſſe, non procul ab æde Caſtoris, & Pollucis: quam eo loci dicatam conſtat ab A. Poſthumio Dictatore bello Latino, quum Senatui relatum eſſet, prælio apud Regillum commiſſo, duos Juvenes, quos Caſtores putarunt equitantes apparuiſſe Romanarum partium Propugnatores, Latinaſque copias fudiſſe: dein viſos in foro Romano apud Lacum Juturnæ ſuum equorumque ſudorem abluentes. Ejus quoque rei meminit Valerius Maximus lib.1. de Miracul. cap.1. & 2., cui conſentit Ovidius hunc fontem Lacum Juturnæ appellans. Oliverius, & Aſcenſius interpretes Valerii, id accidiſſe ajunt in Latio apud Numicum Fluvium, ubi erat Lacus Juturnæ, propterea apud Lacum Juturnæ in Latio poſitam produnt Caſtoris, & Pollucis ædem. At Marſus hos erroris inſimulat, ſubjicitque: *Eſt enim apud Templum Divi Georgii Turris ſemiruta, ſub qua eſt ipſe fons* (Juturnæ ſcilicet) *& aquæ quidem ſalubres,*

bres, *quod ego experiri volui*, *quo certior fierem*, *an ea eſſet aqua Juturnæ*, *præſertim quum Varro dicat*: *Nympha Juturna*, *quæ juvaret*: *itaque multi ægroti propter id numen hic aquam petere ſolent*. *Duxi illuc ad abluendum quinquies diſcipulum ſcabidum*, *protinuſque ab omni ſcabie liberatus eſt*. Unde Marſus concedit huic fonti virtutes, quas antiqui Juturnæ aquæ apud Numicium attribuunt.

Porro Dionyſius lib. 6. Valerio adverſatur; is enim Lacum apud ædem Veſtæ, & fontem memorans, ſcribit eum fontem, in quo Juvenes illos, Caſtores creditos, equos abluiſſe narrabant, ſacrum iis Diis, non autem Juturnæ. En ejus verba: *In Foro Templum Caſtoris publice conſtructum*, *ubi viſæ ſunt eorum imagines*, *vicinuſque fons Numinibus his*, *ſacer dictus*, *& uſque ad noſtra tempora creditus*; itaque ſi ætate Dionyſii is fons, & parvus lacus ſacer dicebatur Numinibus laudatis, veroſimile non eſt illum Juturnæ dicatum. Quamobrem hallucinatum puto Marſum, & fontem apud Veſtæ ædem in foro ſitum, ſive Caſtori, & Polluci ſacrum, uti Dionyſius affirmat, ſive etiam Juturnæ juxta Ovidii, & Valerii ſententiam, non eſſe illum, de quo loquitur Varro; Juturnæ enim fons à juvando dictus, non Romæ, ſed in Latio priſco apud Numicium amnem erat teſtimonio Virgilii lib. 12. Æneid.

At Juno ex ſummo, *qui nunc Albanus habetur*
(Tunc neque nomen erat, *neque honos*, *aut gloria monti)*
Proſpiciens tumulo, *campum ſpectabat*, *& ambas*
Laurentum, *Teucrumque acies*, *Urbemque Latini*,
Extemplo Turni ſic eſt affata ſororem
Diva Deam, *ſtagnis quæ fluminibuſque ſonoris*
Præſidet (hunc illi Rex ætheris altus honorem
Juppiter erepta pro virginitate ſacravit)
Nympha decus fluviorum, *animo gratiſſima noſtro*
Scis ut te cunctis unam, *quæcumque Latinæ*
Magnanimi Jovis ingratum aſcendere cubile,
Prætulerim, *cælique libens in parte locarim*,
Diſce tuum, *ne me incuſes*, *Juturna*, *dolorem*.

Ad hæc Servius: *Juturna*, inquit, *fons eſt in Italia ſaluberrimus*

juxta Numicum fluvium, cui nomen à juvando eſt indictum, quum enim naturaliter omnis aqua noxia ſit extraneorum Corporibus, bic omnibus ſaluberrimus fons eſt; de boc enim fonte Romam ad omnia ſacrificia aqua adferri conſueverat. Bene ergo Virgilius Turno fingit ſororem, qua laborantes juvare conſuevit. Huic fonti per Aquaminum inopum ſacrificari ſolet, cui Lutatius Catulus primus Templum in Campo Martis fecit, nam & Juturnas ferias celebrant qui artificium aqua exercent, quem diem feſtum Juturnalia dicunt. Varro rerum divinarum quartodecimo ait: Juturna inter proprios Deos, Nymphaſque ponitur.

Hactenus Servius, ex quo habes falſam eſſe Marſi ſententiam, quum fons Juturnæ ex cujus aqua ægros curari, & bonæ valetudini reſtitui putabant ex Varrone lib. 4. de Lingua Latina circa Numicium inter Lavinium, & Ardeatinum agrum laberetur teſte Grammatico, cui conſentiunt Alexander Genial. lib.4. cap.17., Voſſius de Idololatr. lib.8. cap.5. & alii. Habes etiam hunc fontem ſacratum à Latinis Juturnæ ſorori Turni, quæ ſubmerſa in Lacu, ex quo fons manabat, nomen illi fecit, uti Voſſius ex Virgilio ſubdit: necnon apud eum fontem priſcos Latinos, & dein Romanos per aquarum inopiam ſacrificare conſueviſſe, ut aquam pluviam à Dea poſtularent; quod nemo antiquorum præter Grammaticum animadvertit, qui in meo codice loco *aquarum inopiam* verba illa mox relata *aquaminum inopum* mendoſe exhibet, quemadmodum Voſſius explicat, qui addit prope Numicium in agro Ardeatino fuiſſe locum ſacri apud hunc fontem, ubi Latini, & Romani Deæ litabant die Juturnalium, & quum aqua pluvia indigerent.

Docet & Servius Romæ Juturnæ ædem in Campo Martis primum condidiſſe Lutatium Catulum, unde nutat ſententia P. Victoris, qui hanc ædem nullo indicato auctore in Circo Flaminio locat, & laudandus Ovidius, qui hoc die apud Templum Juturnæ in Campo Martio feſta peracta canit in memoriam dedicationis ejus ædis. Patet quoque ex eodem Grammatico, Voſſio, & aliis eum referentibus, non hoc die, ſed alio, qui adhuc incertus eſt, ferias, Juturnalia dictas, à Latinis huic Deæ ſacratas: quas præſertim ſervaſſe compertum eſt artificium aqua exercentes; quippe hoc die Car-

menta-

mentalia erant, & feriæ Evandro dicatæ ſub Carmentalium nomine uti diximus: quo fit veroſimile Latinos eodem die ferias Evandri, & Juturnæ non agitaſſe, & Carmentalia ac Juturnalia ſimul conclamaſſe: quin Ovidius non omiſiſſet Juturnalium mentionem facere, neque ſolius dedicationis ædis Juturnæ in Campo Martio meminiſſet.

Templo Juturnæ in Ardeatino prope fontem, ædem Laræ, ſeu Larundæ proximam fuiſſe ſcribit Ligorius in MSS. Otthobonianis verbo *Lara*. Hanc plures produnt Nympham Junonis compreſſam à Mercurio, duos generaſſe filios Lares dictos, quorum alterum bonum, alterum malum credebant. Alii narrant eam Nympham Tiberinam, cui Juppiter linguam reciderit, ne ejus ſtupra Junoni publicaret, ſi Ligorio fides danda eſt, qui autem hæc hauſiſſe videtur partim à Virgilio loco notato, & partim ab Ovidio lib. 2. Faſtor., cujus hæc ſunt carmina:

Protinus à nobis quæ ſit Dea muta requiris:
Diſce per antiquos, quæ mihi nota, ſenes.
Juppiter immodico Juturnæ captus amore
Multa tulit tanto non patienda Deo.
Illa modo in ſilvis inter Coryleta jacebat,
Nunc in cognatas deſiliebat aquas.
Convocat hic Nymphas Latium quæcumque tenebant
Et jacit in medio talia verba choro,

& paulò poſt ſic pergit.

Dixerat, annuerant omnes Tyberinides undæ,
Quæque colunt thalamos Ilia Diva tuos.
Forte fuit Nais, Lar nomine: prima ſed illi
Dicta bis, antiquum ſyllaba nomen erat.
Ex vitio poſitum: ſæpe illi dixerat Almo
Nata tene linguam, nec tamen illa tenet.
Quæ ſimul ac tetigit Juturnæ ſtagna ſororis,
Effuge, ait, ripas, dicta refertque Jovis.
Illa etiam Junonem adiit, miſerataque nuptas:
Najada Juturnam vir tuus, inquit, amat.

Juppi-

Juppiter intumuit: quaque eſt non uſa modeſte
Eripit huic linguam, Mercuriumque vocat.

Narrat ſequentibus verſibus ſtuprum Mercurii, inde ſic canit:

Fitque gravis, geminoſque parit, qui compita ſervant,
Et vigilant noſtra ſemper in Urbe Lares.

Ex quibus Ovidii carminibus patet hanc Larium matrem apud Juturnæ fontem in Latio cultam, de quo tamen conſulas Caput 17.

Porrò ſententia Servii, qui teſtatur aquam Juturnæ fontis prope Numicium in Ardeatino in omnibus ſacris Romæ adhibitam, nutat, quod idem lib. 7. Æneidos ad illud:

. . . . . . *hæc fontis ſtagna Numici.*

ita ſcribit: *Numicus ingens antea fluvius fuit, in quo repertum eſt cadaver Æneæ, & conſecratum, poſt paulatim decreſcens, in fontem redactus eſt, qui & ipſe ſiccatus eſt, ſacris interceptus; Veſtæ enim libari nonniſi de hoc fluvio licebat*: ergo Grammaticus ſibi adverſatur, nam Veſtæ de Juturnæ aqua, quam in omnibus ſacris adhibitam alio loco prodit, libari haud poterat. At ego Servium laudo, quandoquidem omnes penè Romani Scriptores probant Juturnæ aquam in omnibus ſacris adhibitam, quod præter adductos Roſinus etiam lib. 2. cap. 13. affirmat. Erat enim fons Juturnæ Numicio amni proximus, immo ex ipſo Numicio lacus, & fons ipſe ſcatere putabatur; quippe antrum, unde Numicius exibat, ſacrum erat Annæ Perennæ, & prope illud viſebatur ædes ejus Deæ, apud quam Latini priſci feſta quotannis celebrabant, uti diximus Capite 15., & prodit Cluverius Italia Antiqua lib. 3. pag. 895., qui id probat ex Ovidio, & Silio lib. 8., non vero lib. 3. ut mendosè notatur dicto cap. 15., ubi Poëta eleganter inducit Didonem, quæ Annam ſororem ita adfatur:

Surge age, jam tacitas ſuſpecta Lavinia fraudes
Molitur, dirumque nefas ſub corde volutat.
Præterea (ne falſa putes hæc fingere ſomnum,)
Haud procul hinc parvo deſcendens fonte Numicus
Labitur, & leni per valles volvitur amne.
Huc rapies germana viam, tutoſque receptus:

Te

Te ſacra exquirent hilares in flumina Nymphæ :
Æternumque Italis numen celebrabere in oris.

dein relato caſu, quem Cap. 15., expoſuimus, ſic concludit:

. . . . . tum ſedibus imis
Inter cæruleas viſa eſt reſidere ſorores
Sidonis, & placido Teucros adfarier oro;
Ex illo primis anni celebrata diebus
Per totam Auſoniam venerando numine culta eſt.

Omnis aqua ejus fluminis ſacra fertur Jovi Indigeti; ideſt Æneæ, quem ſubmerſum in Numicio amne, illum ſacrum feciſſe jactabant ex relatis Capite 5. & alibi. Quamobrem & Juturnæ fons ex eo manans ſacer habitus: & quoniam hujus fontis aquæ ægros juvabant, factum eſt, Aſcanio (ut perhibent) auctore, ut Albæ de hac aqua libari tantum Numinibus liceret, unde mos Romanorum eam aquam in omnibus ſacris in primis inſpergendi, uti Voſſius, aliique mox relati notant, & præcæteris Alexander Genial. lib.4. cap. 17., qui Juturnæ, & Numici aquas eaſdem refert.

Immo quum Albæ Veſtales nonniſi de Numici, ſeu fonte Juturnæ, quæ è Numico manabat, aqua Veſtæ libarent, inſtitutum eſt, ut Romæ Veſtæ de ea ſolum aqua libaretur, quamquam Dionyſius lib.2. & Auctor Origin. Gent. Rom. literis mandarint Veſtales Albæ aquam puram è fonte, qui erat in Luco Martis in ſacris Veſtæ adhibuiſſe; & quum eam aquam ſuper terram poſuiſſe piaculum eſſet, propterea Albani, dein Romani edixerunt Virgines futili ſolum vaſe uti poſſe; id namque vas lato ore, & fundo anguſto, ſeu acuto erat, proinde inſtabile, ita ut ſtare non poſſet, ſed poſitum ſuper terram ſtatim effunderetur ex Servio ad lib. 11. Æneidos, Luctatio interprete Statii lib. 8. Thebaid. Donato in Andr. Terentii act. 3. ſcen. 5. & in Phormione ipſius Terentii act. 5. ſcen. 1. Alexandro Genial. cap. 17., Tiraquello, & aliis, de quibus tamen ſuo loco plura dicenda ſuperſunt. Quæ ſatis ſit retuliſſe ad Juturnalium ſolemnitatem indicandam.

Hoc menſe Penatibus ferias, & feſtas celebritates dicatas patet ex Calendario veteri ruſtico apud Roſinum, & alios. Latini ſanè, qui Januarium computabant ſtato die quotannis hoc menſe ſacra

fece-

fecerunt Diis Penatibus, quos Æneas in Latium advexerat, & Lavinii locaverat. Horum Deorum Servius ad ea carmina Virgilii lib. 3. Æneidos:

> *Nox erat, & terris animalia ſomnus habebat:*
> *Effigies ſacræ Divum, Phrygiique Penates,*
> *Quos mecum è Troja, mediiſque ex ignibus Urbis*
> *Extuleram, viſi ante oculos extare jacentis,*
> *In Somnis . . . .*

ſic memorat: *Varro ſane rerum humanarum ſecundo ait Æneam Deos Penates in Italiam reduxiſſe quædam lignea, vel lapidea ſigilla, quod evidenter exprimit dicendo effigies ſacræ Divum, Phrygiique Penates, quamvis alio loco alias opiniones ſequutus, diverſa dixerit. Sane hos Deos Dardanum ex Samothracia in Phrygiam, Æneam vero in Italiam ex Phrygia tranſtuliſſe idem Varro teſtatur; quos quidem dicunt ideo inductos à Poeta per ſomnum, monitu nam eorum per quietem juſſum cum Latino fædus feciſſe; eorum etiam monitu Latinum Æneæ ſe conjunxiſſe. Eoſdem tradit viſos aliquoties in ſomnis, quid fieri vellent imperaſſe, eaque noſtros publice curaſſe majores*: & iterum ad lib. 1.

> *Sum pius Æneas, raptos qui ex hoſte Penates*
> *Claſſe veho mecum.*

idipſum affirmat. Quin lib. 3. Æneidos ad hoſce verſus:

> *Littora tum Patriæ lacrimans portuſque relinquo,*
> *Et campos, ubi Troja fuit, feror exul in altum*
> *Cum ſociis, Natoque, Penatibus, & Magnis Diis.*

Alii (inquit) *Deos magnos Cœlum & Terram putant, ac per hos, Jovem, & Junonem: Dii Penates à Samothracia ſublati ab Ænea in Italiam advecti ſunt; unde Samothraces cognati Romanorum dicuntur, quos inter cætera ideo magnos appellant, quod de Lavinio tranſlati Romam, bis in locum ſuum redierint, quod Imperatores in Provincias ituri apud eos primum immolabant, quod eorum nomina nemo ſciat, quod præſentes ſentiantur; nam quum ambæ Virgines in Templo Deorum Lavini ſimul dormirent, ea quæ minus caſta erat fulmine exanimata, alteram nihil ſenſiſſe, quos* (Penates ſcilicet) *immani penitus in cultu habent, quos, niſi Sacerdoti videre,*

fas

fas nulli ſit, qui ideo Penates appellantur, quod in penetralibus ædium cœli ſedeant, nam & ipſum penetral penus dicitur, ut hodie quoque penus Veſtæ claudi, vel aperiri dicitur.

Et infra: *Varro unum eſſe dicit Penates, & magnos Deos, nam & in baſi ſcribebatur* magnis Diis; *Poteſt tamen hoc & pro honore dici. Nam & Dii magni ſunt Juppiter, Juno, Minerva, Mercurius, qui Romæ colebantur: Penates vero apud Lauro Lavinium, unde apparet non eſſe unum. Idem Varro, & alii complures magnos Deos affirmant ſimulacra duo virilia Caſtoris, & Pollucis in Samothracia ante portum ſita, quibus naufragio liberati vota ſolvebant.*

Hactenus Grammaticus, qui memoriæ prodit Æneam Penates Lavinii in adyto ædis Veſtæ locaſſe, quod & tradit Alexander Genial. lib. 5. cap. 12., & diximus Capite 9. dubitantes. Narrat etiam prodigia quæ Latini, Deos laudatos Lavinii feciſſe jactabant; vereor tamen mendum ineſſe Servio eo loci, quo ſcribit, bis ſimulacra Romam tranſlata in locum ſuum rediiſſe, nam, uti dictum eſt Capite 6. id accidiſſe ajunt Aſcanio, quum is vellet Albam effigies Penatium transferre. Addit præterea Latinos ſumma veneratione hoſce Deos proſequutos, ut innueret maximum, & inſignem fuiſſe eorum cultum in Latio, ubi Dii magni dicebantur Penates, non quod eſſent Juppiter, Juno, Minerva, & Mercurius, qui Romæ magni Dii vocabantur, ſed quod pro magnis Diis in Latio haberentur, & crederentur in ſomnis admonere Reges, & Duces Latinorum, quum aliquod Reipublicæ periculum immineret; quin facile eſt, ut ex verbis Servii mox relatis patuit, Virgines Veſtales cubare conſueviſſe in adyto ædis Veſtæ, ubi Penates erant, ut ita in ſomnis admonitæ, quaſi futurorum caſuum Oracula Imperatoribus Latinis funderent, & quæ facienda eſſent prædicerent.

Ex Servio quoque conſtat, nedum Conſules, Prætores, & Dictatores Romanos quum magiſtratum adirent, Lavinii rem divinam Penatibus, & Veſtæ feciſſe, quod & tradit Macrobius Saturnal. lib. 3. cap. 4. ad fin.; ſed Imperatores omnes in Provincias ituros iiſdem Diis Lavinii immolaſſe; unde hallucinatos palam eſt complures, & præſertim Paulum Marſum interpretem Ovidii lib. 1. Faſtor. ad ea carmina:

Jam pius Æneas ſacra, & ſacra altera patrem
Afferet, Iliacos accipe Veſta Deos.

qui prodiderunt Penates Romam in Templum Veſtæ, quod Numa Romæ condidit, translatos; quippe horum lapſum evincit factum Romanorum, qui priuſquam magiſtratum inirent Lavinii Penatibus ad Macrobii ætatem ſacrificabant, quibus utique Romæ in æde Veſtæ litaſſent, ſi in ea Trojana pignora ſervata eſſent: quibus ſi addas famam vetuſtam Quiritum, qui putabant ex Lavinii Templo effigies Deorum amovere ominoſum, ob miraculum, quod accidiſſe narrabant Aſcanio, quum conatus eſſet è Lavinio illas Albam transferre, res in propatulo erit.

Diximus Capite 9. non defuiſſe qui nomina Penatum publicarent; verumtamen Servius ſuperius adductus docet nemini nota eorum nomina: & merito, quoniam ferunt Dardanum, qui Samothracas Deos, qui jidem ac Penates, in inſulam Thraciæ primus invexit, & quos Troja poſtmodum coluit, nemini eorum nomina communicaſſe teſte Dionyſio lib. 1.; quamobrem Varro apud Arnobium lib. 3. Contr. Gent. ita redarguit eos, qui nomina Penatium pandere auſi ſunt: *Varro*, inquit, *Penates, qui ſunt introrſus atque in intimis penetralibus, Cæli Deos eſſe cenſet, quos loquimur, nec eorum numerum, nec nomina ſciri. Hos Conſentes, & Complices Etruſci ajunt, & nominant, quod una oriantur, & occidant una; ſex mares, & totidem fœminas nominibus ignotis, & iis nationis barbariſſimæ, ſed eos ſummi Jovis conſiliarios, ac Principes exiſtimari. Nec defuerunt qui ſcriberent, Jovem, Junonem, & Minervam Deos Penates exiſtere, ſine quibus vivere, ac ſapere nequeamus, ſed qui penitus nos regant ratione, calore, ac ſpiritu.* Porro & Macrobius Saturnal. cap. 4. idipſum ſcribit, & Penates eſſe ait per quos penitus ſpiramus, per quos habemus corpus, & rationem animi poſſidemus, eorum tamen nomina, neque Varroni rerum divinarum peritiſſimo nota fuiſſe, quin Servius ad lib. 3. Æneidos ad illud:

. . . . . . hinc Dardanus ortus
Jaſiuſque pater, genus à quo Principe noſtrum.

ſubjicit: *poteſt tamen & generaliter intelligi, ideſt unde originem duci-*

ducimus, ut Deos Penates quaſi Trojanos intelligas, & ad ritum referri, de quo dicit Labeo in libris, qui appellantur de Diis, quibus origo animalis eſt, in quibus ait eſſe quædam ſacra, quibus animæ humanæ vertantur in Deos, qui appellantur animales, quod de animis fiunt, ii enim ſunt Dii Penates, & vitales, quo nil turpius dici poterat.

Adrianus Turnebus in Varronem de Lingua Latina pag. 31. horum Deorum ſic meminit: *Apud Euſebium lib. 1. Præparat. Evangel. Samothraces Dii ſunt Caſtor, & Pollux, aut Cabiri, aut Corybantes; id tamen reprehendit Varro, & ad rerum principia Deos illos revocat. Tertullianus de Samothracibus hoc ſcribit: ante eos tres Aras tribus Diis patent, Magnis, Potentibus, Valentibus, eoſdem Samothracas exiſtimant. Eorum ſacris religioſiſſimis homines initiabantur*: unde conſtat in quanto ea res diſcrimine ſit; quamobrem Dionyſius lib. 1., & Servius loco relato falſitatis notant eos, qui Caſtorem, & Pollucem Penates eſſe ſcripſerunt. Cæterum homines hæc ſacra tractaſſe patet in Samothracia, ut auctor eſt Dionyſius lib. 1., non autem in Latio, ubi ſolæ Veſtales Virgines, & Pontifices adytum ædis Veſtæ Lavinatis adire, & ſacra Penatibus facere poterant ex Macrobio, Servio, Alexandro, & aliis.

Hæc dicta velim, ut palam ſit Penates, Lavinii ab univerſo Latio, & Romanis maxime cultos ad extrema Romani Imperii tempora, eorumque nomen, & numerum nunquam publicatum, ritus, ac effigies numinum referre, Sacerdotibus religioni fuiſſe teſte Dionyſio lib. 1. Erant autem ii publici, & Patrii Dii Latinæ, & dein Romanæ gentis, quorum præſidio Rempublicam ſalvam fore opinabantur, ut auctor eſt Virgilius apud Macrobium cap. 4., cui conſentiunt omnes Romani ſcriptores. Martianus Capella de Nupt. Philolog. & Mercurii lib. 1. ait: *Senatores Deorum, qui Penates ferebantur, Tonantis ipſius, & cum iis Lares in prima cœli regione ſedem habere*, ex quibus ſequitur erraſſe qui putant, Penates, & Lares eoſdem fuiſſe, quamvis fatear Penates alios publicos, alios privatos, alios totius generis humani, alios Cœli, Terræ, ſeu cujuſvis Civitatis, aut nationis, quin alios cujuſque Domus, quaſi Cuſtodes, & Præſides, ut videre eſt apud Roſinum Antiq. lib. 2. cap. 14., Toma-

ſinum de Donar. cap.8. ad finem, & alios, de quibus tamen non eſt noſter ſermo; nos enim egimus de Penatibus Latinæ, & Romanæ gentis Cuſtodibus, quos in æde Lavinii Æneas poſuit, & Latini præcæteris Diis, ſacris quotannis, & hoc menſe honorarunt ex Alexandro Genial. lib.6. cap.4. aliiſque ſuperius adductis, quos Deos fama erat, ſicuti alios, qui Lavinii colebantur, non habuiſſe velatum caput, unde arguitur Deorum Trojanorum ſimulacra capite aperto effičta fuiſſe teſte Servio lib.3. Æneidos ad illud:

Talibus attonitus viſis, ac voce Deorum.

Satis de Penatium feſtis diximus, nunc ad Sementinas ferias divertamus. Has hoc menſe fuiſſe nemo negat, dies autem incertus eſt, quod à Pontificibus quotannis conciperetur, vel celerius, vel ſerius pro qualitate temporis; nam indicebantur poſt jačta, & condita ſolo ſemina, & terra jam gravida ex Varrone lib. 5. de Lingua Latina: *Sementinæ feriæ dies is, qui à Pontificibus dictus appellatur à ſemente, quod ſationis cauſa ſuſcepta*: Feſto lib.17.: *Sementinæ feriæ fuerunt inſtitutæ, quaſi ex iis fruges grandeſcere poſſint*: Ovidio lib.1. Faſtor. ad finem.

Ter quater evolvi ſignantes tempora faſtos
Nec Sementina eſt ulla reperta dies.

& paulò poſt:

Utque dies incerta ſacra, ſic tempore certo
Seminibus jactis eſt ubi fœtus ager.

Sunt qui dicant has ferias conceptivas, ut plurimum incidiſſe in diem vigeſimum quartum, vel vigeſimum quintum Januarii, ſi Commentatoribus Feſti, & præ cæteris Dacerio, & Roſino lib.4. cap.5. fides danda eſt. Idque veroſimile affirmo, quod diem vigeſimum quintum ejus menſis, quo nos Converſionem S. Pauli celebramus, Latini, aliique convicini Populi, ac Itali fere univerſi maxime obſervant, & ex qualitate aëris menſem auſpicari poſſe opinantur, cujus rei cauſam puto morem priſcum Gentilium die harum feriarum hæc, & ſimilia augurandi: neque vereor Sementinas Latinis priſcis fuiſſe prius quam Roma conderetur; quandoquidem has ferias vetuſtiſſimas omnes memorant, neque earum auctor proditur, immo antiquus Feſti interpres, illas ad Evandri ætatem refert,

Digitized by Google

refert, & quidem teſtimonio Varronis apud D. Auguſtinum lib.4. de Civit. Dei cap. 8. hæc habes: *Sata frumenta quamdiu ſub terra eſſent præpoſitam voluerunt habere Deam Sejam, quum vero jam ſuper terram eſſent, & ſegetem facerent, Deam ſegetiam*: & iterum lib. 10. cap. 2. ubi ſubdit harum ſimulacra in Circo, Romæ poſita, & Plinius apud Paulum Marſum in Ovidium loco notato ſubjicit à Numa Pompilio conſecrata fuiſſe, licet Marſus Seriam Deam loco Sejæ ſcribat. Ex his itaque arguitur, non Romanorum tantum, ſed & vetuſtiſſimum cæterarum gentium morem fuiſſe numina laudata, ſeu potius Tellurem, vel Cererem nominibus prædictis invocandi, quum ſemina ſub terra conderentur, aut Segetem facerent; immo Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 16. Ruſticis, & Patribus familias tantæ religionis fuiſſe ſcribit ea nomina proferre, ut qui Sejam, & Segetiam nominaſſent, ferias obſervare debuiſſent.

Quibus feriis inſtitutum fertur, ut coloni, & boves coronati in præſepibus quieſcerent, & Telluri, ac Cereri frugum parentibus farre, & porca prægnante ſacra fierent teſtimonio Ovidii loco jam adducto, ubi ſic occinit:

State coronati plenum ad præſepe juvenci
Cum tepido veſtrum vere redibit opus.
Villice da requiem terræ ſemente peracta.
Da requiem, terram qui coluere, viris.
Pagus agat feſtum, Pagum luſtrate Coloni,
Et date Paganis annua liba focis.
Placentur frugum Matres, Telluſque, Cereſque
Farre ſuo, gravidæ viſceribuſque ſuis.

ubi Marſus notat idipſum factum in Paganalibus, ſeu Paganicis feſtis, quæ paulò poſt Sementinas hoc eodem menſe celebrata ajunt, quorum meminit Varro lib. 5. de Lingua Latina. Dionyſius lib. 4. tradit Paganica feſta, de quibus verba fecimus, Servium Tullium, Romanorum Regem inſtituiſſe, quod & probat Roſinus lib. 4. cap. 17. cujus rei cauſa Ovidius verſibus relatis Sementinas cum Paganicis fortaſſe confundit. Scaliger Conjectaneis in Varronem ubi ſupra, addit Cererem ſacris Paganalibus vocatam fuiſſe Empandam, quod panem panderet, & daret ex Nonio Marcello de Propriet. Sermonis.

monis.

monis. Hinc viri docti putant in Sementinis ex priſco ritu Cererem Sejam, ſeu Seriam, ut placet Marſo, & Segetiam indigitatam, quod tamen antiqui non notant.

CAPUT XXVI.

De Feſtis diebus menſis Februarii.

NArravimus Capite 14. pleroſque Latinos populos Februarium menſem in faſtos ſuos retuliſſe, & Februo Deo purgationum, qui, teſte Varrone lib. 5. de Lingua Latina, Sabinorum numen erat, dicaſſe. Arcades, Evandro Duce in Latium appulſi hoc menſe eum ritum luſtrandi, ſeu purgandi populum, & Urbes in Latii oras invexerunt, ut ex Feſto, Varrone, Macrobio, Ovidio, & aliis relatis Capite 14. patuit. Ejus rei cauſa XV. Calendas Martii, ideſt die XV. Februarii *Lupercalia* inſtituerunt, quibus Urbes, & populos luſtrarent. Erat ſane id feſtum Panis, præcipui Arcadum Numinis, quem etiam Faunum dicebant, Ovidio lib. 2. Faſtorum teſte.

Tertia poſt Idus, nudos aurora Lupercos
Aſpicit, & Fauni ſacra bicornis erunt.
Dicite Pierides ſacrorum quæ ſit origo,
Attigerit Latias unde petita domos?
Pana Deum pecoris veteres coluiſſe feruntur
Arcades, Arcadiis plurimus ille jugis.

dein Poëta ſic pergit:

Pan erat armenti, Pan illic Numen aquarum
Munus ob incolumes ille ferebat oves.
Tranſtulit Evander ſilveſtria Numina ſecum
Hic ubi nunc Urbs eſt, tunc locus Urbis erat.
Inde Deum colimus, devectaque ſacra Pelaſgis
Flamen adhæc priſco more Dialis erat.

Interpretes Ovidii, maxime Paulus Marſus, notant Latinos priſcos, Pana, & Lupercalia ab Arcadibus inſtituta feſtis celebritatibus percoluiſſe tanta reverentia, ut quotannis hoc genere luſtrationis, populi

Digitized by Google

populi ſeſe expiatos putarent ab omni crimine, quos ideo irridet idem Naſo his carminibus:

Ah nimium faciles, qui triſtia crimina cædis
Fluminea tolli poſſe putatis aqua!

ſubdunt præterea Flaminem Jovis à Latinis addictum fuiſſe ad hæc ſacra perficiendum, quod & prodit Dionyſius lib. 1.: *Non longe*, inquit, *inde aberat Lucus opacus denſitate arborum, & rupes cava, manans fontibus; id nemus ferebatur Pani ſacrum cum ara inibi poſita*: & paulò poſt: *Conſecratus autem dicitur is locus olim ab Arcadibus Evandri ſociis, qui domicilia ibi ſtatuerant*: & infra: *Ælius Tubero vir gravis, & ſcriptor diligens tradit Numitoris paſtores inſidiis elegiſſe tempus, quo Juvenes Pani Lupercalia, ſacrum Arcadicum ex Evandri inſtituto, erant celebraturi*. Virgilius itidem lib. 8. Æneidos, qui Evandrum inducit, loca, ubi Roma condita fuit, Æneæ oſtendentem, & ita canit:

Hinc Lucum ingentem (quem Romulus acer Aſylum
Rettulit) & gelida monſtrat ſub rupe Lupercal,
Parrhaſio dictum Panos de more lycæi.

ubi Servius, Donatus, & Probus narrant Poëtam cecinisse id ſacrum peragi ſolitum more Parrhaſio, ut innueret Arcadico ritu Lupercalia agitata ſemper Romæ, & in Latio fuiſſe, uti Evander edixerat; quamobrem idem Grammaticus eo loci ſic ait: *Sub monte Palatino eſt quædam ſpelunca, in qua de capro luebatur, ideſt ſacrificabatur, unde Lupercal dictum nonnulli putant. Alii quod illic Lupa Remum, & Romulum nutrierit. Alii (quod verius eſt) locum hunc eſſe ſacratum Pani Deo Arcadiæ, cui etiam mons Lycæus in Arcadia erat conſecratus, & dictus Lycæus, quod lupos non ſinat in oves ſævire, ergo ideo & Evander Deo gentis ſuæ ſacravit locum, & nominavit Lupercal, quod præſidio ipſius Numinis lupi à pecudibus arcerentur*. Idem tradunt Livius Dec. 1. lib. 1. Plutarchus in Romulo, & in Cæſare, qui hanc fuiſſe famam Romæ vetuſtiſſimam teſtatur, necnon Alexander Genial. lib. 4. cap. 12. ad principium.

Et tamen hac fama poſthabita, & ſcriptorum ſententia, ſunt qui literis mandarint id ſacrum, & feſta laudata Romulum inſtituiſſe, ut auctor eſt Valerius Maximus lib. 2. cap. 2.: *Lupercalium mos à Romu-*

Romulo, & Remo inchoatus eſt. Tunc cum lætitia exultantes, quod his avus Numitor Rex Albanorum eo loco, ubi educati erant Urbem condere permiſerat ſub monte Palatino hortatu Fauſtuli educatoris ſui, quem Evander Argivus conſecraverat, facto ſacrificio, cæſiſque capris, epularum hilaritate, ac vino largiore provecti, diviſa Paſtorali turba cincti pellibus immolatarum hoſtiarum, jocantes obvios petiverunt; cujus hilaritatis memoria annuo circuitu feriarum repetitur: quod & tradunt Auctor Origin. Gent. Rom. & alii. Hi enim ſicuti alibi fuſius diximus, ritus priſcos Latinorum obumbrare ſtuduerunt, ut Romulo, & cæteris Regibus Conſulibuſque Romanis eam laudem darent. Cæterum Lupercal, Lupercos, ritus ſacrorum, & Lupercalia antiquiſſima in Latio fuiſſe, & ab Arcadibus inſtituta palam eſſe arbitror, ac Valerium Maximum, & qui illi adhærent erraſſe; quandoquidem hoc menſe, & die Romulum Lupercalia celebraſſe in honorem Panis patuit ex prædictis, quo fit ea feſta à Latinis, & Albanis celebrari conſueviſſe, nam Romulus fertur Albano, vel Græco ritu ſolemnia agitaſſe, ut Latinis, & Albanis mos erat Livio lib. 1. teſte. Eas igitur ſolemnitates Evandrum indixiſſe, ut ita luſtraret Populum, & Urbem, dilucidum eſt teſtimonio Dionyſii lib. 1., qui poſtquam meminit Romulum mori Latinorum obſequentem, Lupercalia celebraſſe, hæc ſubdit: *Quando mos erat, ut inter Palatini montis Incolas juventus poſt cæſas hoſtias è Lupercali nuda circum vicum curſitaret, pudendis tantum recens mactatarum pecudum exuviis ſuccinctis: id erat luſtrationis genus quoddam Vicanis receptum uſu patrio, quod nunc quoque ſolet fieri*: Livii etiam Dec. 1. lib. 1. ad principium his verbis: *Jam tum in Palatino monte Lupercal hoc fuiſſe ludicrum ferunt, & à Palanteo Urbe Arcadiæ Palantium, deinde Palatium appellatum, ibi Evandrum, qui ex eo genere Arcadum multis ante tempeſtatibus ea tenuerat loca, ſolemne allatum ex Arcadia inſtituiſſe, ut nudi Juvenes Lycæum Pana venerantes per luxum, atque laſciviam currerent, quem Romani deinde vocant Inuum*. Hoc firmat & Plutarchus in Romulo, qui relata ſententia C. Acilii, & Butæ, qui elegiacis verſibus cauſas Romanarum rerum fabuloſas perſcripſit, & de Lupercalibus ſic cecinit:

Percu-

Percutere oblatos velut enſe cucurrit ab Alba
Armatus quondam Romulus, atque Remus:

quibus innuit, Romanos hiſtoricos, qui Romulum Lupercalium auctorem fecerunt erraſſe, & ab Evandro Lupercalia inſtituta, & ſolemnitatem ſacri eo animo inventam, ut ita quotannis luſtrarentur Populi, & Urbes, unde compertum eſt Valerium, qui ritum ad cauſam lætitiæ refert, hallucinatum. Equidem Varro de Lingua Latina lib. 5. Plutarcho conſentit, ac Feſtus lib. 6. cujus verba retulimus Cap. 14. Hinc Poëtæ paſſim ejus ſacri meminerunt. Papinius Statius in Patris Epicedio.

. . . . . . *cui Chalcidicum fas volvere carmen*
Lanea cui Phrygii eſt coma flaminis, & tua multum
Verbera ſuccincti formidavere Luperci.

Ovidius lib. 5. Faſtorum:

Sacraque multa quidem, ſed Fauni prima bicornis.
Has docuit gentes, Alipediſque Dei.
Semicaper coleris cinctutis Faune Lupercis,
Cum luſtrant celebres vellera ſecta vias.

Prudentius in paſſione Romani Martyris:

Quid illa turpis pompa, nempe ignobiles
Vos eſſe monſtrat, cum Luperci curritis;
Quem ſervulorum non rear viliſſimum
Pulſet puellas verbere actas ludicro.

ubi Poëta alludit mori per Plutarchum relato, & lib. 2. in Symmachum:

Inde Lupercales ferulæ, nudique petuntur
Diſcurſus Juvenum.

Virgilius lib. 8. Æneidos:

Hinc exultantes Salios, nudoſque Lupercos.

Hic Servius parum memor eorum quæ ſcripſerat loco ſuperius adducto hæc notat: *Quum in honorem Panos Lupercaliorum ſolemne celebraretur, pecora Romanorum ſubito à latronibus rapta ſunt, illi projectis veſtibus inſequuti ſunt: his latronibus oppreſſis, & receptis animalibus, propter rem à nudis bene geſtam, conſuetudo permanſit, ut nudi Lupercalia celebrarent.* Quis autem non videt quam inſulſa

 ſit

ſit ejus ritus cauſâ, quam Servius adducit; nonne latrones magis timere debebant nudos, & inermes, quam veſtitos? Quamobrem nudos diſcurriſſe Lupercos, quod Pan per veſtes ab Hercule deluſus fuerit narrat Ovidius lib. 2. Faſtorum, ſeu verius quod id eſſet Arcadum inſtitutum, quo ii myſteria ejus ſacri repræſentabant, uti idem Ovidius occinit:

Ipſe Deus nudus, nudos jubet ire Miniſtros
Nec ſatis ad curſus commoda veſtis erat.

ferunt enim Arcades putaſſe Pana Deum ruſticum, in naturæ ſimilitudinem formatum, unde idem Grammaticus in Virgilii Ecloga 2. ad ea carmina:

Mecum una in ſilvis imitabere Pana canendo,
Pan primus calamos cæra conjungere plures
Inſtituit, Pan curat oves, oviumque Magiſtros.

Pan, inquit, *dicitur omne; habet enim cornua, ideſt ad ſimilitudinem Solis radiorum, & Lunæ cornuum; rubet ejus facies ad ætheris imitationem. In pectore habet nebridam ſtellatam, ut ſtellas imitetur. Pars inferior hiſpida propter arbores, & feras. Caprinos habet pedes, ut oſtendat terræ ſoliditatem, fiſtulam habet ſeptem calamorum propter harmoniam ex ſeptem ſonis. Pedum habet propter annum, quem in ſe recurrere fingunt Poetæ; cum Amore Deum luctatum eſſe, & ab eo victum, quia omnia vincit amor.* Servio conſentit Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 22. qui Pana, Arcadibus ſolem fuiſſe ait. Ergò liquet Lupercos Dei miniſtros nudos diſcurriſſe, ut imitarentur Deum, qui nudus pingebatur, ſicuti arguit Juſtinus lib. 43. ſic capram illi mactatam Lupercalibus ajunt, quod caprina facie, & caprino pede ejus ſimulacrum eſſet, ſi credimus Herodoto lib. 2. & Silio Italico lib. 13. Punicorum, qui eleganter Dei ſimulacrum, & cauſas ejus deſcribit his verſibus:

Pan Jove miſſus erat ſervari tecta volente
Trojæ, pendenti ſimilis Pan ſemper, & uno
Vix ulla inſcribens terra veſtigia cornu,
Dextera laſcivit cæſa Tegeatide capra,
Verbera læta movens feſta per compita cauda
Cingit acuta comas, & opaca tempora pinus,

Ac

Ac parva erumpunt rubicunda cornua fronte
Stant aures, ſummoque cadit barba hiſpida mento.
Paſtorale Deo baculum, pelliſque ſiniſtrum
Velat grata latus teneræ de corpore Damæ:
Nulla in præruptum tam prona, & inhoſpita cautes,
In qua non librans corpus, ſimiliſque volanti
Cornipedem tulerit præciſa per avia plantam.
Interdum inflexus medio naſcentia tergo
Reſpicit arridens hirtæ ludibria caudæ,
Obtendenſque manum, ſolem inferveſcere fronti
Arcet, & umbrato perluſtrat paſcua viſu.

Hinc patet hæc feſta hoc modo celebrata fuiſſe: Flamen Jovis Pani capras immolabat candidas, dein duo Juvenes Lupercorum ſodalitati adſcripti ſe ibi ſiſtebant. Horum frontes, & ora cultro ſanguine hoſtiarum infuſo alii Luperci intingebant, mox lana quam Pontifices à Rege ſacrificulo petitam hac de cauſa ſervabant, lacte madida, ſanguinem detergebant, quæ ſolemnitas purgationem indicabat: inde iidem duo Luperci ridebant, & dum cachinnabantur tergora in lora incidebant, & nudi ac uncti, amictique pelle caprina in orbem diſcurrebant vultu hilari uſque ad ineptias, obviamque turbam iiſdem loris impetebant, quibus mulieres occurrere, & palmas feriendas præbere mos erat: ita enim fœminæ fæcunditatem, & partus felicitatem ſibi dari arbitrabantur, uti ex Ovidio, & Marſo ejus interprete, Plutarcho, Alexandro Genial. lib. 1 2. cap. 12. & aliis jam relatis patuit. Sic putabant Arcades, dein Latini, & Romani loca, per quæ diſcurrebant Luperci, & Populum luſtrari.

Sed an Arcades, & Latini priſci ab iis eruditi capras Pani hoc die mactaverint, non leve diſſidium eſt inter ſcriptores. Sunt qui dicant Arcades, & Latinos antequam Hercules Latium incoleret Pani humana victima ſacrificaſſe ex Plinio lib. 8. cap. 22. Pauſania lib. 8. qui eſt de Arcadicis. Alii, quos mox retulimus, capra candida Pani litatum ſcribunt; at Plutarchus Problem. cap. 67. hæc habet: *Quid eſt quod Luperci canem immolant?* & paulò poſt: *An quod genus quoddam luſtrandæ Civitatis eſt, ex quo menſe illa* (Lupercalia ſcilicet) *fiunt, Februarius dicitur, & diem, quo pellibus occur-*

 rentes

rentes verberant februatum, & Februarium vocant quo verbo purgatio ſignificatur? Cane autem omnino, ut ita dicam Græci utebantur, & multi etiam nunc in purgationibus canem jugulant: Proſerpinæ quoque catulos cum cæteris purgamentis efferunt, & eos, qui expiandi ſunt, catulis expurgant; hoc piaculi genus circumcatulationem appellantes: quod & in Romuli vita repetit, unde apparet catulum lactentem Pani fuiſſe hoc die immolatum, non autem capram, uti Tomaſinus de Donar. cap. 26. ex Plinio, & aliis aſſerit, qui ſubjicit non defuiſſe qui hirco rem divinam huic Numini factam memoriæ tradiderint ex Servio ad lib. 8. Æneidos carminibus ſuperius adductis, ubi ſic loquitur: *Nonulli propter ſterilitatem hoc ſacrum dicunt à Romulo inſtitutum, ideo & Puellæ de loro capri cæduntur, ut careant ſterilitate, & fœcundæ ſint, nam pellem ipſam capri veteres februm vocabant*, & paulò ante: *Alii Liberum patrem dicunt, eo quod capro ei ſit divina res, qui eſt boſtia Liberi propria*. Ovidio lib. 2. Faſtor. & aliis.

Ego puto Romanos capra, Latinos vero cane Pani ſacra feciſſe; hanc rem diſerte declarat idem Plutarchus Probl. 110. aliis 111. ad finem, ubi ait: *Latini vero Lupercalibus menſe Februario canem immolant*; quibus verbis ſatis aperuit in Latio canem Pani mactatum more Arcadico, & Græcanico ritu, uti Problem. 67. ſcripſerat. Romanos vero capra tantum, ſeu capro ſacrificaſſe locuples teſtis eſt Ovidius verſibus relatis, quem omnes laudant, paucis exceptis, qui hanc rem vetuſtiſſimam confundunt. Quare Lupercos in Latio amictos pelle canina curſitaſſe, & lora ex pelle feciſſe, facile eſt, quum hoſtiæ exuviis utendum jis eſſet ex prædictis, quod tamen incertum eſt. Ergo ex his conſtat Lupercos Sacerdotes Panis, & Lupercorum ſodalitatem apud Latinam gentem fuiſſe, dein apud Romanos. Palam enim eſt Romuli ætate priuſquam Roma conderetur adſcriptos Lupercis, Fabium Tuſculana gente oriundum, & Quintilium Albæ alumnum, eoſque principes fuiſſe ſodalitatis Lupercorum, qui in monte Palatino, loco priſcis Latinis venerabili, & quem Arcades ſacraverant, Pani miniſtrarent. Sic ſcribunt Plutarchus in Romulo & in Cæſare, Auctor Origin. Gent. Rom. ubi ſubdit, Remum Fabios, Romulum Quintilios, ſuos Lupercos appellaſſe. Ovidius lib. 2. Faſtor.

Riſit,

Riſit, & indoluit Fabios potuiſſe, Remumque
Vincere, Quintilios non potuiſſe ſuos.

Propertius lib.4. Eleg.1.

Verbera pellitus ſetoſa movebat arator
Unde licens Fabius ſacra Lupercus habet.

Hinc commentatores Ovidii referunt duplicem ſodalitatem Lupercorum Romæ conſtitutam, Fabianorum videlicet, & Quintilianorum, de quo Feſtus lib.6. ad principium & fuſius lib.15.: *Quintiliani Luperci appellati videntur à Quintilio, qui præpoſitus eſt Lupercis, ut à Fabio Fabiani dicti ſunt item Luperci, quibus is præpoſitus fuerit; fuiſſe autem Romuli temporibus inſtitutos utroſque & Fabianos, & Quintilianos multi ſunt qui exiſtimant, quorum numerum poſtea ſæpe auctum fuiſſe, quia honoris gratia, multi in Lupercis adſcribebantur*: Hæc Feſtus, qui ultimis verbis innuit tertiam ſodalitatem Lupercorum C. Cæſarem addidiſſe, ut auctor eſt Dio lib.44. & Cicero 2. Philippica, qui hos Julianos appellat. Compertum itaque eſt hanc ſodalitatem Romulum in Palatino haud inſtituiſſe, ſed ex una jam conſtituta à Latinis priſcis, duas, Fabianam ſcilicet, & Quintilianam fecisse, quamvis Feſtus jam relatus prodat plures exiſtimaſſe Romulum neque hujus rei Auctorem, ſed Latinos, ut interpretes memorant: quibus conſentit Cicero in Orat. pro M. Cœlio, qui ut probaret hanc ſodalitatem in Palatino monte ante Romam conditam inſtitutam, hæc ſubdit: *Neque vero illud me commovet quod ſibi in Lupercis ſodalem eſſe Cœlium dixit, fera quædam ſodalitas, atque agreſtis germanorum Lupercorum, quorum coitio illa ſilveſtris ante eſt inſtituta, quam humanitas, atque leges*. Quamobrem videtur Tullius hanc ſodalitatem incelebrem aſſerere, quum tamen 2. Philippic., M. Antonium in Conſulatu inter Lupercos nudum Cæſari Diadema impoſuiſſe ſcribat.

Auguſtus ſtatuit, ne imberbes inter Lupercos nudi per Urbem curſitarent, Suetonio cap.31. teſte, unde viri docti autumant, inter Sacerdotes, adoleſcentulos nudos inceſſiſſe Auguſti ætate labentibus jam moribus, quum Plutarchus in Antonio referat Lupercos interdum ſubligaculo ſuccinctos, quo pudendas corporis partes velarent feſta agitaſſe, & ob id cinctutos à cinctu eos appellant Porphyrion Hora-

Horatii interpres de Art. Poetic. & Ovidius lib. 5. Faſtor., Crepos etiam à crepitu pellicularum, quem faciebant verberantes ex Feſto lib. 3.

Lupercas in Latio fuiſſe probat Lapis Setinus ineditus in capite viæ Setinæ prope Appiam effoſſus, quem refert Ligorius in MSS. Otthobonianis verbo *Hirpineja*.

D. M.
ET MEMORIAE
HIRPINAEIAE SETINAE
LVPERCAE VIXIT
AN. XXXIV. MENS. IX.
M. HIRPINAEIVS Q. F. POMPT.
HONORATVS TRIBVN. COHORT. II
LEGIONIS X. AVGVSTAE MATRI
PIISSIMAE POSVIT ET SIBI
ET SVIS POSTERISQVE FECIT
IN FRONT. PED. XV. IN AGR. PED. XX.

Hoc ſaxum oſtendit Lupercas exſtitiſſe, quod ſane mirum eſt; nemo enim quod ſciam præter Plutarchum qui Pararell. cap. 67. meminit Valeriæ Lupercæ, fœminas Pani miniſtraſſe perhibet, ideo fortaſſe quod labentibus moribus mulieres Lupercorum ſacris admovebantur. Sic Saliorum collegio fœminæ haud adſcribebantur, ſed quando iis opus eſſet ad ſacra attrectanda, Virgines conductitiæ adhibebantur, quæ cum apicibus paludatæ in modum Saliorum ſacrificabant cum Saliis, & ob id Saliæ dictæ teſtimonio Cincii, & Ælii Stiliconis apud Feſtum lib. 17. Sic Cirinus de Urbe Roma cap. 25. ex Macrobio, refert Virgines Romanas conſueviſſe cum Lupercis ſaltare, quod tamen Macrobius Saturnal. lib. 2. cap. 10., ubi de hac re loquitur, haud affirmat. Lupercales ferias quum vetuſtatis, tum expiationis cauſſa præcipue ſervatas quotannis, & nunquam interceptas Romæ, & in Latio teſtatur Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 16. paulò poſt principium, ubi ſubdit ad ſuam ætatem eas ferias ſolemni pompa concelebratas. Panis Oraculi in Latio ſunt qui meminerint. Hos hallu-

hallucinatos ſuſpicor ex verſibus Ovidii Capite 24. adductis, qui de Fauno Latinorum Regis Oraculo verba facit, uti Capite 24. ſcripſimus, quamquam apud Piſas ejus Dei Oraculum eſſet, de quo Luctatius Placidus ad Verſ. 479. lib. 3. Thebaidis Statii, & fuſius eruditiſſimus Cardinalis de Noris nuper defunctus in Cenothaphiis Piſanis, ubi plura de Pane, ejuſque Oraculo Piſis, refert. Videndus etiam Joannes Goropius Becanus lib. 4. Origin., quem inſcripſit Cronia, ubi omnium rituum in his ſacris cauſas forte plus æquo diligenter inquirit, & explicat. Satis quippe mihi fuiſſe arbitror, commemoraſſe hæc ſacra hoc menſe, & die facta, ad Latinos priſcos pertinuiſſe.

Die XXI. Februarii, ideſt IX. Calendas Martii *Feralia* erant ex Calendario. Hæc ſolemnia XIII. Calendas ejus menſis, & ſic die XVII. Februarii fuiſſe canit Ovidius lib. 2. Faſtor., fortaſſe quod eo die in Latio inciperent, Romæ vero non illo, quo Quirinalia erant, ſed alio in Calendario notato. Has ferias inſtitutas ferunt à Numa Macrobio Saturnal. lib. 1. cap. 13. ad pricipium auctore; alii ab Ænea, ſi Ovidio loco quo ſupra fides danda eſt. Alii verius ab Arcadibus, qui poſt luſtratas Urbes, & populos Lupercalibus, ſepulchra etiam luſtrare, & animas defunctorum purgare, & placare inſtituerunt, uti diximus Capite 17.. Albani enim, & qui eorum ritus ſervabant Majo menſe, cæteri vero Latini, qui Arcadico more ſacrificabant, Februario parentabant, quemadmodum ex Plutarcho, & aliis probavimus Capite 17., quod ex eodem Macrobio intelligitur: is enim ſcribit Numam februarium in faſtos retuliſſe, & Februo Deo dicaſſe, adixiſſe etiam eo menſe Civitatem luſtrari, & ut juſta Diis manibus ſolverentur, ſtatuiſſe. At quum id falſum ſit, quod conſtet Evandrum Februario menſe Lupercalibus Urbem, & Populum luſtrari docuiſſe, & Romulum Roma haud condita idipſum feciſſe ut moribus Latinorum priſcorum obſecundaret, hinc arguitur Parentalia hujus menſis, ad Euandrum referenda, quod Lupercalia ipſa ad expiandos manes conſtituta viderentur, teſtimonio Plutarchi in Romulo, & Marſi in Ovidium ubi ſupra. His ſi addatur, non omnes Latinos Majo menſe parentaſſe, dilucidum fit pleroſque alio menſe, & ſic Februario juſta Diis Manibus ſolviſſe, & Numam eum ritum à priſcis Latinis accepiſſe, commutaſſe tantum ordinem menſium, & Februarium, qui pri-

priſcis Latinis ultimus erat, quo illi merito luſtrabant Urbes, & animas mortuorum placabant, ſecundum in ordine definiſſe, ut auctor eſt idem Plutarchus Problem. cap. 17.; quamquam Ovidius lib. 2. Faſtor. hunc morem ab Ænea manaſſe commemoret, & Commentatores ejuſdem prodant, in priſco Latio ritum parentandi vetuſtiſſimum fuiſſe.

Cæremonias hujus ſacri ſic refert Ovidius:

Eſt honor & tumulis, animas placare paternas,
Parvaque in extructas munera ferre pyras.
Parva petunt manes, pietas pro divite grata eſt
Munere, non avidos ſtyx habet ima Deos.
Tegula porrectis ſatis eſt velata coronis,
Et ſparſæ fruges, parvaque mica ſalis.
Inque mero mollita Ceres, violæque ſolutæ
Hæc habeat media teſta relicta via.
Nec majora veto, ſed & bis placabilis umbra eſt;
Adde preces, poſitis & ſua verba focis.

Dein relatis carminibus, quibus canit Æneam eum morem in Latium intuliſſe, ita pergit:

Nunc animæ tenues, & corpora functa ſepulchris
Errant, nunc poſito paſcitur umbra cibo.
Nunc quia viſa ferunt dixere feralia lucem,
Ultima placandis manibus illa dies.

Poëtæ conſentiunt ſcriptores Romani; nam Feſtus lib. 6.; *Feralia*, ait, *Diis manibus ſacrata feſta à ferendis epulis, vel à feriendis pecudibus appellata*, Varro lib. 5. de Ling. Lat.: *Feralia ab Inferis, & à Ferendo, quod ferunt tum epulas ad ſepulchrum, quibus jus ibi parentare*. Gloſſarium vetus *Feralia* dicta refert à *Ferali*, quod ad mortuos pertinet. Sunt qui dicant his diebus putaſſe Latinos animas mortuorum è ſepulchris exire, & ad epulas accedere ex Dacerio, & Scaligero ad Feſtum. Alii literis mandarunt hoc die Diis inferis honorem redditum, & mortuis Inferias miſſas teſte Plutarcho Problem. cap. 33.

Ex his habes nefaſtis diebus hujus menſis parentatum hoc modo. Ornabant ſepulchrum floribus, violis maximè, quin ipſam

textam circumdabant coronis, & floribus, aut ex viridibus factis, epulas ad ſepulcrum ferebant & Appium, dein tumulum farre, & ſale mollito inſpergebant, lumina pone illum accendebant, panemque mero intinctum ponebant, ac precibus convenientibus mortuorum expiationi præmiſſis, Jove ac Jano præſertim invocatis, placari ſeu ſaturari majorum animas credebant, & luſtrari manes, quibus mortuorum animas ſubditas opinabantur, uti Scholiaſtes Ovidii eo loci notant, Plinius lib.20. cap.11. Macrobius Saturnal. lib.1. cap.16. Virgilius lib.2. & 6. Æneidos Tomaſinus de Donar. cap.36.. Nonnunquam legimus apud Sepulcra aram poſitam, ubi his diebus Thure & mero ſupplicabant ex Servio ad lib.11. Æneidos. Mactatas etiam ſub ſolis occaſum victimas Diis manibus ex Feſto & Tomaſino; poſitamque menſam hoc die pro epulis ex Cicerone lib.2. de legibus. Feralibus quoque lentes & offas, fabas etiam ad ſepulcra illatas, & ſuper nudum ſilicem appoſitas, & mel profuſum produnt Suetonius in Tiberio Claudio, Tomaſinus ubi ſupra, & plures antiqui apud Alexandrum Genial. lib.3. cap.12. Faces quoque accenſas, nuces ad tumulum ſparſas, & oſcula urnis impreſſa, quemadmodum ex Virgilio lib.9. Æneidos notant Barthius Adverſ. lib.44. Tomaſinus, & alii. Quippe hæc facta ſunt, quod traderent animas ad epulas venire, immo errare, & ob id, ne ab iis profanarentur templa, & ne umbræ mortuorum inficerent nuptias inſtitutum eſt, ut ſimulacra Deorum celarentur, fores ædium ſacrarum clauderentur, ſacra Diis nequaquam fierent, nuptiæ haud contraherentur, nuptæ cum viris congredi non poſſent, quin nubiles ab omni ornatu abſtinerent, quemadmodum patet ex Ovidio lib.1. ejuſque interpretibus.

Hinc Cicero Philippic.1. ſine ſepulcro parentari haud poſſe ſcribit: *An me cenſetis PP. CC. (quod vos inviti ſequuti eſtis) decretum fuiſſe, ut Parentalia cum ſupplicationibus miſcerentur? Ut indicerentur ſupplicationes mortuo?* Et infra: *adduci tamen non poſſum, ut quemquam mortuum conjungerem cum Deorum immortalium religione, ut cujus ſepulchrum nuſquam extet ubi parentetur, ei publice ſupplicetur.* Hæc Tullius protulit in M. Antonium, qui Julium Cæſarem in Deorum numerum retulit, & cui parentari non poterat, ſupplicari tanquam Numini palam edixit, Lactantio

lib. 1. de Falſa Relig. cap. 15. teſte: *Deus Julius, quia hoc ſcelerato homini placuit Antonio, quod ſi Conſul non fuiſſet Antonius, C. Cæſar pro ſuis in Rempublicam meritis, etiam defuncti hominis honore caruiſſet, & quidem conſilio Piſonis ſoceri, & L. Cæſaris propinqui, qui vetabant funus fieri, & Dolabellæ Conſulis, qui columnam in foro, ideſt titulum ejus evertit, & funus expiavit*, de quo etiam eleganter Manilius extremo lib. 4.

Jam facit ipſe Deos, mittitque ad ſidera Numen
Majus, & Auguſto creſcit ſub Principe Cœlum.

unde mos Chriſtifidelium quorundam, qui ad ſepulcra majorum epulas ferebant, ac ſi illis parentandum eſſet: quos ideo redarguunt Divus Auguſtinus de Civit. Dei lib. 8. cap. ultimo & Epiſt. 64., Sanctus Hieronymus contra Vigilantium, aliique Patres.

Ipſis feralibus Deæ Mutæ ſacrificium factum canit Ovidius lib. 2. Faſtor. hoc modo.

Ecce Anus in mediis reſidens annoſa puellis
Sacra facit Tacitæ, non tamen ipſa tacet.
Et digitis tria thura tribus ſub limine ponit,
Qua brevis occultum mus ſibi fecit iter.
Tum cantata tenet cum plumbo licia fuſco,
Et ſeptem nigras verſat in ore fabas.
Quodque pice adſtrinxit, quod acu trajecit abena
Obſutum menta torret in igne caput.
Vina quoque inſtillat, vini quodcumique relictum eſt,
Aut ipſa, aut comites, plus tamen ipſa bibit.
Hoſtiles linguas, inimicaque vinximus ora
Dicit diſcedens, ebriaque exit anus.
Protinus à nobis quæ ſit Dea Muta requiris,
Diſce per antiquos quæ mihi nota Senes.

Ad hæc Antonius Fanenſis, & Paulus Marſus notant id ſacrificium, ſeu potius veneficium, quod agebat Anus in medio puellarum reſidens cæremoniis ab Ovidio deſcriptis, quas referre animus horret, Deæ Mutæ factum fuiſſe ad compeſcendum detrahentium linguas, & à Græcis Latii antiqui accolis in Romanos propagatum, quin Græcis etiam ætate Marſi familiare; ritus enim magicus pertinebat ad mor-

mortuos, Lares, & Laram, ſeu Larundam Larium matrem, quæ Dea muta dicebatur, & eo vinciri poſſe putabant linguas inimicas, & maledicas. Erat enim ædes ſacra hujus Deæ apud Juturnæ fontem in Ardeatino, ut Capite 25. ſcripſimus, de qua hæc prodit Lactantius de Falſa Religion. lib. 1. cap. 20. *Quis cum audiat Deam mutam, tenere riſum queat? Hanc eſſe dicunt, ex qua ſint nati Lares, & ipſam Laram nominant, vel Larundam. Quid præſtare colenti poteſt, quæ loqui non poteſt?* Facile itaque his diebus in laudato Templo id ſacrificium à Latinis priſcis peractum. Huic & Nymphæ aut Muſæ Numam ſacrificaſſe perhibent ex Plutarcho in Numa.

Sequebantur *Chariſtia* proximo à feralibus die, quorum meminit Ovidius lib.2. & Calendarium ruſticum. Erat ea ſolemnitas convivium ſolemne, cui præter cognatos, & affines nemo interponebatur, ut ſi qua inter neceſſarios querela orta eſſet apud ſacra menſæ, & inter hilaritatem animorum tolleretur, ut Valerius Maximus lib.2. cap. 1. narrat. At Ovidius putat id inſtitutum his diebus, ut poſt luſtratas animas majorum, ſuperviventium cognatorum numerus quotannis recenſeretur. Sed de his hactenus, quum nil certi habeam Latinos priſcos Chariſtia celebraſſe, neque deſunt qui eorum inſtitutum ad Numam, vel alios Romanorum Reges referant, quamvis illud à Græcis manaſſe pateat ex Græcanico nomine.

Poſt hæc Terminalia erant die XXII. Februarii ex Calendario, quamvis ex Varrone ſint qui ſcribant id feſtum ultimo Februarii die agitatum. Latini ſane poſt Saturnum exactum, Terminum Dei loco habuerunt, quod cædes, ac lites ruſticorum de dividendis agris ſuſtuliſſet, quemadmodum Probus, & Donatus lib.9. & 12. Æneidos probant, Fulgentius & alii apud interpretem Alexandri Genial. lib. 2. cap.22., ideo quod Terminum pro Jove Saturnum devoraſſe jactarent, ſi Lactantio de Falſa Relig.lib.1.cap.20.ad finem credimus. Idipſum colligitur ex varia Romanorum ſcriptorum ſententia, nam Dionyſius lib.2. prodit Numam lapides Terminales Jovi Terminali ſacraſſe, & Terminalia feſta quotannis ſolemni cætu apud eos lapides, re divina facta, inſtituiſſe. Plutarchus vero Problem. cap. 14. Romulum Terminalia, & Numam Terminos agri Romani cum vicinis conſtituiſſe, edixiſſe etiam, eum, qui Terminos exaraſſet, & ipſum, & boves ſacros

eſſe; quæ ſacra ſi Romulus inſtituit, proculdubio Albanis familiaria erant ex Livio lib. 1. Dec. 1.. Sub hujus Dei tutela fines agrorum eſſe putabantur Feſto lib. 18. Auctore, quin quum terminos diſponerent, ipſos lapides in ſolidam terram collocabant, & unguento velaminibuſque & coronis eos ornabant, ut ſcribunt Siculus Flaccus de Condit. Agror. & Arnobius lib. 1. Contr. Gent., & lib. 8. ſive is liber ſit M. Minucii Felicis, uti viri docti autumant. His alludit L. Apulejus lib. 1. Florid. his verbis: *Vel enim colliculus ſepimine conſecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel caſpes libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus*: & iterum lib. 1. Apolog.: *Negant ſe vidiſſe, aut lapidem unctum, aut ramum coronatum in finibus ejus*, ut innueret veteres, nedum lapidem terminalem, ſed cæſpitem, Collem, Truncum, & Arborem pro Termino, & Deo coluiſſe, de quo etiam Tibullus lib. 1. Eleg. 1.

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris
Seu vetus in Trivio florida ſerta lapis.

& Ovidius lib. 2. Faſtor.

Termine ſive lapis, ſive es deſertus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes.

Itaque hoc die terminos agrorum faſciolis, unguentis, & coronis ornabant, tæniis etiam, & velaminibus ex Statio 11. Thebaid.

. . . . *ac arbore caſta*
Nectere purpureas niveo diſcrimine vittas

Prudentius lib. 2. in Symmachum.

. . . . *vel lapis illic*
Si ſtetit antiquus, quem cingere ſueverat error
Faſciolis . . . .

Lucretius lib. 5.

. . . . . . *velatum ſæpe videri*
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras.

idque additis lucernis, quomodo apud Prudentium loco adducto.

. . . *Fumificas arbor vittata lucernas*
Accipit . . . .

Sacra vero ita facta canit Ovidius lib. 2. Faſtor.

Te

Te duo diverſa Domini de parte coronant,
Binaque ſerta tibi, binaque dona ferunt.
Ara fit, hic ignem curta fert ruſtica teſta
Sumptum de tepidis ipſa Colona focis.
Ligna ſenex minuit, conciſaque conſtruit arte,
Et ſolida ramos figere pugnat humo.
Tum ſicco primas irritat cortice flammas,
Stat puer, & manibus lata caniſtra tenet,
Inde ubi ter fruges medios immiſit in ignes
Porrigit inciſos filia parva favos.
Vina tenent alii, libantur ſingula flammis.
Spectant, & linguis candida turba favet.
Spargitur & cæſo communis Terminus agno,
Nec queritur lactens cum ſibi porca datur.
Conveniunt, celebrantque dapes vicinia ſupplex,
Et cantant laudes, Termine ſancte, tuas.

Nemo ſane Poëta laudato elegantius has ſolemnitates refert. Ait enim hoc die, utriuſque agri, quem Terminus dividebat, Dominos, Ruſticis, & Colonis præſentibus lapidem Terminalem coronaſſe floribus, utrumque Dominum ſacrificaſſe apud aram eo loco poſitam his cæremoniis. Ruſticus enim ſenex incidebat, & componebat ligna ad ignem faciendum, dein ea, igne delato per uxorem Coloni, accendebat: ante focum ſtabant Coloni filii, quorum unus Caniſtrum, ubi aderant ad ſacrificium neceſsaria, tenebat. Loco Thuris fruges, immo frugum primitiæ adurebantur, & poſt quam Colonus ille ſenex tria grana frugum diverſi generis in medios ignes immiſerat, puella oſtendebat mellis fabricam in fruſtra diviſam, alii porrigebant vinum, & parum mellis, & vini ponebant in ignem, & Deo libabant. Turba Ruſticorum adſtabat candidis veſtibus ornata, & laudes Numinis, hymnoſque in ejus honorem cantabat, inde epulatum ibant, iterumque in ſacris epulis Deum laudabant. Hæc facta eſſe Ovidius notat, & merito, quum Antiqui Latini Termino nihil animatum immolarent, ſed liba Cerealia, frugumque primitias offerrent ex Dionyſio lib. 2. Plutarcho Problem. cap. 14., quamvis variato pro ſæculorum ratione cultu ei Deo agnus, ſeu agna lactens porca

porca etiam mactari conſueverit ex Ovidio carminibus jam relatis Cicerone Philippic.2. Divo Auguſtino de Civit.Dei lib.7.cap.7. Horatio lib. Epod. Ode 2.

Vel Agna feſtis cæſa Terminalibus.

Hac celebritate ferunt Latinam, dein Romanam gentem voluiſſe fines cujuſcumque agri, publicos etiam ſtatuere, ut ita apud Terminos agrorum, & Urbium ſolemnia ſacra quotannis facientes, quiſque metueret fines ſuos tranſilire, & palam probari poſſet locus, ubi cujuſque populi Juriſdictio terminaret, ut Commentatoribus Ovidii arridet. Sic Romani hoc die coram Laurentino Magiſtratu, mactato agno ſacrificabant Termino, qui erat ſexto ab Urbe lapide inter Laurentem, & Romanum agrum, ubi ſunt qui ædem ſacram ejus Dei poſitam affirment ex Ovidio lib.2. Faſtor.

Eſt via, quæ populum Laurentes ducit in agros
Quondam Dardanio Regna petita duci.
Illic lanigeri pecoris tibi, Termine, fibris
Sacra videt fieri ſextus ab Urbe lapis.

ubi Scholiaſtes idipſum notant, de quo etiam Dionyſius lib.2. Plutarchus in Numa, & Alexander Genial. lib.2. cap.22.. Templa in quibus Terminus colebatur, deſuper patens foramen habebant, quia nefas duxerunt Deum pacis, & Juſtitiæ cuſtodem ſub tecto conſpici teſtimonio Servii ad lib.9. Æneid. verſ.446. Alexandri lib.2.cap.22. & aliorum, quamvis plures id actum eſſe prodant quod Tarquinius Capitolium faciens, in quo multorum Deorum ſacella erant, conſuluerit eos per auguria, utrum Jovi cedere, & cedentibus cæteris, ſolus Terminus manſerit. Quoniam ergo is Deus Jovi non ceſſerat, voluerunt eum libere Cœlo frui, quemadmodum ait Lactantius de Falſa Relig. lib.1.cap.20. ad finem: quod referunt Cato apud Feſtum lib.11. voce *Nequitum* & Servius ubi ſupra.

CAPUT

CAPUT XXVII.

De Feſtis ſtatis ſed incertis diebus in Latio agitatis.

PLures ſunt ſolemnitates à Latinis ante Romam conditam celebratæ, licet die, & menſe nobis incerto. Ego ſane arbitror turbam Deorum, quos Romani coluerunt, Latinæ gentis hereditatem fuiſſe, quandoquidem eos Deos irridens Divus Auguſtinus lib. 4. cap. 8. de Civit. Dei, ſic ait: *Nec agrorum munus uni alicui Deo committendum arbitrati ſunt, ſed rura* Deæ Ruſinæ, *Juga montium* Deo Jugatio, *Collibus* Deam Collatinam *Vallibus* Valloniam *præfecerunt: nec ſaltem potuerunt unam* Segetiam *talem invenire, cui ſemel ſegetes commendarent*: & paulò poſt: *Præfecerunt ergo* Proſerpinam *frumentis germinantibus, geniculis, nodiſque culmorum* Deum Nodotum; *involuentis Folliculorum* Deam Volutinam, *quum folliculi pateſcunt, ut ſpica exeat* Deam Patelenam, *quum ſegetes novis ariſtis æquantur, quia veteres æquare*, hoſtire *dixerunt*, Deam Hoſtilinam, *Florentibus frumentis* Deam Floram, *lacteſcentibus* Deam Lacturtiam, *Matureſcentibus*, Deam Matutam, *quum runcantur*, Deam Runcinam, *nec omnia commemoro, quia me piget, quod illos non pudet.* Ergo ſi agris tot Deos præſidere putarunt,tot etiam januis, nec minores numero cæteris rebus, aut ſingulis Urbibus, facile eſt tam immani Deorum cætui, & etiam eorum ſingulis, feſtos dies dicatos. Mihi vero recenſere in animo eſt peculiares tantummodo ſolemnitates, quas Latini maxime quotannis percoluerunt. Inter has non incelebris fuit illa *Faulæ* quam alii Fabiam, plerique verius Foviam appellant. Hujus meminit Feſtus lib. *6. Fovii, qui nunc Fabii dicuntur, dicti quod princeps gentis ejus ex ea natus ſit, cum qua Hercules in Fovea concubuit. Alii putant eum primum oſtendiſſe quemadmodum Vrſi, & Lupi foveis caperentur.* Plutarchus in Fabio Maximo: *Ferunt*, inquit, *Herculem cum muliere, aut una Nympharum concubuiſſe, & hinc Fabium Maximum natum eſſe, à quo Fabiorum familia Romæ initium habuit.* His alludit Ovidius lib.2.Faſtor.

Una

Una dies Fabios ad bellum miſerat omnes,
Ad bellum miſſos abſtulit una dies.
Ut tamen Herculeæ ſupereſſent ſemina gentis,
Credibile eſt ipſos conſuluiſſe Deos.

ubi Paulus Marſus notat hanc puellam auctricem Fabiæ gentis Arcadicam fuiſſe, & cuſtodem ædis Herculis cum Pinariis, & Potitiis ab ipſo Deo factam. Et Lactantius de Falſa Relig. lib. 1. cap. 20. ubi Faulam hanc dicit in Latio & dein Romæ cultam: *Nec banc ſolum Romani Meretricem colunt* (Larentiam ſcilicet) *ſed Faulam quoque, quam Herculis ſcortum fuiſſe Verrius ſcribit*: quamvis ejus interpretes literis mandarint, eo loci Lactantium de Flora loquutum, quorum lectionem erroris inſimulo, quum pateat eum infra Floræ meminiſſe.

Sunt qui dicunt ædem ſacram huic Numini dicatam ſub monte Albano in ea parte, quæ Tuſculum reſpicit ubi Pagus erat, quem incolebant Fabienſes Populi dicti à Fabia gente, quæ initium originis ibidem habuerat, dein Tuſculum inhabitaverat ex Plinio lib. 3. cap. 5. aut ex aliorum computatione Capite 9. ejuſque Commentatoribus; unde viri docti autumant eo loci forte extitiſſe foveam, in qua Hercules cum puella Fabiæ gentis auctrice concubuerat, tametſi alii prodant eum locum fuiſſe apud Tiberim.

Vitelliam Fauni uxorem coluiſſe Latinos palam eſt teſtimonio Suetonii in Vitellio, qui ei ædem ſacram, & feſta dicata in Colonia ejus nominis in antiquo Latio ſita, videtur innuere. Maricam itidem, quam inter Laurentes Nymphas conſecratam fuiſſe conſtat ex relatis Capite 5., & Palatiam primam fortaſſe Latini uxorem, cui dicata fuiſſe feſta Palatualia, & Palatualem Flaminem, locatumque ante Romam conditam Templum in Palatino monte teſtantur Varro de Lingua Latina lib. 4. & 6. Feſtus lib. 14., Scaliger ac Dacerius in eundem: quæ facta eſſe puto ab Arcadibus, dein ab Albanis, qui Pallantium Oppidum mænibus, & foſſa complexi, decima ſexta poſt Trojanum bellum ætate habitare cæperunt, ut auctor eſt Dionyſius lib. 2. ad principium.

Sic & Amata ſecunda Latini uxor, ac Venilia ſoror Amatæ, & Turni Mater conſecratæ, & in Deorum faſtos relatæ ſunt Virgilio lib. 6. Æneid. teſte.

. . . . alius Latio jam partus Achilles
Natus & ipſe Dea . . . . .

ubi Scholiaſtes notant Poëtam loquutum de Venilia Turni matre, & ſorore Amatæ, ut innueret & Turnum ſicuti Æneam Deorum prolem, & Conſanguineum fuiſſe, quod clarius Poëta explicat lib. 10.

Indignum eſt Italos Trojam circumdare flammis
Naſcentem, & patria Turnum conſiſtere gente,
Cui Pilumnus Avus, cui Diva Venilia mater.

Servius poſtquam notaſſet Veniliam inter Nymphas relatam, in agro Ardeatino cultam, mox ita pergit: *Sane banc Veniliam quidam Salaciam accipiunt Neptuni uxorem, Salaciam à Salo, Veniliam, quod veniam det exigentibus*: eam tamen à veniendo dictam prodit Varro de Lingua Latina lib. 4.. Itaque ex Grammatico habes huic Deæ nomen mutatum, eamque Salaciam dictam, & creditam Neptuni uxorem, quod familiare fuiſſe Latinis priſcis alibi diximus ex Lactantio & aliis, qui id factum aſſerunt, ne Reges, aut eorum uxores conſecratæ homines eſſe viderentur, quemadmodum Voſſius de Idololatr. lib. 1. cap. 40. probat ſubjiciens id Rutulorum, & Ardeatium præcipuum Numen fuiſſe. Perhibent etiam ex Antona Nympha Tiberina Herculem, *Antonem*, quem plures *Anteonem* dicunt, auctorem Antoniæ gentis, generaſſe, & Latinos puellam laudatam in Nympharum, & Deorum faſtos retuliſſe, teſtimonio Plutarchi in Antonio, quem referunt Alexander Genial. lib. 1. cap. 9., Tiraquellus ejus Scholiaſtes, & alii.

Sic *Anchiſis* feſta, Albanos, Lavinienſes, & Latium univerſum quotannis percoluiſſe conſtat. Æneæ quoque, quem Jovem Indigetem, & Aſcanii, quem Jovis filium nuncuparunt ex relatis Capite 5. 6. & 18.. Pico autem in Agro Laurenti Martis cognomento ædem ſacram, divinos honores, Oraculum, flamines, & anniverſarium ſacrum adſignatum fuiſſe nemo eſt qui dubitet, uti Cap. 4. dictum eſt, & Picæ ſeu Canenti Pici Regis uxori, quam Pomonæ cognomento cultam in eodem Laurenti agro diximus Capite 21. ad finem. Aventino itidem cujus Aram, & ſepulcrum in Aventino colle Latina gens ſtato die ſacris honoraſſe ajunt ex traditis Capite 18.

necnon Tiberino, cui & Nymphis omnibus Tiberinis Templum vetuſtiſſimum Oſtiæ ſacratum patet ex antiquo Cippo apud Ligorium in MSS. Otthobonianis voce *Tiberi*.

PATRI TIBERINO ET NYMPHIS
SACRVM
PRAEF. COLL. FABR. NAV. OSTIENS
CVRANT. T. APRONIANO ET
ARRIO MODESTO ET
SILVIO MAIORANO ET
L. TITINIO VIOLENTE IIII. VIR. QVINQVEN.

unde probatur ſententia Servii, Ennii & Livii, de qua Cap. 18. ad fin., qui hunc Latii Regem inter Deos, Patrem indigitatum affirmant.

Italo etiam Regi Siculorum, qui Latium antiquum tenuit, divinos honores datos aſſerit Ligorius in MSS. Otthobonianis verb. *Faunii*, quod puto verum, quin omnibus Latii Regibus, quos Capite 6. enumeravimus, paucis exceptis, aras conſtitutas & ſacra facta, quamvis Ligorius adhæreat adulterino Sempronio, quem Annius Viterbienſis è tumulo revocavit, uti ſæpe notavimus.

Cacam præterea Latina gens coluit, de qua hæc habet Lactantius lib. 1. de Falſa Relig. cap. 20.. *Colitur & Caca, quæ Herculi fecit indicium de furto Boum, divinitatem conſequuta, quia prodidit fratrem*, Cacum ſcilicet ſervum Evandri, uti fuſius narrat Servius in lib. 8. Æneidos ad illud:

Hic ſpelunca fuit, vaſto ſubmota receſſu
Semihominis Caci . . . .

Cacus, is inquit, *ſecundum fabulas Vulcani filius fuit, ore ignem, ac fumum vomens, qui vicina omnia populabatur; veritas tamen ſecundum Philoſophos, & hiſtoricos hoc habet, hunc fuiſſe Evandri nequiſſimum Servum, ac furem; hunc ſoror ſua ejuſdem nominis prodidit, unde etiam ſacellum meruit, in quo ei pervigili igne ſicuti Veſtæ ſacrificabatur*; Grammaticus ergo innuit, Virgines ab Arcadibus, dein ab Albanis, & Latinis Cacæ adſignatas, quæ ignem ſacrum Deæ cuſtodirent, quod nemo antiquorum prodidit.

Sic

Sic ſinguli fere Latii populi progenitores ſuos conſecrarunt, ariſque & Templis honorarunt. Narrant ſane Labicanos Glauco Minois filio, à quo ii genus trahere ſe jactabant, divinos præſtitiſſe honores ex his verbis Servii in Virgilium lib. 7. Æneidos ad finem.

Et ſacranæ acies, & picti Scuta Labici.

Glaucus Minois filius venit ad Italiam, & quum ſibi imperium poſceret, nec acciperet, ideo quod nihil præſtabat, ſicut ejus Pater præſtiterat, Zonam ejus tranſmittendo, quum antehac diſcincti eſſent oſtendit ſcutum, à quo & ipſe Labicus dictus eſt, & ex eo Populi, & in illud Eclog. 6.

Quid loquar aut Scyllam Niſi, quam fama ſequuta eſt.

hæc ſubdit (ſi tamen de hoc loquitur, non autem de Glauco Anthedonio, qui fuit Piſcator) *Scyllæ duæ fuerunt, una Phorci, & Chretheidos Nymphæ filia pulcherrima, quam quum amaret Glaucus marinus Deus, dum ipſe amaretur à Circe, & eam contemneret, illa irata, fontem in quo Scylla ſolebat ſe abluere tinxit venenis, in quem quum deſcendiſſet puella, media ſui parte in feram mutata eſt. Hanc poſtea Glaucus fecit Deam marinam, quæ Claſſem Ulyſſis, & ſocios evertiſſe narratur.* Ita apud Tuſculanos Telegonus Vlyſſis, & Circes filius ædem ſacram & feſta meruit, ut Scholiaſtes Dionyſii lib. 4. & Livii lib. 1. produnt, nec non Ovidii lib. 3. Faſtor. ad ea carmina:

Inter Aricinos, Albanaque tempora conſtat
Factaque Telegoni mœnia celſa manu.

Silii lib. 12.

Jamque adeo eſt campos ingreſſus, & arva Labici
Linquens, Telegoni pulſatos ariete Muros.

Statii Silvar. lib. 1. Carm. 3.

Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Jugera . . . .

Quamobrem Feſtus voce *Tuſcos* ſcribit Tuſculum ita dictum ob frequentiam ſacrificiorum, quæ eo in loco fiebant, quod & produnt ejus Scholiaſtes, & interpretes Horatii Carm. lib. 3. Oda 29. ad ea carmina.

Ne ſuper udum Tibur, & Æſulæ
Declive contempleris arvum &

 Tele-

Telegoni juga parricidæ . . .
ſubdunt cum Hygino Fabular.cap.127. Telegonum à ſtirpe Deorum progñatum.

Aricini quoque Hippolyto, quem Virbium dixerunt, Oreſti & Iphigeniæ, quos auctores Coloniæ opinabantur, quotannis ſacrificabant in Luco Dianæ ſacrato, ubi eorum ædiculas fuiſſe conſtat. De his hæc prodit Pauſanias Corinthiac. ſeu lib.2. pag.235. *In Templo Æſculapii Epidauri intra ambitum multæ pilæ ſtabant. in jis virorum, & fœminarum, quæ à Deo curatæ erant nomina inciſa, morborum etiam, quo quiſque laborabat addita erat curationis ratio. Seorſum ab aliis erat antiqua pila, in ea inciſum dicaſſe Æſculapio Hippolytum equos XX. Hujus pilæ inſcriptioni conſentanea Aricini dicunt, diſcerptum ob Theſei imprecationes Hippolytum, in vitam ab Æſculapio revocatum, neque poſtea Patri unquam ignoſcere voluiſſe, atque in Italiam veniſſe, ibique dicato Aricinæ Dianæ Templo regnaſſe. Mea quidem etiamnum ætate, jis, qui ad Templum ſingulari certamine vicerint, præmium Deæ Sacerdotium propoſitum eſt, ſed in certamen iſtud ingenuus nemo deſcendit, ſervi dumtaxat, qui fuga ſe Dominis ſubduxerint*: Hæc Pauſanias, qui pag.145. hæc ſubdit: *Apud Trezenios Hippolyto Theſei filio lucus eximia pulchritudine dicatus eſt cum Templo, & priſci operis ſimulacro, quæ omnia Diomedem tradunt faciunda curaſſe, eundemque Hippolyto primum omnium rem divinam feciſſe. Præter cæteros ſacrorum ritus, Virgines ante nuptias ſucciſum ſibi capillum in Hippolyti templo conſecrant; neque vero jis aſſentiuntur Trezenii, qui diſtractum ab equis marinis Hippolytum memoriæ prodiderunt, nec omnino quo loco ſepultus fuerit monſtrant, verum eum eſſe illi à Diis habitum bonorem affirmant, ut in ſiderum numerum relatus idem ipſe ſit, qui Auriga Cœleſtis dicitur*: & infra pag.146. ſubjicit in eodem luco Hippolyti fuiſſe Templum Apollinis, & delubrum Veneris Speculatricis, & Phedræ ſepulchrum.

Hactenus Pauſanias de Hippolyto. Verum & Iphigeniam in æde Dianæ cultam idem Pauſanias lib.2.pag.151.memorat, & quæ is narrat, Latini ſcriptores & Poëtæ perhibent Ariciæ factum. Quandoquidem Virgilius lib.7. Æneidos ſic canit.

Ibat

Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello
Virbius, inſignem, quem Mater Aricia miſit
Eductum Ægeriæ lucis, Hymettia circum
Littora, pinguis ubi, & placabilis ara Dianæ:
Namque ferunt fama Hippolytum poſtquam arte novercæ
Occiderit, patriaſque explevit ſanguine pœnas
Turbatis diſtractus equis, ad ſidera rurſus
Ætheria, & ſuperas Cœli veniſſe ſub auras
Pæoniis revocatum herbis, & amore Dianæ:
Tum Pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina ſurgere vitæ,
Ipſe repertorem medicinæ talis, & artis
Fulmine Pœbigenam ſtygias dimiſit ad undas.
At Trivia Hippolytum ſecretis alma recondit
Sedibus, & Nymphæ Ægeriæ, nemorique relegat;
Solus ubi in ſilvis Italis ignobilis ævum
Exigeret, verſoque ubi nomine, Virbius eſſet,
Unde etiam Triviæ templo, luciſque ſacratis
Cornipedes arceantur equi, quod littore curſum
Et Juvenem monſtris pavidi effudere marinis.

Ex his Poëtæ verſibus Probus, Donatus, & Servius memoriæ produnt Dianam caſtitate Hippolyti diſcerpti ab equis, quod is falſo accuſatus eſſet tanquam Phædram Minois & Phaſiphaës filiam violaſſet commotam, eum revocaſſe in vitam per Æſculapium, & in Aricinum clivum relegaſſe, ut ibi commendatus Ægeriæ Nymphæ, & lucum, & Ædem ſibi, & Æſculapio ſacram conderet; unde Virbius is dictus eſt, quaſi bis vir; at Grammaticus poſtquam prædicta retulit, ſubjicit has eſſe fabulas: re vera autem Virbium eſſe Numen conjunctum Dianæ, ſicuti Matri Deorum Atthis, Minervæ Erichthonius, Veneri Adonis conjunctus eſt. Addit præterea, quoſdam Virbium ſolem putaſſe, quapropter fas non fuiſſe Hippolyti ſimulacrum attingere, quod nec ſol tangeretur. Quidquid ſit de Servii opinione, dilucidum eſt Aricinos, Latinos etiam, & Romanos putaſſe Hippolytum, Lucum Dianæ Aricinæ & ædem ſacraſſe, & in eo luco ſepultum ibi aram, Templum, ac Flaminem meruiſſe. Sic præter Virgilium, & Pau-

Pauſaniam probant Ovidius lib.3.& 6.Faſtor.& lib.15. Metamorph., ejuſque interpretes, Statius, & alii adducti Capite 13.. Petrus Marſus in Silium Italicum lib.4., Ligorius MSS. Otthobonianis lib.44. Antiquit. & voce *Flamine Virbiale*, ubi addit Hippolytum ab Aricia Diana, Urbem quam condidit, Ariciam denominaſſe.

His tamen adverſatur Feſtus lib. 11. cujus hæc ſunt verba: *Manius agrum Nemorenſem Dianæ conſecravit, à quo multi, & clari Viri orti ſunt, & per multos annos fuerunt, unde proverbium. Multi Manii Ariciæ. Aſinius Capito longe aliter ſentit, ait enim turpes, & deformes ſignificari, quia Maniæ dicuntur deformes Perſonæ, & Ariciæ genus panis fieri, quod Manici appellatur*, vel ut alii legunt, *qui Manici panes appellantur*. Sunt qui ita Feſtum interpretentur: *Manius Egerius Nemorenſem Dianam conſecravit*, alii legendum putant: *Manius Egerius ſignum Dianæ poſuit*, uti habes ex Scaligero, & Dacerio commentatoribus ejuſdem, unde fortaſſe Egeria Nympha in Aricino nomen habuit. Horum attamen lectio mihi non arridet, quum conſtans antiquorum fama eſſet, Hippolytum ædem, & Lucum Aricinum Dianæ ſacraſſe ex Pauſania, & aliis. Quare, ut Feſtus famæ vetuſtæ conſentiat, legendus eſt uti jacet, ſcilicet, Manium omnem agrum Nemorenſem Dianæ ſacraſſe, ut intelligatur præter lucum & lacum, omnem agrum Nemorenſem fuiſſe Deæ ſacrum, vel potius placet ſecunda ſententia Feſti ex Capitone, qui aliter ſenſit, cuique alludit Perſius Satyr. 6.

. . . . *accedo Bovillas*
Clivumque ad Virbi præſto eſt mihi Manius heres
Progenies Terræ . . . .

ubi vetus Scholiaſtes addit: *Manium dicit deformem, & ignotum hominem, eo quod Maniæ dicuntur indecori vultus perſonæ, quibus pueri terrentur*, quamvis Solinus cap.8. Polyhiſtor. apud Kircherium in Vetus, & Novum Latium lib.2. cap.6., referat Ariciam condidiſſe Archilocum vetuſtiſſimorum Siculorum ducem, & ab eodem Erminam vocitatam, cultum autem Æſculapii, Virbii, Iphigeniæ, & Oreſtis in eum locum tranſvexiſſe Græcanicam gentem, & Pelaſgos, qui ante Æneam ad Latinas oras appulerunt, eoſque ſimulaſſe in eo nemore contigiſſe quæ Pauſanias, & alii in Græcia facta

facta eſſe narrant, quemadmodum Kircherus Capite 7. proſequitur, quem laudo, quamvis aſſerere præſtet Latinos, & Romanos putaſſe Hippolytum, lacum, quem ſpeculum Dianæ, Lucum quem Artemiſium appellant, & ædem Deæ ſacraſſe, ibique ſepultum, & in Deorum faſtos relatum: quod evincunt ſequentes vetuſti lapides Ariciæ effoſſi, & per Ligorium loco adducto relati.

I.

DIANAE SACRVM
M. NVMISIVS M. F. OVF
PHILIPPVS FLAMEN VIRBIALIS
ET ARICINAE DIANAE VESTAE DICTAE CVSTOS
XVII. KAL. IVNII EPVLVM VIRBIAL. PVB. DEDIT
N. SIGNVM DEAE CONLOCAVIT
IMPP. M. ANTONINO COMMODO
A V G. V.
ET VALERIO AVRELIO GLABRIONE COSS

I I.

VESTE DIANAE DICTAE
P. TVRPILIVS POLILAVS
SACERDOS DIVAE DIAE ET
FLAMEN VIRBIALIS PATR. COLL. CORP
LVTOR. ARIC....
QVINQVEN. ITERVM D. D

Digitized by Google

I I I.

L. FABIO FLAVIANO
PRAETEXTATO FL. VALER
PROB. AVG. CANDIDATO
. . . .
. . . .
PRAEF. IVVENT
EQVO PVBLICO
ADLECTO IN V. DECVR
ORNATO MILITIAE
PRAEF. COHOR. I. PROV. AFRIC. PR
FLAMINI VIRBIALI
AVGVRI AEDILI CVRVLI IIIIII. VIRO
AVGVSTALI Q. Q. IVVENVM.

Hinc habes Dianam Aricinam Veſtam quoque dictam, de quo etiam Cippus apud Tomaſinum de Donar. cap. 15. ad finem, & Hippolyto in Aricino Flaminem Virbialem adſignatum, qui ejus tantum ſacra curaret, non autem illa Dianæ, ut perperam Ligorius aſſerit, nam hæc attrectabat ſervus fugitivus, & qui priorem Sacerdotem trucidaſſet, quamobrem Numitius ſe in primo Cippo inſcribit Cuſtodem Dianæ Aricinæ, non Sacerdotem, neque is, aut Turpilius, vel L. Fabius nobiliſſimi Romani proceres, quorum lapides meminerunt perfugæ eſſe poterant, & Servi, quibus tantum Sacerdotii Dianæ Aricinæ jus erat. Habes etiam XVII. Kalendas Junii M. Numitium Ouſentinæ Tribus Flaminem Virbii, epulum publicum Virbiale dediſſe, fortaſſe quod eo die Virbii celebritates in Aricino fierent, unde notatur alter Ligorii lapſus, qui Idibus Auguſti, quibus feſta Dianæ recolebantur, ſolemnitates Virbii actas autumat, tametſi fatear diem celebritatis Virbii incertum eſſe, quum lapis laudatus innuat epulum datum die notato, quod Numiſius Flamen ſignum Dianæ eo die conlocaſſet, ſed de his ſuo loco fuſius diſſerere propono.

Quæ

Digitized by Google

Quæ diximus de Græcorum commentis, probantur ex Strabone, qui lib. 5. ſic ſcribit juxta verſionem Dacerii ad Feſtum lib. 11. *Dianicum autem quod vocant nemus in ſiniſtra parte viæ eſt, qua ex Aricia ad Fanum Dianæ Aricinæ conſcenditur, ibique Dianæ Tauricæ ſignum conſecratum ferunt; nam & Barbaricus, & Scythicus mos apud fanum obtinet. Perfuga enim ibi conſtituitur Sacerdos, qui Sacerdotem priorem ſua trucidaverit manu, ſtrictoque ſemper gladio eſt, inſultus timens ad eos propulſandos paratus.* Unde autem hic mos manarit explicat Servius in lib. 6. Æneid. ad ea Carmina:

. . . . latet arbore opaca
Aureus, & foliis, & lento vimine ramus
Junoni Infernæ dictus ſacer . . . .

qui ſic ſcribit: *Licet de hoc ramo hi qui de ſacris Proſerpinæ ſcripſiſſe dicuntur, quidam eſſe myſticum affirment, publica tamen opinio hoc habet. Oreſtes poſt occiſum Regem Thoantem in regione Taurica cum ſorore Iphigenia fugit, & Dianæ ſimulacrum inde ſublatum haud longe ab Aricia collocavit. In hujus Templo poſt mutatum ritum ſacrificiorum fuit arbor quædam, de qua infringi ramum non licebat; dabatur autem fugitivis poteſtas, ut ſi quis exinde ramum potuiſſet auferre, monomachia cum fugitivo Templi Sacerdote dimicaret, nam fugitivus illic erat Sacerdos ad priſtinæ imaginem fugæ, dimicandi autem dabatur facultas, quaſi ad priſtini ſacrificii reparationem.* Fuſius tamen, & clarius ad lib. 2.

Sanguine placaſtis ventos, & Virgine cæſa,
Quum primum Iliacas Danai veniſtis ad oras,
Sanguine quærendi reditus, animaque litandum
Argolica . . . .

ubi Grammaticus, & Donatus hæc referunt: *Quum Græci ad Aulidem veniſſent, Agamemnon Dianæ Cervum occidit ignarus in venatione; unde Dea irata flatus ventorum, qui ad Trojam ducebant ſuſpendit, ob quam rem conſulta per Chalcantem Oracula dixerunt Agamemnonio ſanguine, hoc eſt immolata Iphigenia placandam Dianam. Quum ergo ab Ulyſſe adducta eſſet ut immolaretur Numinis miſeratione ſublata eſt, cervaque ſuppoſita, & translata ad Tauricam Regionem, Regi Thoanti tradita eſt Sacerdos facta Ortiæ*

Dianæ. Cum ſecundum conſuetudinem humano ſanguine Numen placaret, agnovit fratrem Oreſtem, qui accepto Oraculo carendi furoris cauſa cum amico Pylade Colchos petierat, & cum bis occiſo Thoante, ſimulacrum ſuſtulit abſconditum faſce lignorum, & Ariciam detulit. Sed quum poſtea Romanis ſacrorum crudelitas diſpliceret (quamquam ſervi immolarentur) ad Laconas eſt Diana translata, ubi ſacrificii conſuetudo adoleſcentium verberibus ſervatur, qui vocabantur Bomonicæ, quia aris ſuperpoſiti, contendebant qui plura poſſent verbera ſuſtinere. Oreſtis vero oſſa ab Aricia Romam translata ſunt, & condita ante Templum Saturni, quod eſt ante clivum Capitolii juxta Concordiæ Templum. Idipſum narrant Hyginus Fabul. cap. 120. Solinus cap. 8. Ovidius lib. 4. Triſt. Eleg. 4. ad finem, & lib. 3. de Pont. Eleg. 2. cujus carmina non refero quia multa ſunt, necnon Valerius Flaccus Setinus Argonaut. lib. 2.

. . . ille procul trunca fugit anxius alvo
Taurorumque locos, delubraque ſæva Dianæ
Advenit. Hic illum triſti Dea præficit aræ
Enſe dato, mora nec terris tibi longa cruentis,
Jam nemus Egeriæ, jam te ciet altus ab Alba
Jupiter, & ſoli non mitis Aricia Regi.

Ex quibus intelligitur in Aricino primum ſacra Dianæ Tauricæ facta fuiſſe, hoſpiteſque apud Aram Dianæ quotannis Deæ mactatos, cui mori alludit Prudentius lib. contra Symmachum.

Incaſſum arguere jam Taurica ſacra ſolemus,
Funditur humanus Latiari in munere ſanguis.

Item Lactantius lib. 1. de Falſa Religione cap. 21., Juvenalis Satyr. 15. & alii. Dein Servorum ſanguine Numini litatum ex Servio, & Donato, quod cum adhuc diſpliceret, ferunt ſacra ad Laconas fuiſſe translata, teſtimonio eorundem. Sed quænam Regio hæc eſſet obſcurum eſt, nam non deſunt qui literis mandarint, Dianæ ſacra translata ad urbem inter Cajetam, & Terracinam conditam à Laconibus, qui comites Caſtoris, & Pollucis fuerant, & cum Glauco Minois filio in Italiam venerant, cui Oppido nomen Lacones ex Servio ad lib. 10. Æneidos pag. 602. ad finem, quod inveriſimile eſt, quum idem Grammaticus teſtetur hanc gentem à cæde omnium animalium abſti-

abſtinuiſſe, quamobrem potius puto Quirites ad Laconas in Græcia id ſacrificium tranſvexiſſe ex Philoſtrato in vita Apollon. Tyan. lib. 6. cap. 10., ubi refert Lacedæmonios in Scythicæ Dianæ honorem pueros verberaſſe uſque ad necem, Plutarcho in Lycurgo, Cicerone lib. 2. Tuſculan., Pauſania lib. 3.. Immo id quoque à Grammatico dictum arbitror in gratiam Romanorum, quum ex eodem Donato, Hygino, & aliis conſtet, priſcos Latinos Sacerdotem ipſum Dianæ immolaſſe. Quandoquidem ferunt Sacerdotem ædis Aricinæ, & Nemorenſis perfugam fuiſſe, qui Sacerdotium occupabat, quum ſingulari certamine viciſſet, & trucidaſſet qui jam Sacerdotium tenebat, idque factum ait Servius relatus, ut ita priſtini ſacrificii reparatio fieret. Itaque ſanguine Regis Aricini (quo nomine appellabatur Sacerdos) Deæ litatum fuiſſe palam eſt mutato tantummodo ritu, nam antea non licebat fugitivis cum Rege dimicare, niſi quis ramum arboris Deæ ſacræ abſtuliſſet, quod poſtea ſervatum non fuit, ac cuilibet perfugæ dabatur facultas certandi cum Sacerdote, qui ideo ſemper gladium ſtrictum tenebat ad propulſandos inſultus.

Quare patet ad extrema Romani Imperii tempora Latinos ſanguine Regis Aricini Dianam Nemorenſem placaſſe, quod Strabo adductus teſtatur, & Suetonius in Caligula cap. 35. confirmat his verbis: *Nemorenſi Regi quod multos jam annos potiretur Sacerdotio, validiorem adverſarium ſubornavit.* Poëtæ etiam paſſim hujus moris meminerunt, quemadmodum Ovidius lib. 1. de Art. Amand.

Ecce ſuburbanæ Templum Nemorale Dianæ
Partaque per gladios regna nocente manu.

Statius Silvar. lib. 3. Carm. 1.

Jamque dies aderat profugis cum Regibus altum
Fumat Aricinum Triviæ nemus . . . .

Lucretius lib. 3.

Qua ſublime nemus, Scythiæ qua Regna Dianæ.

Itaque haud vera aſſertio Grammatici, putantis Romanos hæc ſacra ſanguine humano facta ad Laconas tranſtuliſſe, quod illa accolis diſplicuiſſent; quamvis autem fabula eſſet Hippolytum ad Nemus Aricinum appuliſſe, ac ſimulacrum Deæ ibidem locaſſe, Oreſtem

etiam ; & Iphygeniam aliam effigiem Dianæ Tauricæ faſce lignorum abſconditam illuc adſportaſſe & fabulæ inventores fuerint Græci Latii habitatores, qui ea loca incoluerunt, quod congnoviſſent Nemus Aricinum, cum lacu, ſpecubus, & fontibus apprimè reſpondere iis locis, quæ in Scythica Regione erant, ubi Diana Taurica colebatur, uti ſatis erudite probant Joannes Argolus apud Tomaſinum de Donariis cap. 2. pag. 16. ad finem; & Cluverius Ital. Antiq. lib. 3.. Attamen dilucidum eſt Latinam gentem, & dein Romanam putaſſe ædem ſacram Dianæ eo loci Hippolytum ſacraſſe, ibique eum ſepultum, Oreſtem itidem cum Iphygenia ſorore illuc appuliſſe, & ibi eos mortuos, tumulatos, & cultos ex jam relatis, & Pighio in Hercule Prodicio pag. 304., ob quam rem partem nemoris, ubi credebant Hippolytum jacere, clivum Virbii vocitabant, teſte Cornuto, & apud Dianæ Templum oſſa Oreſtis monſtrabant, quæ poſtea, uti Servius, & Donatus memorant, Romam translata ſunt, & condita apud ædem Saturni. Quapropter non ambigimus affirmare Hippolytum, Oreſtem, & Iphygeniam anniverſaria feſta in Aricino meruiſſe, quamquam Procopius de Bell. Perſic. lib. 1. cap. 17. hæc de Oreſte tradat: *Poſtquam Oreſtes à Tauris abiit cum ſorore, in morbum incidit, ac ſuper eo conſultum Oraculum reſpondiſſe memorant, ægrum haud prius ſanatum iri, quam in loco, cujus ſitus ei, quem Tauri habent ſimilis eſſet, poſuiſſet ædem Dianæ, ibique attonſa coma factum ex eâ nomen dediſſet Urbi. Itaque Oreſtes circumjectos tractus obiens, venit in Pontum, ubi cum præruptum montem vidiſſet, ac fluvium Irin radices ejus alluentem, hunc ſibi locum ab Oraculo deſignari ratus, præclaram in eo Urbem, & Dianæ fanum extruxit, reciſaque coma, hinc nomen* Comanæ *fecit, quod Urbi hac etiam ætate manet. His verò exactis, quum morbus adeo non remitteret, ut ingraveſceret potius, intelligens Oreſtes nondum ſe Oraculo ſatisfeciſſe, partes illas denuo luſtravit omnes & conſideravit, tandem in Cappadocia locum plane geminum, ac ſimilem ei, quem viderat apud Tauros invenit. Hunc ego ſæpe contemplans oculis vehementer miratus ſum ſic, ut mihi non abeſſe à Tauris viderer. Igitur Oreſtes Urbem hic ædificavit ſpectatu dignam, ac duo ſana, Dianæ alterum, alterum Iphigeniæ ſorori:*

Urbs

Google

Urbs autem hodie etiam vocatur Aurea Comana, *eam nacta nomenclationem ab Oreſtis coma, qua tonſa ipſum convaluiſſe fama eſt*. Hinc fortaſſe Solinus Polyhiſtor. cap.8. memoriæ mandavit Oreſtem Oraculo monitum ſimulacrum Scythicæ Dianæ, quod de Taurica extulerat, prius quam Argos peteret, in Aricino conſecraſſe, quo fit juxta Solini ſententiam, eundem Ariciæ haud eſſe defunctum, cui tamen ſententiæ non conſenſere Latini, qui calvariam Oreſtis apud ædem Dianæ Aricinæ monſtrabant ex Servio, aliiſque jam adductis. Sed de his ſatis, quum ſuo loco plura de hac Dianæ æde dicenda ſuperſint.

Illud prætereundum non eſt, nedum oſſa, ſed ſceptrum Oreſtis in Aricino ſervatum, quemadmodum ex Servio ad lib.7. Æneidos arguitur; is enim hæc carmina explicans:

Ipſe Quirinali lituo, parvaque ſedebat
Succinctus trabea, lævaque ancile tenebat
Picus equum domitor . . . . .

ſic loquitur: *Septem fuerunt paria, quæ Imperium Romanum tenent. Acus matris Deûm, Quadriga fictilis, Vejentorum Cineres, Oreſtis ſceptrum, Priamive, Ilione, Palladium, Ancilia*: Grammaticus igitur ſeptem enumerat res, quibus Imperium Romanum protegi opinabantur, inter quas ſceptrum Oreſtis, quod proculdubio ante Romam conditam in Aricinæ Dianæ Templo fuiſſe conſtat, quum jactarent in eo ſimulacrum Deæ ab Oreſte poſitum, & ejuſdem oſſa ſervata, quin fortaſſe Sacerdos Aricinus Rex dicebatur, quod olim ſacra feciſſet ſceptro Oreſtis ornatus. At quoniam hic Servii locus eruditis abſtruſus videtur, & Latinorum priſcorum ſacra geſta illuſtrat, idcirco operæ pretium eſt aperire quid intellexerit Servius. De Ancilibus ſatis diximus Capite 22.

Quadrigæ fictilis meminit Feſtus lib.16. his verbis: *Ratumena Porta à nomine ejus appellata eſt, qui ludicro certamine quadrigis victor Etruſci generis Juvenis Veiis, conſternatis equis excuſſus, Romæ periit; qui equi feruntur non ante conſtitiſſe, quam pervenirent in Capitolium, conſpectumque fictilium Quadrigarum, quæ erant in faſtigio Jovis Templi, quas faciendas locaverant Romani Vejenti cuidam artis figulinæ prudenti, quæ bello ſunt reciperatæ,*

quia

quia in fornace adeo creverunt, ut eximi nequirent, idque prodigium portendere videbatur in qua Civitate eæ fuiſſent, omnium eam futuram potentiſſimam. Fuſius idipſum prodit Plutarchus in Poplicola, ex quo habemus Tarquinium ſuperbum eam Quadrigam Veiis faciundam locaſſe, ut in Templo Jovis Capitolini collocaret. Vejentes verò negaſſe eam dare, quod in fornace creviſſet, & amplitudinem Urbis, in qua maneret portendere diceretur: territos dein prodigio Equorum Ratumenæ Aurigæ, qui Veiis, ubi Circenſes ludi agebantur excuſſo Auriga Romam uſque, & in Capitolium cucurrerunt, ædemque ter luſtrarunt, & ante Quadrigas fictiles ibi locatas conſtiterunt, Romanis quadrigam illam conceſſiſſe, quod memorant etiam Solinus cap.45. & Plinius lib.28. cap.11., quamvis Feſtus, & Plutarchus referant Ratumenam Aurigam Romæ periiſſe, & nomen Portæ, quæ eadem ac Carmentalis, ac ſcelerata eſt, dediſſe.

Hæc de fictili Quadriga, cui Quirites divinos præſtiterunt honores; at de Vejentum cineribus nihil compertum habeo, niſi Grammaticus loquatur de reliquiis ſacris, Veiis captis, Romam à Camillo traductis, inter quas ſimulacra Junonis, & aliorum Deorum, quæ Plutarchus in Camillo ſcribit Romanos immaniter coluiſſe, quod infortunia Reipublicæ ſudore, vel ſanguine effuſo, ſuſpiriis, aliiſque prodigiis prædicerent: neque mihi conſtat qua ætate, & à quo Quirites acceperint Acum matris Deorum, quam Cybelem, Opim, & Tellurem dixerunt. At ſi fas eſſet in tantis antiquitatis tenebris aliquid fari, facile contenderem Acum hanc aſportatam à Phrygibus, qui cum Ænea Latium appulerunt, & ſacra matris Deorum in Latinas oras tranſvexerunt ex Feſto lib.3. Julio Firmico de Error. Prophan. Relig. Ovidio Epiſtol. Phædræ Hippolyto, & aliis relatis Capite 16.. Sceptrum Ili, vel Priami Æneas Lavinium, inde Aſcanius Albam, & dein Romani Reges Romam tranſtulerunt; Virgilius hujus rei teſtis eſt, qui lib.1. exhibet Æneam tradentem Didoni Sceptrum Ili, quod geſtaſſe canit Primogenitam Priami, nec non monile, & coronam, quæ ornamenta is ſecum detulerat, quum Troja conflagraret, en ejus carmina.

Præterea Sceptrum, Ilione quod geſſerat olim
Maxima Natarum Priami, colloque monile

Bacca-

Baccatum, & duplicem gemmis auroque Coronam.
ubi interpretes arguunt Æneam Ili Sceptrum, quod Priamus etiam Trojani Regni Succeſſor geſtaverat Lavinii locaſſe quod memorat etiam Cirinus de Urbe Rom. lib. 1. cap. 29. pag. 247. Coronam etiam, quam vittam potius fuiſſe notat Silius lib. 6.

. . . . . . Regnique inſigne vetuſti
Geſtat læva decus, cinguntur tempora vitta.

eaque uſos Albanos Reges aſſerit Cirinus loco quo ſupra; quare patet id Sceptrum Romanis religioſiſſimum, latinis priſcis venerabile fuiſſe.

Palladium quoque Æneas Lavinium tranſtulit, quo ſalvo, jactabant Urbem ubi illud collocatum eſſet inexpugnabilem fore ex Virgilio lib. 2. Æneid., Apollodoro lib. 3. Biblioth. Plutarcho in Numa, Dionyſio lib. 1. & 2. Auctore Origin. Gent. Rom. & aliis. Apparet itaque ex jam dictis quibus figmentis Latina, & Romana res conſiſtere putaretur, & quantum cæca eſſet fides Latinorum, & Romanorum, qui tot ætatibus arbitrati ſunt ab his rebus ſalutem Imperii pendere. Sic Sibyllini Libri Romæ in magno fuerunt pretio, eoſque Quirites conſulebant quum Reſpublica in magno verſaretur diſcrimine. Attamen quidquid fabulentur Romani Hiſtorici, palam eſt eos libros Æneam in Latium adſportaſſe, & Latinam gentem cuſtodiviſſe, eodemque ritu, quo Romani, illorum reſponſa conſuluiſſe teſtimonio Dionyſii lib. 1.: *Porro Æneam, & Trojanos in Italiam perveniſſe confirmant Romani omnes, eorumque ſacra, & feſti dies indicant, & Sibyllini libri cum Pythicis Oraculis, aliaque multa, quæ nemo tanquam ad ſpeciem conficta reſpuerit*, cui conſentit Lactantius de Falſa Relig. lib. 1. cap. 6., prodens Trojanos morem Sibyllinos libros conſulendi ſervaſſe.

Tiburtes celebrabant diem Feſtum Sibyllæ Tiburtinæ, quam Albuneam dicebant. Hujus meminit Virgilius lib. 7. Æneidos:

. . . . Luciſque ſub alta
Conſulit Albunea nemorum, quæ maxima ſacro
Fonte ſonat, ſævumque exhalat opaca mephitim.

ubi Servius ita: *In Albunea alta: quia eſt in Tiburtinis altiſſimis montibus, & Albunea dicta eſt ab aquæ qualitate, quæ in illo fonte eſt,*

eſt, unde etiam nonnulli ipſam Leucothoen volunt, ſciendum ſane unum nomen eſſe fontis, & ſilvæ. Mephitis proprie eſt terræ putor, qui de aquis naſcitur ſulphuratis, & eſt in nemoribus gravior ex denſitate ſilvarum. Alii Mephitim Deum volunt Leucothoæ connexum, ſicuti eſt Veneri Adonis, Dianæ Virbius. Alii Mephitim Junonem volunt, quam aërem eſſe conſtat. Novimus autem putorem nonniſi ex corruptione aëris naſci, ut ſit Mephitis Dea odoris graviſſimi ideſt grave olentis. Sunt qui putent ex his verbis argui Albuneam fuiſſe Inon quæ eadem, ac Leucothoe, & hanc cum Sibylla Tiburtina confundunt, quemadmodum Ligorius in MSS. Otthobonianis voce *Albunea*, Alexander Genial. lib. 6. cap. 4. & alii. Neque deſunt qui dicant Albuneam Carmentam fuiſſe Sibyllæ loco in Latio cultam, qui ſane hallucinantur quum pateat Virgilium verba feciſſe de Sibylla Tiburtina, quam Tiburtes divinis honoribus percolebant. uti diſerte probat Gyraldus de Poëtis Dialog. 2., qui Græcos ſcriptores mangones vocat, quod Græcanicæ, & Tigurtinæ gentis eam fecerint. Huic in montibus Tiburtinis lucum, & fontem ſacratum Poëta commemorat, & quidem fontem aquæ ſulphureæ, quæ ex montibus laudatis hac etiam ætate ſcaturit ex Stuckio de Sacrif. Gent. pag. 104. Curtio Symphoriano de Hort. lib. 4. cap. 5. Cluverio Ital. Antiq. lib. 2. pag. 716.. Eo loci, ſub Albulæ ſcilicet ſulphureo rivo, lacuque eam Deam ut plurimum habitaſſe ferunt, ac reſponſa dediſſe. Quamobrem Latini Templum ei dicarunt rupi ſupra Anienis catarractam impoſitum, quod perhibent edacitate fluminis abraſum Auguſtum reſtauraſſe, aut in priſtinam formam reſtituiſſe; unde error plurium, qui literis mandarunt Sibyllam hanc Auguſti ætate vixiſſe, ut ſatis erudite habetur ex Kircheri Vet. & Nov. Lat. lib. 1. part. 2. cap. 2. ubi ædis ſacræ, figura rotunda, columniſque ſtriatis pulcherrimis & Corinthia architectura elaboratis typum exhibet, de quo plura ſuo loco dicemus.

Hujus Templi meminerunt Virgilius loco quo ſupra & Probus, ac Donatus ejus interpretes, Horatius itidem lib. 1. Carm. Oda 7.

Nec tam Lariſſæ perculſit campus opimæ
Quam domus Albuneæ reſonantis,

Domum Albuneæ nuncupat hanc ædem Poëta, ut innueret eo loci, ubi

ubi narrabant habitaſſe Deam, ædem ſacram ei conditam, atque reſonantem eam vocat ob fontem, & Anienem ædi proximum, vel ob Oracula, quæ ibidem Dea fundebat, ſi antiquis Horatii Commentatoribus credimus; quippe Oraculum ibi fuiſſe Virgilius jam relatus notat, qui carminibus adductis Capite 4. ſubjicit, Latinam gentem id Oraculum maxime conſuluiſſe, cui Varro apud Lactantium de Falſa Relig. lib. 1. cap. 6. conſentit, qui de Sibyllis loquens, hæc refert: *Decimam Tiburtem nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur ut Dea juxta ripas amnis Anienis, cujus in gurgite ſimulacrum ejus inventum eſſe dicitur tenens in manu librum, cujus ſacra Senatus in Capitolium tranſtulerit*, uti exhibent membranæ Jani Gulielmi, & Lactantii Scholiaſtes aſſerunt, atque Statius lib. 1. Silvar. Carm. 3., qui de villa Tiburtina loquens, ſic canit.

Quid ni Templa darent alias Tyrinthia ſortes,
Et Prænestinæ poterant migrare ſorores.

ex quibus diſcimus Tiburi etiam fuiſſe Templum fatidicum, in quo per ſortes, ut apud Antium, & Præneſte Oracula reddebantur, & diſerte Propertius lib. 2. Eleg. 5.

Quidquid Amalthea, quidquid Marpeſſia dixit,
Herophile, Phœbo grata quod admonuit.
Quotque Albuna ſacras Tiberis per flumina ſortes
Portarit ſicco, perlueritque ſinu.

quamvis Antonius Vandale de Oracul. Diſſertat. 1. pag. 93. ædi Herculis Tiburtini has ſortes attribuat; oſcitanter tamen, nam ſortes Tiburtinas in Albuneæ Templo tantummodo fuiſſe omnes eruditi memorant teſte Beroaldo ad Suetonium in Tiberio quidquid aſſerat Pomponius Sabinus in Virgilium lib. 7. Æneidos, qui ex Probo ait. Albuneam fuiſſe Laurentinorum ſilvam, in qua erat Oraculum Fauni, & Lucus ſacer ei dicatus, quum Albunea Tiburi coleretur, eademque eſſet & Sibylla Tiburtina ex Acrone, & Porphyrione in Horatium ad verſus mox relatos, aliiſque adductis ſupra, & Capite 4., ubi locum Virgilii, qui plures fefellit, illuſtravimus. His conſentit vetus ſimulacrum hujus Deæ in Villa Eſtenſi Tiburtina effoſſum cum epigraphe:

S I B Y L L A   A L B V N E A.

de quo Antonius del Rè Antiq. Tiburt. part. 1. cap. 5. pag. 87.

Erant in luco ei Deæ ſacro balnea, quod narrarent aquas Albulæ, e qua fons Deæ devotus manabat, ad varios morbos, potas, aut pro balneo uſurpatas, remedium adferre, teſtimonio Strabonis lib. 5. Plinii lib. 31. cap. 2. Iſidori Origin. lib. 13. cap. 13. Suetonii in Neron. cap. 31. Philippus Siculus in libro quem ſcripſit de Sibyllis, ſimulacrum ejus Deæ ita deſcribit: *Sibylla Tiburtina non multum ſenex veſte rubea induta, deſuper ad collum pellem hircinam per ſcapulas habens, capillis diſcomptis. Simulacrum ipſius tenebat librum, ubi ſcriptum erat: naſcetur Chriſtus in Bethleem, annunciabitur in Nazareth regnante Tauro Pacifico fundatore quietis.* Sed unde Siculus hæc hauſerit mihi non liquet, neque Varroni notum fuit.

Colebant & Tiburtes Tiburnum, à quo eorum Urbem conditam jactabant. Nam etſi Sicana gens, quæ Latium incoluit, in eo monte, ubi Tibur ſitum eſt, oppidum condidiſſet, quod Siculetum appellavit, ut auctor eſt Dionyſius lib. 1., quum tamen Catillus Amphiarai filius Evandreæ claſſi præfectus cum Arcadibus in Latium veniſſet, & ibi tres filios genuiſſet, Tiburtum, Coracem, & Catillum, ferunt hos, depulſis ex oppido Siculeto veteribus Sicanis, à nomine Tiburti, quem alii Tiburnum vocant, fratris natu maximi, urbem nuncupaſſe ex Dionyſio lib. 1., qui Tiburtem hunc dicit, ex Solino Capite 8., qui ex Catone hæc prodit: *Tibur Catillus condidit Præfectus claſſis Evandreæ; Catillus enim Amphiarai filius, poſt prodigioſum Patris apud Thebas interitum, Oeclei juſſu tres liberos in Italia procreavit, Tiburtum, Coram, Catillum, qui depulſis ex oppido Siciliæ veteribus Sicanis, à nomine Tiburti fratris natu maximi urbem vocarunt*, cujus rei aſſertor eſt & Virgilius lib. 7. Æneidos:

Tum gemini fratres Tiburtia Mænia linquunt
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem
Catilluſque, acerque Coras, Argiva juventus.

ubi Servius: *De Græcia tres fratres venerunt ad Italiam Catillus, Coras, Tibur, vel Tiburnus. Hi ſimul omnes unam fecerunt Civitatem, & eam de fratris nomine Tibur appellaverunt, licet & alias*

alias fecerint ſinguli : & infra : *unde mons Catilli, quem Catelli dicunt per corruptionem juxta Tibur, Coras à cujus nomine eſt Civitas in Italia*, ſcilicet in Latio, idem refert vetus Commentator Horatii lib. I. Carmin. Ode 7. quamvis ſint qui ſcribant Catillum prædictorum Patrem Tibur condidiſſe ex Martiano Capella lib. 6. Silio lib. 8.

Hinc Tibur Catille tuum . . . . . .

& lib. 4.

Quoſque ſub Herculeis taciturno flumine muris
Pomifera arva creant, Anienicolæque Catilli.

Horatio ejuſdem lib. Ode 18.

Circa mite ſolum Tiburis, & mænia Catilli.

Statio & aliis.

Lucum propterea, ædem ſacram, & feſta Tiburtini ſacrarunt Tiburno quem parentem dicebant, quemadmodum innuit Statius Silvar. lib. I. Carm. 3., ubi Manlii Voſpici villam Tiburtinam, & Anienem diligenter deſcribens, hiſce carminibus Tiburni fani meminit:

Illis ipſe antris Anienus fonte relicto
Nocte ſub arcana glaucos exutus amictus
Huc illuc fragili proſternit pectora muſco,
Aut ingens in ſtagna cadit, vitreaſque natatu
Plaudit aquas, illa recubat Tiburnus in umbra,
Illuc ſulphureos cupit Albula mergere crines.

Hinc intelligitur Vopiſci villæ ſuper Tibur ſitæ propinquum fuiſſe Tiburni Dei lucum, & ædem. Scio plures legiſſe.

. . . . . *illa recubat Tiberinus in umbra.*

addentes quod Poëta verſibus laudatis Tiburno conditori alludere voluerit, nullum vero fanum aut lucum ſacrum Tiburni indicarit. At ego arbitror lectionem ſupra relatam veram eſſe, atque ex melioribus depromptam exemplaribus, quin ex verbis Statii liquido conſtare prope villam Vopiſci lucum Tiburno dicatum fuiſſe, quod ex Horatio lib. I. Carm. Ode 7. patet, is enim ad Munatium Plancum Conſularem ſcribens ſic canit:

Nec tam Lariſſæ percuſſit campus opimæ

Quam domus Albuneæ reſonantis
Et præceps Anio, & Tiburni lucus, & uda
Mobilibus pomaria rivis . . . .

nec non ex Suetonio in Horatii vita, cujus vulgata exemplaria ita referunt: *Vixit plurimum in ſeceſſu ruris ſui Sabini, aut Tiburtini, domuſque ejus oſtenditur circa Tiburtini luculum*: alii legunt *circa Tiberini luculum*; plerique *Tiburini*. Cluverius vero Ital. Antiq. lib. 3. pag. 964.: *Tiburni*. Ego vero apud Suetonium legendum puto uti jacet, ab eoque Tiburni lucum ſacrum ſatis expreſſum exiſtimo, quum enim Servii teſtimonio compertum ſit, Antiquos conditorem Tiburis Tiburtem, & Tiburnum nuncupaſſe, Virgilium itidem eum Tiburtum vocitaſſe, hinc Suetonius eundem Tiburtinum appellavit, quod populi ab eo prognati Tiburtini vocarentur. Cæterum Tiburi plures ſacros lucos fuiſſe commemorant, illum ſcilicet Albuneæ, de quo verba fecimus & alium Dianæ de quo Martialis lib.7. Epig.27.

Sic Tiburtinæ creſcat tibi ſilva Dianæ.

Quid igitur innuere voluerit Suetonius Tiburtini luculi nomine, viderint illi, qui aliter legunt. Mihi ſane dilucidum eſt ejus verba applicari haud poſſe luculo Tiburis, ubi non unus, ſed plures luci erant. Hiſtoricum itaque diſerte meminiſſe luculi Tiburni, quem Tiburtinum vocavit ſatis perſpicuum arbitror cum Antonio Mureto in Catullum Epigr.45. qui conditorem Tiburis Tiburnum, Tiburtium dictum fuiſſe ſcribit. Quamobrem ſcimus ex Plinio lib.16.cap.44.apud Tiburtes extitiſſe. *Ilices tres etiam Tiburte conditore eorum vetuſtiores, apud quas inauguratus traditur; fuiſſe autem eum tradunt filium Amphiarai, qui apud Thebas obierit una ætate ante Iliacum bellum*: unde arguitur eos populos, Tiburtem, ſeu Tiburnum adeo coluiſſe, ut Ilices tres Numini devotas ad Plinii ætatem oſtenderent, apud quas præcedente augurio, is conſecratus fuerat.

Sic ſuſpicor Coranos feſta Coracis ſui conditoris quotannis concelebraſſe, ii namque ſuum parentem Coracem Tiburni fratrem jactabant ex Servio, & aliis ſuperius adductis, quamvis Plinius lib. 3. cap. 5. Martianus Capella lib.6. Solinus cap. 8. & alii eam Urbem à Dardano Trojano conditam ſcripſerint, & Virgilius lib.6. Ænei-

Æneidos eam Coloniam à Silvio Albanorum Rege deductam affirmarit, de quo ſuo loco plura dicemus; ego enim puto Coranos Coracem Catilli filium, & Amphiarai nepotem eorum conditorem putaſſe; Albanos vero Reges ab Ænea, & Dardano oriundos paruum oppidum Coloniam Albanorum feciſſe, uti memorat Virgilius, qui eam Urbem à Corace conſtructam, & dein Coloniam Albanorum factam canit, unde fortaſſe fama orta eſt Dardanum eam condidiſſe, idque coniicitur ex Templo Herculis, quod nunc etiam viſitur in ſummitate Coloniæ. Narrant plures relati apud Kircherum in Latio lib.3. part.1. cap.3. ad finem Evandrum poſt conſecratum Herculem edixiſſe, ſocios ſuos in locis, quæ tunc in Latio inhabitabant, ei Deo aras, & ædes ſacras dicare, ob quam rem memorant Tiburnum & fratres, Catilli Evandri ſocii filios, Tiburi, & in aliis oppidis ab iiſdem ædificatis, ſumptuoſiſſimi operis Templa Herculi condidiſſe. Porro id Herculis delubrum Evandri ætate Coræ ſacratum, & à Turpiliis Duumviris Coloniæ reſtauratum fuiſſe intelligitur etiam ex vetuſtis lapidibus apud Gruterum pag 43. & 180. quos cum aliis inſcriptionibus, quæ adhuc ibi ſuperſunt ſuo loco referam.

Ardeates, Rutuloſque univerſos has feſtas ſolemnitates, præter ferias ſupra, aliiſque capitibus relatas agitaſſe ferunt. Pilumni, & Picumni, quos Servius, & alii Ardeatium Deos vocant, uti Capite 13. dictum eſt: Ædis, & Luci Ardeæ meminit Virgilius lib.9. Æneidos, & Servius ad lib.8. pag.489.. Dauni etiam, quem parentem Ardeatium plerique narrabant, unde Rutuli Daunii dicti ſunt ex Servio ad lib.8. ad ea carmina:

Gens eadem, quæ te crudeli Daunia bello
Inſequitur . . . .

Idem notat Ligorius in MSS. Otthobonianis voce *Daunii*. Hunc fuiſſe clarum Iliacæ gentis virum, Diomedis ſocerum, & Apuliæ Regem ſunt qui memorant, ut videre eſt apud Servium ad lib.8. pag.487., Feſtum lib.4.. Alii Pilumni filium, & Turni Patrem ex Virgilio lib.12., qui exhibet Latinum, qui ita Turnum adfatur.

Sunt tibi regna Patris Dauni, ſunt Oppida capta
Multa manu. . . . .

Silio lib.8. *Fau-*

Faunigenæ ſocio bella invaſere Sicano
Sacra manus Rutuli, ſervant qui Daunia Regna,
Laurentique domo gaudent, & fonte Numici:

Danaen Perſei matrem,& filiam Acryſii Regis Argorum à Jove vitiatam, ac Pilumni uxorem, Ardeates coluiſſe palam eſſe arbitror; hanc enim cum viro ſuo Ardeam condidiſſe perhibent, ejus rei locuples teſtis eſt Virgilius lib.7. Æneid.

Protinus hinc fuſcis triſtis Dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad Muros, quam dicitur Urbem
Acryſioneis Danaen fundaſſe colonis
Præcipiti delata Noto, locus Ardea quondam
Dictus Avis, & nunc magnum manet Ardea nomen.

ubi Servius, & Donatus. Idipſum canit Silius lib.1. Bell. Punic.

Vos per culta diu Rutulæ primordia gentis
Laurentemque larem, & genetricis pignora Trojæ
Conſervate pios, qui permutare coacti.
Acryſioneis Tirynthia culmina muris
. . . . Vetus Incola Dauni
Teſtor vos fontes, & ſtagna arcana Numici
Quum felix nimium demitteret Ardea pubem,
Sacra, domumque ferens, & Avi penetralia Turni
Ultra Pyrenen Laurentia numina vexit.

Conſonat Plinius lib.3. cap.5., Solinus cap.8., Martianus Capella lib.6.. At quum dilucidum ſit Danaen nunquam in Latium veniſſe, & id, quod refert Servius ad lib. 7. Æneid. adductus Capite 13. eveniſſe in inſula Seripho, ſi fides danda eſt Hygino Fabul.63. Apollodoro de Diis lib.11. aliiſque quam plurimis, inde viri docti ſcribunt Danaen cum Perſeo filio Ardeæ cultam fabulæ occaſionem dediſſe. Palam namque erat eam urbem à Pilumno, vel ab Ardea Circis filio conditam, uti auctor eſt Dionyſius lib.1., & Stephani Epitomator. Cæterum cauſa hujus rei traditur, quod Ardeates antiquiſſimi populi Latii eſſent multis ante Æneæ in Italiam adventum ætatibus teſtimonio Strabonis lib.5.

Turni etiam celebritates percoluiſſe Ardeates arguitur ex Silio lib.1. verſibus mox adductis, & Columella Ruſtic. Rer. lib.10. qui meminit hoc carmine Turni lacus: Et

Digitized by Google

Et Turni lacus & pomoſi Tiburis arva.

quem lacum ſacratum ferunt ab Ardeatibus Turno Regi, quod is in eo ſubmerſus, eas aquas ſulphureas, ſacras feciſſet, uti viris doctis arridet, quamquam Virgilius lib. 12. Æneidos ad finem aliter narret; ſed is quoque conſecrationis Turni ſatis meminit eodem lib. his carminibus;

. . . . . : poſſem tantos finire dolores
Nunc certe, & miſero fratri comes ire per umbras
Immortalis ego? Haud quicquam mihi dulce meorum
Te ſine frater erit . . . .

His verſibus Poëta innuit Turnum Juturnæ ſororis comitem poſt mortem factum, divinos promeruiſſe honores, quod & explicat Servius ad lib. 6. in ea carmina:

. . . . . . alius Latio jam partus Achilles
Natus & ipſe Dea . . . .

De Venilia, inquit, *ſorore Amatæ, ut cui diva Venilia mater, nec debet mirum eſſe Amatam fuiſſe mortalem, quum etiam Turnus Juturnæ frater mortalis fuerit, nam hæc fuerunt divina beneficia*, ſcilicet quod Venilia Turni mater, Juturna ejus ſoror, & Turnus ipſe, quamvis mortales, immortalitatem eſſent conſequuti, & in Deorum faſtos ab Ardeatibus relati.

Quare liquet Ardeates Veniliæ quoque matris Turni feſta quotannis concelebraſſe, uti ſuperius diximus, & Juturnæ cui Latini ferias Juturnalia dictas dicarunt de quibus Capite 25. ſatis dictum eſt. Nationis, ſeu Naſcionis etiam Deæ, cujus ædem in Ardeatino poſitam prægnantes mulieres circumibant ita rem divinam facientes teſtimonio Ciceronis lib. 3. de Natura Deor., quamvis ſint qui aſſerant eam Danaen fuiſſe Nationis cognomento cultam, ideoque parturientibus, & prægnantibus propitiam; quippe narrabant eam à Jove vitiatam incluſam in arca ab Acryſio patre in mare præcipitatam, & in Italiam delatam, inventam fuiſſe à Piſcatore prope Ardeatinum littus cum Perſeo filio, quem illa in arca enixa fuerat ex Servio in lib. 7. Æneidos cap. 13. adducto. De his Ardeatium Diis, & Templis ſuo loco fuſius agam.

Præneſtini Cæculi quem conditorem urbis credebant, & Vulcani

cani filium, celebritates annuas egerunt Servio Teſte, cujus verba retuli Capite 20. Circejenſes Circis, cujus feſta ſolemni ritu quotannis colebant, ad quæ Latii univerſi magiſtratus conveniſſe patuit ex dictis Capite 9., quamquam Cicero lib.3. de Natura Deor. ſcribat Quirites id Numen reſpuiſſe. Collatini priſci Latii populi Collatinæ Deæ, quam collibus præſidere putabant: Ceninenſes ſacram ædem habuiſſe ubi anniverſaria ſacra præcipuo eorum populorum Numini facta ſcribit Dionyſius lib.1., qui ſubjicit ad ea ſacra omnes vicanos, & Romulum conveniſſe. Sed quinam is Deus eſſet non liquet, tametſi Ligorius in MSS. Otthobonianis voce *Cænina* prodat in ea urbe fuiſſe templum dicatum Dianæ Agroterræ, ideſt Venatrici, & Marti Camulo, eaſque ædes antiquiſſimas fuiſſe. At ego ſuſpicor id Templum Herculis, ſeu Cænitis, vel Cæninæ Urbis conditoris, Herculis cognomento fortaſſe culti, fuiſſe ex Feſto voce Cænina & Propertio lib.4. Eleg.11.

Tempore quo portas Caninum Acrona petentem
Victor in adverſum cuſpide fudit equum.
Acron Herculeus Cænina ductor ab arce
Roma tuis quondam finibus horror erat.

Gabinos, ſunt qui dicant Galacto, quem plures Galatium appellant, & Bio fratribus Siculis eorum Parentibus, quos ii Deorum progeniem jactabant divinos dediſſe honores ex Solino cap.8. ejuſque interpretibus Ligorio, Cluverio & aliis, quamvis Servius lib.6. Æneidos eam urbem ab Albanis Regibus conſtitutam aſſerat, fortaſſe quod Albani Reges, eam Coloniam deduxiſſent.

Ita Cruſtuminis Deluentinus Deus peculiaris fuit, cujus ideo feſta ſingulis annis magna celebritate agitabantur ex Tertulliano in Apologet. cap.23.. Hunc fuiſſe ſuſpicantur Siculum quendam, qui nomine uxoris ſuæ Clytemeſtræ, Clytemeſtrum condidit, quod corrupto nomine Cruſtumerium dictum eſt, licet non deſint, qui ſcripſerint, id oppidum à cruſtula panis, quam Trojanos fame coactos eo loci comediſſe narrabant, appellatum, uti notat Servius in lib.7. Æneidos ad illud.

Ardea, Cruſtumerique & Turrigenæ Antemnæ.

Et Querquetulani (qui populi ubi Roma eſt in monte Cœlio ante

ante Urbem conditam manſerunt ex Tacito lib.4. Annal.) ſolemnia quotannis celebrarunt in honorem Nympharum, & Larium, quos Querquetulanos appellabant, credentes ab iis ſuam Urbem ſingulariter protegi teſte Varrone de Lingua Latina lib. 4.. Lanuvini quoque Diomedem Trojanum Æneæ ſocium, cujus meminit Solinus Polyhiſtor. cap.8., ſive alium Illyricum virum, de quo Servius ad lib. 8. pag.487. coluiſſe feruntur, eum namque parentem Urbis prodebant, ſi fides danda eſt Appiano lib. 1. Bellor. Civilium. Verumtamen mihi non conſtat Diomedi Lanuvii divinos honores præſtitos, imo compertum habeo Ælianum lib. 11. cap. 16. ex Templo Junonis Soſpitæ, & Argolicæ ibi poſito arguere Pelaſgos priſci Latii populos urbem condidiſſe & Templum: cui conſentit Silius lib.8. Bell. Punic., quamvis Caſella de Antiq. Ital. Colon. pag.40., memoriæ tradat id oppidum, eamque ædem ſacram à Curetibus antiquis Latii accolis conſtructam. Antiates præterea, qui originem ad Antiam Circis, & Ulyſſis filium referebant, facile eſt Ulyſſis, & Antiæ conditoris urbis feſta concelebraſſe, id enim arguitur ex Xenagora apud Dionyſium lib. 1., & Stephani Breviatore, atque aliis, quorum nomina prodam quum cultum Ulyſſis referam eo libro, quo infra Circejenſium facta commemorabo, tametſi Solinus cap. 8. Aſcanium Æneæ filium Antii fundatorem aſſerat, de quo tamen ſuo loco plura dicam.

Ex his itaque patuit omnes fere populos Latii veteris conditores ſuos ſacris, & feſtis honoraſſe. Cæterum ferias, & ſolemnitates Caſtorum, Herculis, Æſculapii, & Hygiæ ejus filiæ ſolemnes in Latio quotannis fuiſſe non ambigo, licet diem certum proferre non valeam; quandoquidem compertum eſt, Evandrum Herculi viventi aram maximam conſtruxiſſe in Foro Boario eo loci ubi nunc ſchola eſt, quam Græcam dicimus. Id Templum rotundum Herculi Victori ſacratum fuiſſe produnt Livius Dec. 1. lib. 10. Dionyſius lib. 1. Plinius lib. 10. cap. 19. & alii: quin ſunt qui referant nomen Boarii Foro laudato inditum non quod ibi ſequutis temporibus boves venderentur, uti placuit Feſto lib. 2. aut ibidem æreum eſſet Tauri ſimulacrum, quod vidiſſe ſe teſtatur Tacitus lib. 12., ſed quod eo loci ob Boves repertos eximia bos eſſet Herculi ſacrificata ex Livio lib. 1..

Tiraquello in Alexandrum Genial. lib. 2. cap. 4.. Apud eam aram ſtatuam ligneam ſeu fictilem Herculi ab Evandro dicatam ſcribit Plinius lib. 34. cap. 7., qui ſubjicit per triumphos id ſimulacrum veſtitum fuiſſe habitu triumphali, & Herculem Triumphalem dictum; quod ſi verum eſt, patet artem Statuariam ea ætate familiarem. Hanc ædem Latinis priſcis priuſquam Roma conderetur in tanta veneratione fuiſſe prædicant, ut neque muſcæ, neque canes ejus tecta ſubintrarent; Hercules namque quum ſacrificulis ſuis viſcerationem commiſiſſet, Myagirum, ideſt muſcarum congregatorem Deum imprecatus dicitur, qui procul ab hoc Templo ſuas muſcas abigebat. Clavam vero ad fores reliquiſſe narrabatur, quam ubi canes conſpexiſſent, procul illinc aufugiebant, quemadmodum meminit Plinius ſubdens ad ſua tempora ædem illam à muſcis, canibuſque immunem ac Solinus cap. 2., & notat Marlianus Antiq. Rom. lib. 4. cap. 6., ubi addit illis ſacris neque mulieribus, neque Servis, aut Libertis intereſſe licuiſſe, quod Livius, Dionyſius, & alii teſtantur.

Verumtamen, quamvis hæc ara venerabilis toti Latio foret, Romanis etiam poſt Urbem conditam, attamen quo die, & menſe ibi feſta peragerentur mihi non liquet, nam tantummodo ex Gyraldo, qui refert, ut ipſe ait, vetus Calendarium, habeo pridie Idus Auguſti Herculi magno Cuſtodi in circo Flaminio ſacra facta eſſe quotannis: quæ quidem ex difformitate loci, & tituli, apud hanc aram facta haud eſſe facile eſt intelligere. Ergo jure merito ſolemnitatibus ſtata die, ſed incerta agitatis Herculis feſtum accenſemus, tametſi palam ſit id feſtum anniverſarium quum in Foro Boario, tum in omnibus Latinorum veterum Oppidis celebratum teſtimonio Dionyſii lib. 1., qui memorat Evandri ætate in toto Latio Templa Herculi ſacrata, & celebritates actas, de quibus ſequenti libro, ubi de æde Herculis Setini verba facturus ſum, fuſius diſſeram.

Sic Caſtorum Feſtum à Latinis priſcis celebratum eſſe conſtat. Horum ſolemnia in Latium tranſvexiſſe Lacones ſunt qui memorant ex Servio in Virgilium lib. 10. Æneidos ad illud:

. . . . *ditiſſimus agri*
Qui fuit Auſonium, & tacitis regnavit Amyclis.

ubi prodit Lacones, qui comites Caſtoris, & Pollucis ferebantur,

inter

inter Cajetam & Terracinam oppidum condidiſſe, & cultum Caſtorum inſtituiſſe, quod & notant Probus, atque Donatus eodem loco, ac Voſſius de Idololatr. lib. 1. cap. 12. memorans Latinos priſcos Caſtorem, & Pollucem inter Indigetes coluiſſe ante Æneæ in Latium adventum. Dionyſius lib. 7. Græcos primum in Latium ritus horum ſacrorum tuliſſe ſcribit. At lib. 1. videtur innuere ſimulacra duorum Juvenum haſtatorum Lavinii diu culta, fuiſſe effigies Caſtorum, quorum feſta Trojani celebrarunt, quod & Servius in lib. 2. Æneidos pag. 251. probat, ubi memoriæ mandavit ex Jove, & Læda natum Pollucem, & Helenam, de Tyndaro, eademque ex Læda Caſtorem, qui quoniam mortalis erat cum Polluce fratre partitus eſt immortalitatem: quod ideo fingebatur, quia narrabant mortalitatem Caſtoris Pollucem redemiſſe, ut proſequitur idem Grammaticus ad lib. 6. pag. 405.. Hinc Stephanus Niger libello quem ſcripſit de fraterna benevolentia poſt opera Plutarchi impreſſo, ait: *Quis contra Pollucis amicitiam non expetat, libenterque ampleЀatur? qui apud ſe in fratrem ſuſurrantem quendam pugnis interemit, & quum immortalitate à Jove optimo maximo donaretur, ſemideum ſe fieri maluit, ut Caſtori divinitatem impertiret.* Imo idem Servius in lib. 3. Æneidos, cujus verba retulimus cap. 25. ad finem, tradit in Samothracia duo ſimulacra virilia Caſtoris & Pollucis ante Portum fuiſſe, quibus naufragio liberati vota ſoluerent, quemadmodum & Cicero lib. 2. de Jnvent. teſtatur ac Varro lib. 4. de Lingua Latina ubi addit in Latio Samothracas Deos hos dictos. Quamobrem ex prædictis arguitur cultum horum Deorum Æneam, & Trojanos, qui illum à Dardano acceperunt, Lavinium, ac in Latium invexiſſe.

Quicquid igitur ſit de prædictis, ac de opinione Grammatici, qui eos Deos fratres uterinos facit, quamvis alii ex Cicerone lib. 3. de Natura Deor. & Dionyſio lib. 6. eoſdem Gemellos & Jovis, ac Lædæ filios aſſerant; alii de matris nomine differant, ut videre eſt apud Junium Animadverſor lib. 1. cap. 15., dilucidum eſt eorum celebritates quotannis in Latio ante Romam conditam agitatas; erat enim Tuſculi vetuſtiſſimum Caſtorum Templum, quin duæ ædes inſtar unius, ubi Tuſculani anniverſaria ſacra Diis laudatis ſolemni po mpa faciebant quemadmodum narrant Feſtus lib. 17. ver-

 bo

bo *Stroppus* & Cicer. lib. 1. de Divin. ita ſcribens: *E Cœlo tactæ ædes Caſtoris, & Pollucis Tuſculi*. Erat & Coræ antiquiſſima ædes jis Diis ſacrata, de qua ſuo loco dicam; & Oſtiæ in Portu fortaſse, ubi naufragio liberati, aut tranquillitatem maris petentes, ſacrificabant ex Ammiano Marcellino lib. 19.: *Tertullus* inquit, *apud Oſtiam in æde ſacrificat Caſtorum, tranquillitas mare mollivit*. Apparet itaque Latinos Samothracibus ritibus eruditos ſive à Laconibus, ſive à Trojanis eos Deos æque ac Samothracas putaſſe tempeſtatibus præſidere quod crederent in magna tempeſtate apparere quaſi ſtellas Cœlo inſidentes, & periclitantes adjuvare, uti innuit Senaca lib. 1. Natural. Queſt. & cecinit Catullus carm. 69.

Ac veluti nigro jactatis turbine nautis
Lenius aſpirans aura ſecunda venit.
Jam prece Pollucis, jam Caſtoris implorata,
Tale fuit nobis Mallius auxilium.

Immo tantus erat horum Deorum cultus in Latio, ut eos Deos Magnos dicerent, teſtimonio Servii cap. 25., & Ligoriani lapidis per Tomaſinum de Donar. cap. 10. ad finem adducti.

CASTORI, ET POLLVCI DIIS MAGNIS
SVLPICIA Q. SVLPICII F. VOTVM
OB FILIVM SALVTI RESTITVTVM.

Id feſtum quamvis Romani Idibus Juliis agitarent, attamen factum eſſe dicunt quod eo die ædem Caſtorum Senatus dedicaſſet bello Latino eo loci, quo illi viſi ſunt, ex Livio Dec. 1. lib. 2. Dionyſio lib. 6., quamobrem puto Latinos non eo die, ſed alio, qui incertus eſt, Deorum prædictorum ſacra feciſſe.

Sic Æſculapii, & Hygiæ ejus filiæ ferias Latinis fuiſſe comperimus, quo vero die non liquet; quandoquidem ex ſuperius relatis patuit Virbium, aut Hippolytum, ſeu verius Pelaſgos alioſque Græcanicæ gentis, qui antiquum Latium incoluerunt, ſacra Dianæ Tauricæ, ac Hippolyti & Æſculapii in Aricinum induxiſſe, ſicuti conſtat etiam ex Lapide priſco Ariciæ effoſſo cum hac epigraphe apud Sponium ſec. 3. pag. 117.

AESCV-

AESCVLAPIO SERVAT. SAC
M. AVRELIVS FAVSTVS.

Quemadmodum ſacra Dianæ, & Virbii in clivo Aricino vetuſtiſſima fuiſſe diximus, ita fuit & celebritas Æſculapii; quin ſunt qui putent id Templum apud clivum Virbii primum in Latio Æſculapio dicatum, dein illud Antii, de quo Livius, Ovidius, pluresque Romani Hiſtorici, ac Poëtæ, & nos ſuo loco fuſius:

Præter laudata feſta, fuit & illud Minutii, ſeu Minuci, cujus ſacellum eo loci, ubi Roma eſt, in Latio veteri conditum fertur ab Arcadibus, unde una ex vetuſtiſſimis portis Urbis Minucia dicta eſt, ſi Feſto lib. 11., & Paulo ejus mutilatori, Dacerio, Scaligero, & Alexandro Genial. lib.4. cap. 16. fides danda eſt. Quis vero is Deus eſſet, viri docti adhuc non norunt; illud etiam Averrunci, cui ſacrificari conſuetum erat, ut pericula averteret ex Varrone lib.6. de Lingua Latina, ejuſque interpretibus. Stercuti quoque, quem alii Sterculum, vel Sterculium nuncupant; hunc Servius in lib.6. Æneidos, cum Picumno confundit, & Sterquilinum dictum aſſerit. Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 7. eundem & Saturnum facit, quod traderent Saturnum primum ſtercore fæcunditatem agris comparaſſe. D. Auguſtinus de Civit. Dei lib. 10. cap. 15. eum Stercen vocat, & Pici Latinorum Regis Patrem apud Rickium de Antiq. Ital. Colon. cap. 5. ut diximus Capite 3.. At Plinius lib. 16. cap.9.: *Sterculius*, inquit, *Fauni filius, ob ſtercorationem inventam immortalitatem aſſequutus legitur*, cui conſentiunt Commentatores Lactantii lib. 1. de Falſa Relig. cap. 20. ad finem, ac alii viri docti, & præceteris Lactantius ipſe, qui Sterculium à Saturno diſtinguit. Et quamvis mihi potius arrideat ſententia Macrobii, qui Saturnum ita dictum prodit, ex prædictis tamen conſtat Latinos veteres Stercuti feſta concelebraſſe, eumque unum ex Fauni filiis exiſtimaſſe, quo fit facile ædem ſacram ei Laurenti dicatam fuiſſe.

Sic & celebritas Deæ Rumæ, ſeu Ruminæ Latinis priſcis ſolemnis

nis fertur; eà namque Dea prius quam Roma conderetur Ruma dicta eſt à Latinis quod putarent mammam infantibus immulgere; nam ſicuti mammam Latini priſci Rumam, ſeu Rumen, ut aliis placet, dixerunt, ita eam Deam Rumam vocitarunt teſtimonio Plutarchi Problem. cap.57. atque in Romulo, & Plinii lib.15. cap.18. aliis 19. ubi prodit ficum, ſub qua nutriti ſunt Romulus & Remus, Ruminalem dictam, quod ſub ea rumam, ideſt mammam Remo Romuloque Lupa dediſſet. Conſentit Feſtus lib. 16. ubi Dacerius duas Ruminales ficus Romæ fuiſſe probat, & lib.12. voce Navia, unde lumen Divo Auguſtino lib.4. de Civit.Dei cap.2. ubi ait: *Diva Rumina mammam parvulo immulgeat, quia Rumam dixerunt veteres mammam*, Latini ſcilicet priſci. Huic Numini facile eſt ſacra acta à matronis, quæ hoſtiis non vinum, ſed lac ſpargebant & libabant teſte Plutarcho Problem. 57., qui ſubjicit id factum, quod *Rumina nutrix quædam, & Puerorum altrix, merum infantibus præcipue noxium prorſus non recipiebat*, id tradit Varro de Re Ruſtic. lib. 2. cap. 11., ubi teſtatur in ſacris ejus Deæ inferre vinum expiatione dignum fuiſſe, atque Stuckius de Sacrif. Gentil. pag.133.

Feſtum prætcrea Honoris quotannis agitatum in Latio pro certo habeo, quin Quirites id Numen à Latinis accepiſſe, quod probat vetuſtiſſimus mos illi ſacra faciendi aperto capite, & ſine velamento. Quippe tametſi Plutarchus Problem. cap.12. ejus rei cauſſas plures adſignet, tamen palam eſſe arbitror eum divinaſſe; quandoquidem vero propior cauſſa illa eſt, quod Honoris ſacra in Latium invexerint Pelaſgi, qui aperto capite Diis ſuis ſacra facere conſueverunt; ritum enim ſacra Numinibus operto capite faciendi Æneas in Latinas oras tulit: quamobrem Saturni, & Opis ſacra, quæ ante Æneam in Latio facta ſunt, more priſco, ideſt aperto capite acta ſemper fuiſſe comperimus. Quare puto ex laudato more aperto capite Numini ſacrificandi, conſtare id ſacrum pervetuſtum, & ante Æneæ in Latium adventum factum, quemadmodum idem Plutarchus Probl. cap. 10. & 11. aſſerit, & Macrobius Saturnal. lib. 1. cap.8., & nos quoque alibi diximus.

Hæc & ſimilia Numina feſtis ſolemnitatibus culta in Latio veteri

teri ſcimus; quorum feſta, & nomina retulimus, ut noſcatur quantum debeamus Chriſto Domino, quem ut verum Deum veneramur, Apoſtolis etiam, maxime Petro & Paulo, qui exploſa ferarum gentium doctrina, rituque immani & barbaro, evictiſque erroribus, & infandis ineptiis, quas majores noſtri colebant, quid quemque deceat, & quibus ſacris, quaque mente Deum colere oporteat, docuerunt.

FINIS PRIMI LIBRI.

Digitized by Google

INDEX RERUM.

A

ABORIGINES Latii habitatores. *pag.* 2. Natio fuit Græcanica, & progenies Oenotrorum. 3. Expulerunt Sicanos veteres Latii accolas. 5. Primi coloni antiqui Latii. 6. 7.

ACILIA gens ab Acilio Æneæ Comite. 46.

ADULTERARUM pœna in Latio quæ. 103.

ÆGYPTII annum duodecim menſium conſtituerunt. 165.

ÆMILIA gens ab Aimilio filio Aſcanii. 53.

ÆNEAS Ilio everſo in Laurenti agrum cum Trojanis appulit. 7. A Latino Latinorum Rege hoſpitio exceptus. *ibid.* Regnante Latino in Latium venit. 38. Lavinium condidit. *ibid.* & 39. Poſt mortem Latini Rex Latinorum factus. *ibid.* Regno potitus, Aborigines, & Trojanos eodem nomine Latinos nuncupari juſſit. 39. & 40. Moritur in prælio contra Turnum, & Mezentium. 41. Cultus ſub cognomento Jovis Indigetis. *ibid.* Ei ædes dicata, & lucus ad ripas Numicii amnis. 41. Suem, quæ triginta porcellos peperit in eo ſitu Diis Penatibus immolavit. 43. Lavinii Templum Veneri genitrici conſtruxit. *ibid.* In Latium invexit morem pro mortuis ſacrificandi. 44. Auctor moris fœminarum oſculandi agnatos. *ibid.* Qui mos à Tiberio edicto ſublatus. *ibid.* Ipſe, & Lavinienſes Romanis ſacros ritus tradiderunt. 43. Ejus in Latium adventus an verus. 46. 47. & 48. Ejus navis Romæ ad Procopii ætatem ſervata. 49. Ab Ilio Penates, & Palladium in Italiam, & Lavinium tranſvexit. 90. & 391. Sacravit clypeum in Templo apud Samothraces. 200. Cognomento Patris Indigetis ab Aſcanio conſecratus. 244. & 245. Ejus feſta. 377. Et Flamines ei ſacrati. *ibidem.* Pontifex, & Pontificum Princeps, & ſacrorum auctor apud Albanos. 245. Sibyllinos libros in Latium invexit. 391.

ÆSCULAPIUS à Latinis quotannis ſacris honoratus. 404. & 405. Ejus ædes in Aricino. *ibid.*

AGNATIONIS, & cognationis diſcrimen nullum in Latio. 102.

AGONALIA quo die celebrata, & unde dicta. 339. Jano ſacrata. *ibid.* Quæ hoſtia in illis immolaretur. *ibid.* Primum à Numa Romæ inſtituta. 340.

ALBA à quo ædificata. 8. Lavinienſium Colonia. *ibid.* Ab Aſcanio condita 30. annos poſt Lavinium conſtructum. 51. Ejus ſitus. 62. Diruta à Tullo Hoſtilio Romanorum Rege. 70. & 71. In ea Trojæ ludi primum inſtituti. 162. Minervæ ædes, & Collegium Sacerdotum. 195. & 196. *Vidè* MINERVA. Ædes Jani Bifrontis. 329. & 332. Et Carnæ Deæ. 338. & ſeq. Ædes Aſcanii cognomento Jovis. 377. Lucus Martis. 351. Latini cognometo Jovis Latia-

 ris.

ris. 72. & ſeqq. Veneris Equeſtris. 100.

ALBANORUM Reges à Silvio Æneæ, & Laviniæ filio, Silvii dicti. 52. Eorum ſeries uſque ad Amulium, & eorum feſta referuntur. 54.60. Quot Urbes, & Oppida condiderint. 64. Et quot Colonias deduxerint. *ibid.* Intonſi, capillati, & trabeati. 65. Eorum veſtimenta exponuntur. 65. & ſeqq. Mulleis adnectebant lunulas. 68. Eorum annus lunaris & civilis. 165. Eorum Regum ſceptrum, & haſta. 69.

ALBANO ſub monte ædes ſacra Faulæ, ſeu Foviæ. 376.

ALBANUM vinum celebre apud antiquos. 131.

ALBULÆ aquæ, unde fons Albuneæ manabat ad varios morbos potæ remedium adferebant. 394.

ALBUNEA eadem, & Sibylla Tiburtina. 392. Laurentina Silva in qua erat oraculum, & lucus Fauni Albunea reputata. 193.

ALLADIUS Albanorum Rex fulminibus, & terræmotu, una cum tota Regia in Albanum lacum ſubmerſus. 61.

AMATA uxor Latini. 36. 37. & 39. In Dearum faſtos à Latinis relata. 376. & 377.

AMBARUALE ſacrum quo die, & menſe celebratum. 261. Quo ritu 262. & 263. In honorem Cereris. 261. Unde dictum. 262. In eo invocabant Victoriam. 262. Quæ in eo hoſtia. 262. & 263.

ANCUS Publicius Coranus Prætor, vel Imperator Latinorum factus in Concilio Ferentino. 24. & 77.

ANCHISI Templum apud Numicium dicatum. 42.

ANCHISES à Latinis in Deorum faſtos relatus. 280. & 281. Ejus feſta quotannis à Latinis celebrata. 377.

ANGERONALIA quo die, & menſe agitata. 327. Unde dicta, & an ante Romam conditam celebrarentur. 328.

ANNÆ Perennæ feſtum in Latio Idibus Martii. 188. Soror Didonis ſubmerſa in flumine Numicio. 188. & 189. Ejus feſti ritus in Latio qui. 189. & 190. Ædes ſacra non longe ab Aricia. 190.

ANNÆ Bovillanæ Romæ feſtum agitatum in pratis Campi Martii. 189. & 129.

ANNI initium in Latio. 178.

ANNUS Latinorum qui. 164. & 165. Lavinienſium, Albanorum, Ferentinorum, & Romanorum qui. 164. & 165. Arcadum qui. *ibid.* Albanorum an Lunaris, vel civilis. 165. Conſtitutus à Romulo, & Numa qui. *ibid.* An probatus à Latinis. 166. Aricinorum, Laurentum, & Tuſculanorum qui. 166. Conſtitutus à Cæſare qui. *ibid.* Ægyptiorum qui. 165.

ANTENORIS ſepulchrum in Circæiis. *pag.* 98.

ANTIUM Urbs antiqui Latii, & Albanorum Colonia. 24. Ibi ædes Veneris virilis, & armatæ. 200. Ludi ſolemnes quo die agitati. 221. Ludi ſacri Fortunis Antiatibus, Antii quo die celebrati. 221. & 222.

ANTIATES quotannis Ulyſſi, & Antiæ ſacrificabant. 401.

ANTONA Nympha Tiberina auctrix Anto-

Antoniæ gentis in Deorum faſtos relata. 377.
Antoninus Philoſophus Imperator tertio die nomina Infantibus poni juſſit. 160.
Apollinaris ludi Antii exhibiti. 221.
Apollo dictus Sol, & Phœbus. 259. Ejus ſacra quo menſe à Latinis celebrarentur. 258.& 259. Deus tutelaris Laurenti. *ibid.* Lucus ei ſacer Laurenti erat. 259. & 260.
Apollonius Tyanæus ab Adriano Principe cultus. 290. A Caracalla heroico monumento honoratus. *ibid.* Ab Epheſiis Herculis Alexiaci cognomento ſacris honoratus. *ibid.*
Aphrodysium Templum Veneris inter Ardeam, & Antium. 94. & 95.
Aprilis menſis erat Latinis priuſquam Roma conderetur. 168. & 169. Unde dictus. *ibid.* Veneri dicatus, & cur. 169. 170. 174. 198.
Ara maxima ab Evandro Herculi ſacrata. 101. An fœminæ ibidem poſſent ſacra facere. *ibid.*
Arcades Latii accolæ. 2. A Palantio Urbe Arcadiæ, duce Evandro in Latium appulerunt. 3. Eorum Coloniæ in Latium ab Evandro deductæ. 3. Primi in Italiam uſum Græcarum literarum tranſvexerunt. 4. Primi in Italiam detulerunt inſtrumenta muſica, lyram, trigona, & lydos. 4.& 140. Totius Reipublicæ adminiſtrationem muſica moderabantur. 140. Item & primi leges tulerunt. 4. Tenebant januas intus, non foris. 5. Dicti Proſelenes, hoc eſt Antelunares. 68. Lunulas geſtabant. 67. & 68. Ab Oenotrio Licaonis filio primum in Italiam ducti. 3. Panem crediderunt eumdem ac Solem. 30. Mulieres quanto tempore viros lugerent. 111. In Latium invexerunt morem in conviviis canendi ad tibias Deorum laudes. 140. Nonnulli tamen putant id inſtituiſſe Trojanos. 141. In Latium invexerunt cultum matris Matutæ. 155. Nymphis prata, & loca virentia, maritimis vero Numinibus littora, & inſulas in Latio dedicarunt. 155. Matri Matutæ Templum Satrici dicarunt. 156. Eorum annus qui. 165. & 169.
Ardeæ forum. 65. Naſcionis, ſeu Nationis Deæ. 143. & 149. Ædes, & lucus Pilumni, & Picumni. 143. & 144. A quo condita. 145. In ea ædes Juturnæ. 347. & ſequentibus. *Vide* Juturna. Ædes Laræ, ſeu Larundæ. 348. & 350. Ædes ſacra Veniliæ Turni matri. 376. & 377. *Vide* Venilia.
Ardeates Pilumni, & Picumni feſta quotannis celebrabant. 397. Colebant etiam Danaen Pilumni uxorem. 398. Et Turnum. *ibid.*
Argei hoc eſt ſimulacra hominum Sirpea quotannis in Tiberim à Latinis præcipitata. 228. & 229. Eorum ſacrorum ritus narratur. 228.
Ariciæ ædes Egeriæ Deæ. 145. uſque ad 152. Ædes Dianæ. 149. 153. & 154. Nemus Artimiſium dictum. 152. Ædes Annæ Perennæ. 190. Sacra quæ, & quo

die agitarentur. 268. *Vide* Diana. Sacra Hippolyto, ſeu Virbio. 380. *Vide* Hippolytus. Ædicula etiam Oreſtis, & Iphigeniæ. *ibidem*. Condita ab Archiloco Siculorum Duce. 383. Ibi ædes Æſculapii, & Hygiæ. 404. & 405.

Aricinorum leges referuntur. 105. Annus qui. 166. Faſti qui. *ibidem*.

Armata dicebatur Veſtalis virgo ſacrificans. 104.

Armilustrium quo die, & menſe celebratum. 295. Ejus feſti origo, ritus, & cauſa narratur. 296. & 297.

Artimisium hoc eſt nemus Dianæ Aricinæ. 152.

Ascanius cultus à Latinis cognomento Jobi, vel Jovis filii. 41. Filius Æneæ, & Creuſæ prius Euriellon dictus, dein Aſcanius. 49. Jovis filius, dein Jobus, inde Julus appellatus. 50. Mortuo Ænea Latinorum Regno potitur. *ibid.* In pugna contra Mezentium vinum ex omni vindemia Jovi palàm conſecravit. *ibid.* Et diem hunc ſolemnem Latinis fecit. *ibid.* Annis 30. poſt Lavinium conditum Albam conſtruxit. 51. Albam tranſtulit Lavinienſes, & Latinos. 52. An vero ibidem tranſtulerit Deos Penates. *Vide* Penates. Ejus filii Julius, & Aimilius. 52. Primus Albæ Trojam luſit. 162. Ejus feſta quotannis in Latio agitata. 377.

Assyratum genus poculi ex vino, & ſanguine compoſitum. 139. & 140.

Assyr idem & ſanguis apud Latinos. *ibidem*.

Atia gens ab Atio Æneæ Comite. 46.

Atilia gens ab Atio Æneæ Comite. *ibidem*.

Aventinus Rex Albanorum, à quo unus ex ſeptem Collibus Urbis Romæ. 54. ad 57. Aventino monti nomen dedit. 248. & 249. Conſecratus à Latinis, & in Aventino cultus. *ibid.* In Aventino plures ædes Deorum à priſcis Latinis conſtructæ. *ibid.* In Latio ſacris honoratus quotannis. 377.

Averruncus Deus Latinorum qui. 403.

Augustus, qui etiam ſextilis menſis Cereri dicatus. 174.

Augustus in Latio cultus. 264. Ei ſacra facta diebus quibus ille natus eſt, & Pater Patriæ conclamatus. 264. & ſeqq. Statuit ne imberbes inter Lupercos nudi per Urbem curſitarent. 365.

Aurunci primi antiqui Latii coloni. 7.

B

Bacchanalia quo tempore celebrata. 304. Eorum ritus. 305. Latinis vetuſtiſſima. *ibid.* Perpetuò Senatus conſulto vetita quæ, & quo ritu fierent. *ibidem*, & 306.

Bellum ultimum inter Latinos, & Romanos. 85.

Bellonæ ſacra quo die in Latio agitata. 236, & ſeqq. Ejus ædem Appius Claudius vovit bello Etruſco. 336. & 337. Fuit Martis uxor, aut ſoror. 237. Ejus cultus vetuſtiſſimus in Latio. *ibid.* & ſeq. Eum cultum in Latium inve-

invexit Oreſtes. 237. & 238. Quo ritu ejus ſacra facta. 239.

Bellonarii Sacerdotes Bellonæ proprio ſanguine Deæ litabant. 240.

Beluentinus Deus Cruſtuminorum. 400.

Bonæ Deæ Templum Bovillis frequentatum à Latinis virginibus. 118. Culta à parturientibus. 145. & 149. Eadem, & Fauna, & Fatua. *ibid.* 32. & 314. Parturientium præſes, & cur. 156. & 157. Eadem, & Maja. *ibid.* 177. & 216. *Vide* Maja. Eadem peculiare numen Africæ. 313. & 314. Quare Bona ſic appellata. *ibid.* Ei fœminæ ſolum ſacrificabant non viri. 315.

C

Caca ſoror Caci à Latinis ſacris honorata, & virginibus qui ignem cuſtodirent. 378.

Cæculus Vulcani filius. 277. Præneſtinæ Urbis fundator. *ibidem*. A Præneſtinis ſacris honoratus. 399. & 400.

Cæna nuptialis quæ, & quo die fieret in Latio. 126. In hac cæna muſtacea dabantur. *ibid.* Ejuſdem miniſtri notantur. *ibid.* Et Feſcennina carmina in illa decantata. 126. & 127. Latinorum quæ. 138. Eorum ritus in Latio. 139. & ſeqq. In Cænis Latini quę offerrent Diis. 139. & ſeqq.

Cænacula Latinorum unde dicta. 134.

Cæninenſium Numina quæ. 400.

Calendæ Junoni ſacræ Laurenti. 173. & 181. Earum nomen à Latinis in Romanos propagatum. 181. & 182. Unde dictæ. *ibid.* & 308.

Calendæ Martii Veſtæ ſacræ. 185. Iiſdem Latinæ matronæ Marti, & Junoni ſacrificabant. 185. & 186. Iiſdem in Latio quæ fierent. 186. & ſeqq.

Calendæ Aprilis Veneri ſacræ. 198. Iiſdem Veneri per Magiſtratum Latinarum Urbium ſacra Lavinii facta. 199.

Calendæ Fabariæ quæ, & qua de cauſa dictæ. 235.

Calendæ omnes à Laurentibus Junoni ſacratæ. 235.

Caligulæ repudium. 137.

Calix quid. 142.

Calpar quid, & unde dictum. 210. & 213.

Cameses regnavit in Latio una cum Jano. 21. & 22. Et idem ac Saturnus. *ibid.*

Campanis fuit conceſſum, ut Romanas liceret ducere uxores. 112.

Canentes Pici uxor poſt conſecrationem Pomona dicta. 284.

Capuæ conditor quis fuerit. 62. & ſeq. Fuit Capys. 62. Unde dicta. 63. & 64.

Carmenta mater Evandri à Græcis Themin dicta. 3. & 34. Dicta etiam Nicoſtrata. *ibid.* Porrima, & Poſtuerta dicta. *ibid.* & 344. Ei Latini, & Romani quotannis ſacrificabant. 34. Ejus ſacra Carmentalia quo menſe, & die agitarentur. 340. Ejus Templum Romæ qua ætate conditum. 341. Ejus feſta bis Romæ quotannis celebrata. *ibid.* Prima Evandro ſacrata, ſecunda Carmentæ. *ibid.* Ejus Ara prope Carmentalē portam

tam

tam. *ibid.* Ei quotannis ſacra facta à matronis. 342. Ei ædem matronæ Romæ condiderunt. 341. & 343. Credita Fatum infantium. 344. Ejus ſacrorum ritus. *ibid.* An eadem, & Sibylla Tiburtina. *ibid.* & 345. Ejus cineres apud ejus aram. *ibid.* Literas in Latium invexit. *ibid.*

Carmentale ſaxum inter Carmentalem portam, & Capitolium. *ibidem*.

Carna uxor Jani quæ eadem ac Cardea, & Cardinea. 25. Ejus Sacellum in Cœlio monte ab Albanis conditum. 31. Jani uxor infantibus præerat. 146. & 236. Credebatur pellere à domibus ſtriges. 140. 146. & 147. Ejus Sacerdos liberat Procam Latinorum Regem à ſtrigibus. 146. & ſeqq. Ei quibus hoſtijs litarent Latini. 148. Ejus ſacra quo die facta. 236.

Carnes an comederent Latini. 129. & 130.

Cartibulum quid. 141. & 142.

Caseus dictus à coacto lacte. 127.

Castor, & Pollux Latino bello viſi ſunt apud Juturnæ lacum. 346. Eorum ædes apud lacum Juturnæ in Latio poſita. *ibid.* & 347. Eorum feſta à Laconibus in Latium invecta. 402. & 403. A Latinis ante Æneæ adventum ſacris honorati. *ibid.* In Latio Samothraces Dii, & Dii magni dicti. *ibid.* & 404. Tempeſtatibus præſidebant. *ibidem*.

Charistia quo menſe, & die celebrata, & à quo inſtituta. 372.

Cerealia in honorem Cereris à Latinis in Romanos propagata. 206.

Cereris ſacra Latinis vetuſtiſſima. 206. Ei ſextilis menſis ſacratus. 264. Ejus ſacra ab Arcadibus in Latium invecta. *ibid.* Eidem primitias frugum, mulſum, & lac offerebant. *ibid.* Ante novas fruges ſpicas ei libabant. 284. Paganalibus dicta Empanda. 357.

Cæsar ſacris, & flamine honoratus. 245.

Cybelis feſtum in Latio vetuſtiſſimum. 201. A Trojanis, & Phrygibus culta. 201. Eadem ac Opis & Rhea. 202. Dicta Idea in Ida monte Phrygiæ maximè culta. 201. Quo ritu ei ſacrificaretur. 203. Eadem, & Maja, Bona Dea, Terra, Fauna, & Fatua. 202. & ſeq. Ejus ſacra Romam advecta ſecundo bello Punico. 203. Ludi ei ſacri qui. 204.

Cingulum ex lana avis cur ſponſa geſtaret. 125.

Circes à Circenſibus in Dearum faſtos relata. 400. Ejus Templum Circæiis Latinis commune. 98. Ubi oſtendebatur poculum, & Remus Ulyſſis. *ibid.*

Circuli qui. 128.

Civitas Romana an data Latinis populis. 113. & ſeqq.

Claudius Imperator uxorem duxit Agrippinam fratris filiam. 107. Indulſit ut Latini Cives Romani eſſent. 116.

Clena quid, & eadem ac Lena. 66. *Vide* Lenæ.

Clypeus ab Ænea ſacratus apud Samothraces. 200.

Cluentia familia à Cleantho Æneę comite. 45.

Cluilia, ſeu Cloelia gens Romana à Cluilio Æneæ comite. 46.

Clui-

y Google

Cluilius fuit primus Dictator Latinorum, 70. 71. & 77.
Collatina quæ collibus præerat à Collatinis Latii populis culta. 375. & 400.
Coloniæ deductæ ab Albanis in antiquo Latio regnante Latino Silvio, 11. Enumerantur. 64.
Compitalia ſacra quo die facta.217. Eorum ritus deſcribitur. 217. uſque ad 221. Laribus, & Maniæ Deæ matri Larum erant dicata. 218. & 219. Bis in anno agitabantur, 217. & 218. Ea intercepta, L.Piſo reſtauravit. 217.
Concilia Latinorum in Albano, ſeu luco Ferentinæ numerantur. 76. & 77. Ad ea qui populi convenirent. 80.
Connubiorum Jura, quæ ſolebant Romani concedere, quibus populis data. 112.
Consecratio Regum, & Reginarum Latinis priſcis familiaris fuit. 157. & 172.
Consualia quo die, & menſe celebrata. 270. & 271. Erant in honorem Conſi, ſeu Neptuni Equeſtris. *ibid.* Ea Arcades Evandro duce primum in Latio inſtituerunt, *ibidem*. & 272. Eorum die equi, & muli coronabantur floribus. 271. & 275. Qui ludi iis celebrati. 270. & 275.
Consi Ara ſub terra occulta. *ibid.* *Vide* Neptunus.
Convivia Latinorum quæ. 138.
Cora Urbs Latii à quo condita. 10. Filius Coræ conditor ſacris ibidem honoratus. 396. Coloniam Albanorum deduxit Silvius Rex, 397.
Corybantes Sacerdotes CybelisLatii priſci loca tenuerunt. 6. Qui, & an Latium incoluerint. 201. Quo ritu ſacrificarent. 202. & 203. Megalenſes ludi in honorem Cybelis. 204.
Crustulum pultis quid. 123. & 128.
Crustumerium à quo conditum, & unde dictum. 400.
Crustumini BelventinumDeum colebant. *ibid.*
Cunina Dea infantium præſes. 149.

D

Damium ſacrificium in honorem Majæ, ſeu Bonæ Deæ. 216.
Danae Pilumni uxor Ardeæ ſacris honorata. 398. Fortaſſe ſub nomine Nationis Deæ. 399.
Daunus Ardeatium, & Rutulorum parens. 397. & ſeq.
December Saturno, non Veſtæ dicatus. 174. & 175.
Decimatrus decimus dies poſt idus. 183. & 184.
Depesta quid. 141.
Dianæ Templum à Latinis in Aventino conſtructum, & Latino, ac Romano nomini commune, 78. Et hoc fuit primum Templum Dianæ Romæ ædificatum. 179.
Dianæ ædes Tuſculi Latinis communis. 99. Prope Templum erat lucus Deæ ſacer. *ibid.* Templum in Aventino, & feriæ pro Latino nomine à Tullo Hoſtilio inſtitutæ. 100.
Dianæ Aricinæ ſimulacrum à quo poſitum. 150. Illius Nemus. 152. Feſtum. 153.
Diana Nemorenſis apud Latinos Dea parturientium. 149. 153. &
Diana eadem & Juno Lucina. 152.

A par-

A parturientibus ter invocata. *ibid.* Ejus ſimulacrum ab Oreſte in nemus Aricinum faſce lignorum involutum invectum. 153. & 238. Aricina dicta Faſcelis. 153.& 154. Eadem ac Luna.154. & 389. Ea & Juno diſtincta Numina Latinorum. 159. Ejus ſacra quæ. 239. & ſequent. Idibus Sextilibus. 268. In ejus ſacris Latinæ, & Romanæ fœminæ ardentes faces in Aricinum nemus ferebant. *ibidem*. Eadem in Aventino quo die Latini agitarent. 268. & 269. Lucum, & ædem quis ſacraverit.381.& 382. Ejus Sacerdotes, ſervi, & quomodo Sacerdotium obtinerent. 385. Sacra eadem ac illa Dianæ Tauricæ. 386. Quo ritu agitarentur, & quæ hoſtiæ mactarentur. 387. Ejus Sacerdos Rex Aricinus dictus erat hoſtia. 387.

DICTATURA apud Latinos erat Magiſtratus annuus. 70.

DICTATORES Latinorum quam poteſtatem haberent. 70. A Romanis miſſi, ut regerent Latinas Urbes. 87.

DICTATOR Latinorum primus fuit Cluilius. 70. & 71. Poſt mortem Cluilii fuit Metius Fufetius. *ibid.* An eligeretur ab Albano Senatu, an etiam à populo, & cæteris Urbibus Latii. 71.

DIES quomodo diviſus in partes à Latinis. 180. Dies dicati Diis Manibus atri. 184.

DIES feſti menſis Martii Latinorum enunciantur. 185.& ſeq.

DIEBUS atris quæ facere non licebat. 184.

DIESPITER qui. 182. & 183.

DIFFAREATIO quid. 108. Ea diſſolvebatur in Latio matrimonium. *ibidem*.

DII dicti à die. 183.

DIIS Manibus dies dicati. 184.

DILUCULUM apud Latinos quid. 180.

DYNA Evandri filia,& Herculis ſcortum ex quo Palantem peperit.34.

DIOMEDES an Lanuvii ſacris honoratus. 401.

DITI patri ſacra facta Oſcillis ad humanam effigiem arte ſimulatis. 230.

DITIS ſacra menſe Octobris agitata. 285. Ea ſacra Pelaſgi in Latium invexerunt. *ibid.*

DIVALIA quæ. *Vide* ANGERONALIA.

DIVORTIA apud Latinos antequam Roma conderetur in uſu erant. 108. Quibus ex cauſis in Latio facta. 108. & 109.

DIVORTIORUM cauſæ quæ Romæ, & in Latio. 109. & 110.

DOMITIANUS Imperator violavit fontes Egeriæ. 150. In Albano inſtituit Sacerdotium, & Minervæ Collegium. 195.

E

EDUCA Dea infantium præſes. 149.

EGERIA Dea apud Latinos prægnantium mulierum præſes. 149.uſque ad 152. Unde dicta, & cur parturientium præſes facta. 149. & 150. Dianæ miniſtram Latini putabant. 150. Ejus ædes Ariciæ. 149. & ſeqq. Fons, & aquæ luſtrales parturientium. 150. Violatæ à Domitiano. *ibidem*. Veſtales purgabantur aqua Egeriæ fontis ex lege Numæ. *ibid.*

Ejus

Ejus lucus Ariciæ. 151. Equis inacceſſus. 151. & 152. A Latinis culta in antro unde manabat Egeriæ fons. 151.

Epulæ Latinorum quæ, & earum ritus. 134. 135. & ſeqq.

Epulones Sacerdotes qui indicebant epulas Jovi, aliiſque Diis, in Latio vetuſtiſſimi. 309. & 310.

Epulum ſacrum à Latinis inſtitutum in honorem Deorum. 307. Die feſto Latini Regis in Ferentinæ luco exhibitum. *ibid.* Itidem feriis Latinis. *ibid.* Ejus ſolemnia referuntur. 309. Illud Arcades, ſeu Pelaſgi inſtituerunt. 309. Singulis Idibus à Latinis exhibitum. *ibidem*.

Equiria ſacra, quæ & unde dicta. 205. Et quæ eorum ſolemnitas. 205. & 206.

Equus October dictus Marti immolatus Idibus Octobris. 292. & 293. Ejus feſti ritus 293. Qua de cauſa inſtitutus. 293. 294. & 295.

Equi Trojani hiſtoria fuſius refertur. 294. & 295.

Evander deduxit Coloniam Arcadum in Latium. 3. Filius Mercurii, & Themis ſeu Carmentæ. *ibid.* Exceptus hoſpitio à Fauno Aboriginum Rege. 4. Filius Mercurii Herculem hoſpitio excepit. 28. Invexit in Latium cultum Panis Arcadum Dei. 30. Et Pani Templum in Palatino conſtruxit. *ibid.* Regnante Fauno in Latium venit. 33. In Colle Palatino condidit Oppidum. *ibidem*. Conſtruxit Templum in Latio Numinibus Arcadum. *ibid.* Græcarum literarum uſum in Latium tranſvexit. *ibid.* & 345. Et primus omnium ad excolendam terram in Latio boves junxit. *ibid.* Ei Latini, & Romani quotannis ſacrificabant. 34. Latinis imperavit Fauno etiam vivente. 34. An fuerit Rex univerſi Latii, vel tantum Regulus alicujus partis. *ibid.* Excepit Herculem in Latio ex Hiſpania redeuntem. 35. Coloniæ ab Hercule ex Hiſpania ſecum ductæ dedit agrum ubi nunc Capitolinus mons. 35. Ejus in Latium appulſus an fabuloſus. 35. Ejus Templum Romæ ad Trigeminam commune Latinis, Romaniſque. 100. Dedit leges Latinis populis. 101. Auctor actionis noxalis. *ibidem*. Herculi ſacravit Aram maximam *ibid.* An ibidem fœminæ poſſent ſacra facere. *ibid.* Matris Matutæ cultum in Latium invexit. 155. Et Panis Arcadum Dei. 317. Idem Faunum Latinorum Regem conſecravit. *ibid.* Ei Carmentalia feſta ſacrata. 341. Ejus Ara prope Trigeminam portam. 342. Eidem quotannis ſacra facta à Pontificibus. *ibid.* Vivens à Latinis divinis honoribus cultus. *ibidem*, & 343. Parricida. 344. Ejus cineres apud ejus aram. 345. Filius Mercurii. *ibidem*.

F

Fabiæ, ſeu Faulæ, aut Foviæ Deæ feſta in Latio celebrata, & quo die. 375.

Fabiorum familia unde originem traxerit. 375. & 376.

Fabulinus Deus infantium præſes. 149.

Faces nuptiales quæ apud Latinos. 122. An raperentur, & cur. *ibid.*

Fæcialium origo exponitur. 77. & 78. Collegium in Latio priuſquam Roma conderetur. 238. 239. & ſeqq. Cæremoniæ antequam bellum indiceretur. 238. & 239.

Fæderis pacta inter Latinos, & Tullum Hoſtilium inciſa in ærea Columna in æde Dianæ. 79. Leges inter Sabinos, Latinos, & Romanos quæ. 163. & 164.

Fædus ictum inter Æneam, & Latinum. 39. Renovatum inter Latinos, & Romanos. 81. & 82. Et quæ fæderis leges. *ibid.*

Fæminæ in Latio non erant excluſæ à ſucceſſione Regni. 102. Natis parentes nomen imponebãt octavo die. 160. Illiſque duo nomina tantum imponebantur, maſculis vero tria. *ibid.*

Faleriis Jani Quadrifrontis imago. 333.

Fana dicta à Fauno Pici filio. 28.

Fascinus Deus à Veſtalibus cultus. 159.

Fasti Præneſtini qui. 166. Aricinorum, Laurentinorum, & Tuſculanorum qui. 166.

Faula auctrix Fabiæ gentis. 376. Ejus ædes ſacra ſub monte Albano. 376.

Fauna, ſeu Fatua ſoror, & uxor Fauni ab eo conſecrata. 32. & 33. Mulieribus oracula dabat, ſicut Faunus viris. 32. Eadem ac Bona Dea. *ibid.* A viro ſuo myrtheis virgis uſque ad mortem cæſa, *ibidem*, In ejus ædem vinum inferre non licebat, & de ratione. *ibidem*. Neque maſculis ingredi. *ibidem*. Immo picturæ maſculæ arcebantur. *ibidem*. *Vide* Bona Dea.

Faunus Aboriginum Rex excepit hoſpitio Evandrum. 4. Cultus à Latinis, & Romanis. *ibid.* A Latinis dictus Inuus, Silvanus, & Pan. 11. Idem & Pan, ac Silvanus. 23. Illi & Pico antrum à Numa in Aventino ſacratum. 27. Pici filius. 27. & ſeq. Pico patri, & Saturno avo loca, & lucos dicavit. *ibid.* Cur dictus Martis filius. *ibid.* Latini à Fauno Faunii dicti. 28. Ejus cultus in Latio. *ibid.* Latinorum Deus. 28. & 29. Dictus à Fando. 29. Futura præcinebat verſibus Saturniis. 29. Ejus oraculum Laurenti. 212. Idem ac Fatuus, Inuus, Silvanus, & Pan. 29. & 31. Ejus lucus ſacer ubi Oleaſter erat, cui nautæ affigebant donaria. 29. & 314. Omnium agreſtium Numinum parens. 31. Ejus Templum in agro Laurenti frequentatum à virginibus nupturis. 119. Eum vexare pueros Latini opinabantur. *ibid.* Infantium præſes. 148. & 149. Sub cognomento Jovis à Tuſculanis cultus. 171. & 177. Ejus Templum in agro Laurenti Inui Caſtrum dictum, & qui illud locarunt in Tiburtino confutantur. 28. 30. & 312. Ejuſdem ædes ſacra in Cœlio monte ab Albanis condita. 31. Faunalia in honorem Fauni Regis Latinorum nonis Decembris agitata. 311. Ejus feſti ritus. *ibid.* Ejus Sacerdotes

Digitized by Google

dotes Faunii dicti. *ibid.* & 312. Oracula reddebant verſibus Saturniis. *ibid.* Idem primum in Latio Saturno avo, & Pico patri ſacra inſtituit. 313. 317. & 322. Primum lucos ſacros, & Fana dicavit. 313. Præcipuus agreſtium Deus, & Silvicola, & in ſilvis fari creditus. 314. Ei viri ſolum ſacrificabant non mulieres. 315. Fauno, & Silvano Picumni, & Martis cognomentum inditum eſt. 317. Ab Arcadibus conſecratus, & Pan dictus. 317. Editus ex nefario Valerii Tuſculani inceſtu. 318. Ejus oracula conſulendi ritus refertur. 319. & 320.

Februarius Februo Deo non autem Neptuno dicatus. 174. Num eſſet in faſtis Latinorum relatus ante Numam. 174. & ſeq. & 177. & 178. Unde dictus. 176. & 177. Eo Latini purgationibus utebantur, & mortuis parentabant. 177. & 178. A pluribus Latii populis in faſtos relatus. 358. Dicatus Februo Sabinorum Deo. *ibid.* Eo menſe luſtrabant populum, & Urbem. 360. *Vide* Lupercalia.

Februus Deus qui. 176. 177. & 178.

Feralia quo die, & menſe agitata. 367. Eorum inſtitutor qui. *ibid.* Et qui ritus. 368. & 369. Unde dicta. *ibid.*

Feralibus ſacra facta Deæ Mutæ. 370. Et quibus cæremoniis. *ibid.*

Ferentini conciliis ſub monte Albano, qui Latinorum populi adfuerint. 13.

Ferentinæ lucus erat ſacer Latino Regi cognomento Jovis Latialis à Latinis culto. 72. Ibi erat fons Latino ſacer. 75. In ejus forum quo die convenirent Latini. 75. Ejuſdem lucus, & Albanus mons aſſeritur idem locus conciliorum Latinæ gentis. 76.

Ferentinorum annus qui. 164. & 165.

Feretrius Juppiter unde dictus. 74.

Feriæ in honorem Latini Regis inſtitutæ. 73. Latiales dictæ, ubi oſcillis ludebant in honorem Latini. *ibid.* Oſcillorum ludus qui. 72. & 73. Dictæ à victimis Numini feriendis. 73. & 74. Quibus, & quot diebus celebrarentur. 75. & 76. Die conſecrationis ædis Dianæ in Aventino. 100.

Ferentarii milites unde dicti. 74.

Feroniæ ædes apud Faliſcos ſub Soracte monte Sabinis, & Latinis communis. 99. Mos dictæ Deæ ſacrificandi. *ibidem*. Ejus Templum à Laconibus in Latium appulſis Lycurgi ætate, ibidem conſtructum. 99. Ejus ædes in Pometino agro. 99.

Fescennina carmina decantata in cœnis nuptialibus. 126. & 127.

Festi dies indicti quovis menſe à Sacerdotibus. 214.

Fides Dea menſe Sextili culta. 266. A Phrygibus in Latium invecta. *ibid.* Ejus ædes ante Romam conditam in Palatino colle poſita. *ibidem.* Ejus Templum vetuſtate collapſum Atilius Calatinus reſtauravit. *ibid.* Fœderibus præerat. 267. Ejus in ſacris qui ritus ſervarentur. *ibid.*

Fidius Deus ſacris quo die cultus. 241. Idem ac Sancus. *ibidem*. Et Semon. *ibidem*. A Romanis dictus Juppiter Piſtius. *ibidem*.

Digitized by Google

Ejus ædes quare perforata. 241. & 242. Dictus etiam Medius Fidius, & cur. 242. Idem & Hercules. *ibid.* Dictus etiam ſanctus. *ibidem*. Idem, & Medius Fidius apud Romanos jusjurandum fuiſſe dicitur. 242. Apud Latinos Fidei præerat. *ibid. Vide* Semon, & Sancus.

Filii an in Latio mulctati ob delictum parentum. 104. Eorum educatio apud Latinos qualis. 159. & ſeqq.

Flamines, eorumque inſignia Æneas in Latium tranſvexit. 302. Cur caput velarent cum rem divinam facerent. *ibid.* & 303.

Flamen Lucularis Laurenti, cuſtos luculorum ſacrorum Pici, & Fauni. 314.

Flumina illuſtria in Latio quæ. 16.

Fontinalia quo die, & menſe celebrarentur. 291. Unde dicta, à quibus inſtituta, & eorum ritus refertur. 292.

Fortunis Antiatibus Ludi ſacri Antii quo die facti. 221. & 222.

Fortunæ Præneſtinæ ædes à quo condita. 235. Feſtum quo die agitatum. 232. Ludi in ejus honorem ſeptem diebus acti. 235.

Fovii unde dicti. 375.

Furinalia quo die celebrata. 254. Unde dicta. *ibid.*

Furina vindex ſcelerum à Latinis in Deorum faſtos relata. *ibid.*

G

Gabiis erant ludi quibus Latini græcis diſciplinis, muſica, tractandiſque armis inſtruerentur. 141. 160. & 161.

Gabini Galacto, & Bio Siculis eorum parentibus ſacra faciebant. 400.

Gallinicium apud Latinos quid. 180.

Gigania gens Romana à Gia Comite Æneæ. 45.

Gladiatores dicti Buſtuarii à Buſtis. 227. Idem Servi, aut captivi in funere virorum illuſtrium mactati. *ibid.* Eorum ſpectacula in Latio prius quam Roma conderetur. *ibid.* Ea Romæ quinam primum exhibuerint. *ibid.*

Glaucus Minois filius à Labicanis cultus. 379.

Globi in oleo cocti quid. 128.

Guttum quid. 142.

Gutturnium quid. *ibid.*

H

Hercules habitator Latii. 4. Regnante Fauno in Latium venit. 33. Ejus in Latium adventus an fabuloſus. 35. Inſtituit decimam frugum Diis offerri. 101. Nihil vini in calice relinquebat. 139. Ejus poculum, quo utebatur in ſacris in Latio ſervatum. *ibid.* Abolevit in Latio morem mactandi Saturno pueros. 230. Dictus Medius Fidius, & cur. 242. & 243. Eidem Euandri ætate paſſim in Latio templa dicata. 397. In ejus ædem nec muſcæ, nec canes introibant. 402. Ejus Aram maximam in Foro Boario Evander condidit. *ibidem*.

Hippolytus ab equis diſcerptus, & ab Æſculapio ſanatus. 105. Poſuit ſimulacrum Dianæ Aricinæ, *ibid.*

ibid. Idem cognomento Virbii in Aricino ſacris honoratus. 380. & 381. Ejus ædes ſacra in Aricino. *ibidem*. In ea æde virgines ante nuptias ſuccifum ſibi capillum conſecrabant. *ibid.* Virbius dictus, quaſi bis vir. 381. Sacravit Dianæ Aricinæ lucum, & ædem. 382. Eidem aſſignatus Flamen Virbialis dictus. 384. Et feſtæ ſolemnitatis quotannis. *ibid.*

HONORIS feſtum quotannis in Latio agitatum. 406. Ejus ſacrorum ritus refertur. *ibid.*

HOSPITALITAS apud Tiburtes inviolabilis. 105. Ita ut Tiburtes quem ſemel hoſpitio ſuſceperant accuſare ex lege nequibant. *ibid.*

HYGIA filia Æſculapii feſtis ſolemnitatibus in Latio honorata. 404. & 405.

I

JANITOR quid, & ejus officium 126.

JANUARIUS ante Numam, an eſſet relatus in Faſtos Latinorum. 174. & ſeqq. Non Junoni, ſed Jano dicatus. 174. & 175.

JANUS primùm Latium incoluit. 21. Ejus origo. *ibid.* regnauit in Latio una cum Cameſe, qui idem ac Saturnus. 21. & 22. Idem ac Apollo, & Sol apud quoſdam 23. An primus in Latio Diis Templa, aras, pomœria, & ritus ſacrorum inſtituerit. 24. & 25. Aboriginum Legiſlator. 101. Dictus Junonius. 181.

JANI Bifrontis ædes Laurenti, & Albæ ante Romam conditam. 329. & 331. Ejuſdem cultum Romani à Latinis acceperunt. 330. & 331. Itidem morem ædem Jani pacis tempore claudendi, & bello ingruente aperiendi. *ibid.* Poſt Saturni in Latium appulſum æra ſignavit. 331. Ei ædes Romæ à quo condita. 330.

JANI Quadrifrontis imago Faleriis captis Romam traducta. 333. Janus fæderibus præerat. *ibid.* In indigitamentis, & à Saliis pater, & Deorum Deus dictus. 334. Januarum, & viarum cuſtos, & anni moderator. *ibid.* Cur Latini primitias omnium ſacrorum ei offerrent. 335. Ejus nomina quæ. *ibid.* Ei quomodo litatum. 337. In ejus feſto Latini invicem ſibi munera miſſitabant. *ibid.* Ei Agonalia ſacrata. 339.

JANUAL quid eſſet. *ibid.*

IDUS in Latio ſacratæ Jovi. 181. & 182. Unde dictæ. 182. 183. & 308.

IDULIS dicta ovis Alba omnibus Idibus Jovi mactata. 183.

INDIGETES Dii qui. 244. & 245.

INFANTIUM Numina in Latio numerantur. 144. 154. & 155. Eorum expiatio quæ. 161. Iis quo die nomen imponeretur. 160. Et quo ritu. 161. Deformes, & monſtruoſi in Latio exponebantur. *ibid.*

INON, & mater Matuta eadem. 154.

INUI Caſtrum conditum ab Albanis Regibus in honorem Fauni. 11.

INUUS idem ac Incubus, Faunus, & Fatuus. 29. Cur ita dictus. *ibid.* Cætera *Vide* FAUNUS.

IPHIGENIA ab Aricinis ſacris honorata. 380. & 381.

ITALIA dicta Oenotria ab Oenotrio Licaonis filio. 3.

Itali dicti ab Italo eorum Rege. 3. Dicti Morgetes à Morgete eorum Rege. 3.

Italus Rex Siculorum in Latio ſacris honoratus. 378.

Jugatius Deus jugis montium præerat. 375.

Jugum Junonis Jugalis, quod ſubibant ſponſi quid. 120. & 121.

Julia gens Julum ſuæ familiæ auctorem jactabat. 49. A Julo uſque ad Reipublicæ excidium Albæ Sacerdotium tenuit. 53. & 59.

Julius poſt mortem Aſcanii patris Albæ ſummi Sacerdotii honorem aſſequutus eſt. 53. & 59.

Julius Cæſar Ædem ſacravit Veneri genitrici. 93. Annum duodecim menſium conſtituit. 166.

Julius, ideſt Quintilis menſis, Jovi dicatus. 174.

Junia gens à Junio comite Æneæ. 46.

Junius menſis à Latinis Junoni dicatus, & Junonius dictus. 172. & 173. Eum Romulus à Latinis accepit. *ibid.* Junoni, non autem Mercurio ſacer. 172. 173. 174. & 235.

Junonis Soſpitæ ædes Lanuvii. 97. A quo condita. 97. & 98. Hoc Templum erat commune Latinis Romaniſque. 97.

Junonis Argolicæ Templum Lanuvii à quo conſtructum. 98.

Juno Lucina eadem & Diana. 152. Parturientium Dea. 158.

Juno Fluonia præſes mulierum fluxu ſanguinis laborantium. 158. Filia Jovis, & Privigna Junonis Lucinæ. 158. & 159.

Juno, & Diana diſtincta Numina Latinorum. *ibid.*

Junonis Calendaris ædes Laurenti. 173. 181. & 235. Calendæ omnes ſacræ Junoni. *ibid.*

Junonis ſacra Calendis Martiis. 185. & 186. Et Juniis. 235.

Junonis Reginæ ædes in Latio. *ibid.* Illi dicatæ Nonæ Caprotinæ. 253.

Juppiter Latialis idem eſt ac Latinus Rex cultus in Albano monte. 41. Ejuſque ædes à Tarquinio condita. *ibid.* Ejus feriæ, & ludi in honorem Latini Regis. 73. & 74. Ei ſacra facta ſanguine humano. 75. Ejus ædes in Albano à quo condita. 79. & 8.

Juppiter, Majus à Tuſculanis dictus. 170. & 171. Lucetius dictus in carminibus Saliaribus. 182. & 183. Apud Oſcos cultus. 258. In iiſdem carminibus & Dieſpiter dictus. *ibid.* Ejus victima ſingulis Idibus quæ. 183. Dies feſtus in Latio Vinalia dictus, & cur. 202. & ſeq. *Vide* Vinalia. Ei Idibus omnibus ſacra facta à Tuſcis. 254. Tres Joves apud antiquos. 256. Ejus Flamen princeps cæterorum Flaminum. 255. Jovis Imperatoris ædes, & ſimulacrum Præneſtæ. 256. & 257. Ejuſdem pueri ſimulacrum Præneſtæ in Templo Fortunæ cultum. *ibid.* Ei Taurus albus mactabatur die triumphi, Idibus vero ovis alba. 255. Jovi Inventori aram Hercules in Palatino ſacravit. *ibid.* Juppiter major Tuſculi cultus unde dictus. 257. Haſtatus à Lavinienſibus ſacris honoratus. *ibid.* Juppiter Lapis qui. 257. & 258.

Juturnæ feſta quo die celebrarentur.

tur. 346. Ejus ædes quo loci ſita eſſet. *ibidem*. In Campo Martio, 348. Fons in Latio apud Numicium amnem. 347. & 348. Et fons, ſeu lacus in Foro Romano apud Templum Veſtæ ab altero diſſimilis probatur, *ibid.* Ejuſdem fontis aqua Albani, & Romani utebantur in omnibus ſacris. 348. & 350.

Juturnalia quo die, & à quibus agitata. 348. Eo die Latini Juturnæ litabant ad petendam aquã pluviam, *ibid.* Juturna ſoror Turni ſubmerſa in lacu, fonti nomen dedit, *ibid.*

Juvenes Latini educabantur apud patruos, & cur. 161.

K

Kalo verbum unde dictum, 214.

L

Labicani Glaucum parentem ſacris honorarunt, 379.

Lacedæmones, ſeu Spartani in Latium morem vino pueros ſtatim natos abluendi invexerunt. 160. Et ſaltationem. 161. & 162.

Lacones, ſeu Lacedæmonii tempore Lycurgi Pometinos Latii agros incoluerunt. 5. Ac ibidem Templum Divæ Feroniæ conſtruxerunt. 5. 6. & 99. Eorum mos in colendo majores natu. 6. Primi tranſtulerunt in Latium ſervitium, & ſervorum conditionem. *ibid.*

Lanificio in Latio Puellæ deditæ. 163.

Lanuvii Templum Junonis Soſpitæ commune Latinis Romaniſque, 97. Conditor qui. 97. & 98. & 401. An ibidem eſſet ædes ſacra Diomedis. *ibid.*

Laribus ſacrata erant Compitalia, 218. & 219. Iidem vicorum ac itinerum Dii. 219. Dii Inferi. *ibid.* & 220. Itidem cuſtodes hominum, & miniſtri Deorum. 219. & 220. Ab Albanis, & Lavinienſibus ſub porcorum figura culti; 220. Iis ſacra facta porca. *ibid.* Grundiles dicti, & ubi culti. *ibid.* Querquetulani qui. 221. Eorum cultus in Latio vetuſtiſſimus. 219. 220. & 221.

Laræ, ſeu Larundæ ædes prope Templum Juturnæ in Ardeatino, 348. & 350. Mater Larium credita. *ibid.* Nympha Tiberina. *ibidem*.

Latini populi qui ex Plinio. 9. Qui ex Livio. 10. Qui ex Dionyſio. *ibid.* Qui ex Alexandro ab Alexandro. 12. Itidem priſci qui propriè dicti. 18. Eorum Reges Murrani dicti. 19. A Fauno Faunii dicti. 28. Senatoribus licebat ingredi Curiam cum ſceptro. 38. Latini dicti à Latino Rege Fauni filio. 40. Ante Latinum, Aborigines dicti. 40. & 41. Coluerunt Æneam cognomento Jovis Indigetis. 41. Et Aſcanium cognomento Jobi, vel Jovis filii. 41. Apud eos jurandi mos vetuſtiſſimus. 54. Quomodo ſe purgarent à crimine. *ibid.* Haſtas pro Marte venerabantur. 69. Poſt mortem Numitoris Reipublicæ formam inſtituerunt. 69. & 70. Eorum

Magi-

Magiſtratus qui. 70. & ſeqq. Eorum Dictatores. *Vide* DICTATOR. Res publicas conſueverunt tractare in Lucis ſacris. 72. Alba everſa, quotannis ad lucum Ferentinæ coibant, ut ibi Dictatores, & Prætores crearent. 71. & 72. Quomodo crearent Prætorem. 73. & 74. Quomodo convenirent in Forum Ferentinæ. 75. Eorum feriæ quibus, & quot diebus celebrarentur. 75. & 76. Tarquinium Superbum Latinæ gentis Principem in Ferentinæ Luco crearunt. 79. Ex Volſcis, & Sabinis conflati. 80. Ad eorum Concilia qui populi convenirent. *ibid.* Bellum cum Romanis. 81. Fœdus inierunt cum Romanis. *ibid.* An poſt ultimum Bellum iterum Concilia in Ferentino celebrarent. 86. & 87. Ad Forum Ferentinæ convenerunt uſque ad extrema Romani Imperii tempora feriarum gratia. 87. Poſt ultimum bellum fœderati, & ſocii populi Romani. 87. Quis illis leges dederit. 101. & ſeqq. Nullum inter Agnationem, & Cognationem diſcrimen faciebant. 102. Apud Latinos fœminæ non excludebantur à ſucceſſione Regni. 102. Capite mulctabant qui taurum necaſſet. 102. & 103. Illis inhibitum ſponſalia cum fugitivis contrahere. 104. Ac fugitivos, & exules in corpus ſuum recipere. *ibid.* Quale eſſet jus patriæ poteſtatis. *ibid.* Nuptiæ quo ritu contractæ. 107. Matrimonia quæ. 106. & 107. Quomodo inter abſentes nuptias contraherent. 107. Divortia. *ibid.* Quibus ex cauſis Divortia facerent. 109. 110. & ſeqq. Quibus menſibus, & diebus matrimonia inire poſſent. 110. Menſe Majo parentabant. *ibid.* Eorum mulieres quomodo ambularent. 103. Quanto tempore lugere deberent viros defunctos. 111. An luctus tempore matrimonia licitè cōtrahere poſſent. *ibid.* Et quas pœnas incurrerent nubentes eo tempore. *ibid.* Devicto Latio Romanorum legibus obnoxii. *ibid.* Iis an data Civitas Romana. 113. 114. & 115. Et quando adempta. *ibid.* Eorum. Civitates fœderatæ Mario, edicto Sullæ Jure Civitatis privatæ. 115. Cives Romani ex edicto Claudii Imperatoris. 116. Virgines nupturæ quæ vota Diis offerrent. 118. Quo ritu, & ordine ducerentur ad domos virorum. 121. & ſeqq. Victus qui. 127. & ſeq. An carnes, & piſces comederent. 128. Mulieres abſtemiæ, & cur. 130. Et quinam eorum potus. *ibid.* Vina, & eorum nomina. 131. Prandia eadem, & cœnæ. *ibidem.* Epulæ quæ, & earum ritus. 134. 135. & ſeqq. Convivia. 138. Epulantes an ſederent, vel in lectis diſcumberent. 134. 135. & ſeqq. Fęminæ epulantes ſedebant. 138. Quæ Diis offerrent cœnantes. 139. & ſeqq. In conviviis pocula, & crateres coronabant. 134. Servabant poculum ligneum, quo Hercules utebatur in ſacris. 139. Gabiis erudiebantur Græcis diſciplinis, muſica, tractandiſque armis. 141. 160. & 161. Menſæ quæ.

quæ. 141. Quem locum exiſtimarent honoratiorem in menſa. 142. Mulieres prægnantes, quæ Diis offerrent. 143. & 149. Parturientium vota quæ. 144. & ſeqq.

LATINIS familiaris erat conſecratio Regum, & Reginarum. 157. & 172. Mortuis conſecratis nomina immutabant. 157. & 172. Infantes vino abluebant qui mos à Spartanis manavit. 160. Juvenes educabant apud patruos. 161. Puellæ deditæ Lanificio. 163. Tempore quo vinum colligebant Libero ſacrificabant. 192. Conventus in æde Veneris Aphrodytis. 199. Et Lavinatis. *ibid.* In æde quoque Circis. 98. Itidem in æde Feroniæ. 99. Et in æde Junonis Soſpitæ. 97. Et in Templo Dianæ Tuſculi. 99. Itidem in æde Evandri Romæ. 100. Atque in æde Veneris Equeſtris Albæ. *ibidem*. Diis libabant muſtum, & vinum. 214. Eorum ſepulchra ubi eſſent. 226. Saturno mactabant puellos. 229. *Vide* SATURNUS. Singulis Idibus Epulas ſacras inſtituerunt. 308. *Vide* EPULUM. Latini, & Albani in ſacris thure non utebantur. 337.

LATINUS Latinorum Rex filius Fauni, ſeu Herculis, Æneam hoſpitio excepit. 7. Cujuſnam filius. 35. & 37. An ortus ex Hercule, & filia Fauni, an potius ex Fauno, & Fatua. 35. 36. & 37. Ejus uxores Marica, Palatia, & Amata. 36. *Vide* MARICA, AMATA, & PALATIA. Cum Ænea fœdus, & amicitiam init. 39. Moritur in conflictu cum Turno. *ibid.* Conſecratio ſub cognomento Jovis Latialis. 41. Idem, ac Juppiter Latialis cultus in Albano monte. 73. & 74. Ejuſque ædes à Tarquinio condita. 37. & 34. Feriæ in ejus honorem inſtitutæ. 73. & 74. Dictæ Latiales ubi Oſcillis ludebant. *ibid.*

LATIUM duplex novum, & vetus. 1. Vetus quale, & quibus finibus circumſcriptum. 2. 14. & 15. Ejus Coloni qui fuerint. 6. & ſeqq. Urbes debellatæ, & à Romanis mulctatæ. 85. & 86. Et Civitas Romana quibus adempta, & quibus confirmata, aut conceſſa. 85.

LATUM clavum veſtimenti genus Albanorum Regum. 66. & 67. Julius Cæſar ſemper lato clavo indutus. 67.

LAVINIA, & Præneſtes, ſeu Præneſtus filii Latini, & Amatæ. 37.

LAVINUS frater Latini. *ibid.*

LAVINIUM dictum prius Lavinum à Lavino fratre Latini. *ibid.* Verius tamen à Lavinia uxore Æneæ. 37. 38. & 39. Et cur ita denominatum. 39. A quo conditum. 8. Lavinium, & Laurentum duas fuiſſe Urbes probatur. 38. Ibidem ſus quæ triginta porcellos peperit, ſervabatur. 42. & 43. Caſa lignea ab Ænea condita ubi ſus triginta porcellos peperit, uti ſacra cuſtodiebatur. 43. Ibi ædes Veneris genitricis ab Ænea condita. 43. & 88. Erat communis Latinæ genti. *ibidem*. Ejuſque cura Ardeatibus commiſſa. 88. In hac æde Veneralia celebrabantur, eorumque ritus. *ibid.* Et ibidem Magiſtratus Romanus die, quo dignitatem inibat,

bat, ſacrificabat. 89. Ibi liberalia agitata. 191. & 192. Minervæ ſacra. 193. Ibi Calendis Aprilis ſacra Veneri facta à Latinis populis. 199. Ædes Veneris Equeſtris. 200.& 201. Dum conderetur Lavinium quæ prodigia viſa ſint. 206. Ibi ædes Larium. 221.& 352. Dies natalis, quo die celebratus. 243. Ædes Jovis Haſtati. 257. Lavinium, & Laurolavinium an idem Oppidum. 259. Conditum ab Ænea ex Oraculo Apollinis, cur ita dictum. 258. 259. & 260.

Laurentum dictum à Lauro ibidem inventa à Latino. 37. Ipſum, & Lavinium duas fuiſſe Urbes probatur. 38. Conditum à Pico Latinorum Rege. *ibid.* Ejus Civium leges referuntur. 104. Annus qui. 164.& 165. Faſti qui. *ibid.* Templum Junoni Calendari ibi dicatum. 173.& 181. Calendas Junoni ſacrarunt. 173. & 181. Ibi ædes Veneris Salaciæ. 200. Fuit ſub tutela Apollinis. 259. In ejus agro nemus aureum Apollini ſacrum. 260. In eo nemore Vitellius Imperator metu fulminum manebat. *ibid.* Ibi ædes Jani Bifrontis. 29. & 231. Et ædes ſacra Amatæ Latini uxori. 376. Ædes ſacra Picæ, ſeu Canenti Pomonæ dictæ. 377.

Lectisternium in Templo Herculis non erat. 135. & 136.

Leges Sumptuariæ referuntur. 133. & ſeqq.

Lemmii Marti non ſacrificabant, & cur. 278.

Lemonius Pagus Latii priſci, à quo Lemonia Tribus. 16.

Lemuria quo die agitata. 222. Eadem & parentalia pro majorum larvis facta. 222. & 223.

Lemures unde dicti. 223.

Lemuralium ritus referuntur. 222. 223. & 224.

Lenæ veſtimenti genus quo utebantur Reges Albanorum. 66. Eadem & Clenæ. *ibid.* Cur ita dictæ. *ibid.*

Levana Dea infantium præſes. 149.

Lex Orchia Sumptuaria. 133. Fannia Sumptuaria. *ibid.* Didia itidem Sumptuaria. *ibid.* Licinia Sumptuaria. *ibid.* & 134. Antia itidem Sumptuaria. 134.

Liberalia in Latio quo die agitata. 190. & ſeq. Ritus qui. 191. In Græcia ab Orpheo inſtituta. *ibid.* In Latium Trojani transvexerunt. *ibid.* Agitata Lavinii. 191.& 192. Romæ menſe Auguſti celebrata. *ibid.* Octobri agitata quæ. 303. Eorum ritus refertur. 304.

Libum quid. 128.

Limen domus, Veſtæ dicatum. 124.

Lixulæ, & Semilixulæ quid. 128.

Loca memoranda in Latio antiquo quæ. 16.

Locri Urbs veteris Latii. 11. A quo condita. 64.

Locus in menſa dignior, qui apud Latinos, & Romanos. 142.

Lorea, ſeu Lora potus Latinarum mulierum. 130.

Lucius Annius Setinus Prætor Latinorum. 14.& 83. Latinorum Legatus. 84. & 85. Ejus oratio ad Senatum Romanum. *ibid.*

Lucaria prima, & ſecunda quæ, & quo die agitarentur. 254.

Lucetius qui. 182. & 183. Apud Oſcos idem & Juppiter. 258.

by Google

Luci ſacri pro tractandis rebus publicis. 72.

Luctus tempore an matrimonia in Latio contraherentur. 111. Et quas pœnas incurrerent nubentes eo tempore. *ibid.*

Lucus Ferentinæ. *Vide* Ferentinæ Lucus.

Ludi publici in Latio ad erudiendos Juvenes. 161. Sp. Carbilius primus Ludum Romæ aperuit mercede. 162.

Ludi Trojæ dicti qui. 162. Albæ primùm inſtituti. *ibidem.* Aſcanius primus Albæ Trojam luſit. *ibid.*

Ludi acti Antii, ſacri Fortunis Antiatibus. 221. & 222.

Ludi Apollinares Antii exhibiti. 221.

Ludi ſæculares cui Deo ſacri. 287. A quo primùm Romæ inſtituti. *ibid.*

Ludorum funebrium origo antiquiſſima in Latio. 226. *Vide* Gladiatores.

Luna plurimum fœtui egerendo prodeſt. 154.

Lunula quid eſſet. 68. Albæ Reges mulleis adnectebant Lunulas. *ibid.* Numa inſtituit ut Senatores, eorumque poſteri nigris calceis Lunas adnecterent. *ibid.* Matronæ Latinæ cur Lunulas geſtarent. 68. Arcades Lunulas geſtabant. 67. & 68.

Lupercalia inſtituta ad purgandum, & luſtrandum populum. 358. Dicata Pani Arcadum numini. *ibid.* Ab Arcadibus ſociis Evandri inſtituta. 359. & 360. Celebrata à Latinis antè Romam conditam. 360. Eorum ritus refertur. 360. 361. & 362. Iis Luperci Sacerdotes Panis nudi diſcurrebant. 362.

Lupercal quid eſſet. 359.

Lupercorum Sodalitas apud Latinos veteres. 364.

Lupercorum, Fabianorum, & Quintilianorū Sodalitates Romæ quæ. *ibid.* 365. Et quæ Sodalitas Julianorum. *ibid.*

Luperci cur *Cinctuti* appellati. *ibid.*

Lupercæ etiam fœminæ in Latio. 366.

Lustrici dies qui. 160.

M

Magistratus Romanus in Oppida Latina proficiſcens, quæ imperare poſſet. 116. & ſeqq.

Magistri, qui Juvenes inſtruerent in Latio, amici, & propinqui. 162.

Maja Atlantis filia, & Mercurii mater. 157. Bona Dea, & Fatua dicta. 157. 171. 172. & 226. Uxor Vulcani nomen Majo dedit, ſecundùm aliquos. 170. & 171. Ejus ſacrorum ritus in æde Pontificis. 226.

Majus menſis relatus in faſtos Latinorum antè Romam conditam. 170. Unde dictus. 170. & 172. Jovi dicatus. 172. Lingua Oſca Moeſius ac Majus. 170. Quomodo dictus ab Oſcis. 170. Majæ, non autem Apollini dicatus. 174. & 226.

Mamurius Faber Romæ Palladiorum fictor. 193.

Mane unde dictum. 180.

Manius agrum Nemorenſem Dianæ ſacravit. 381.

Digitized by Google

Manici panes qui. 382.
Maniæ quæ. *ibid.*
Marcus Antonius Triumvir edictum de ſumptibus propoſuit. 134.
Marica uxor Latini. 36. A Minturnenſibus Divinis honoribus culta. 36. Ejus Lucus, & Templũ apud Minturnenſes. 36. An potiùs uxor Fauni. 37. A Latinis culta, & inter Nymphas conſecrata. 376.
Mariti uxores lugere non cogebantur. 111.
Mars à Latinis cultus, & Templis honoratus. 168. Ejus Ædes, & Lucus Albæ. *ibid.*
Martius cur primus anni menſis. *ibid.* Apud Latinos, & Romanos primus menſis anni. 168. Ejus dies feſti Latinorum enunciantur. 185. & ſeqq. Kalendæ Veſtæ ſacræ. *ibid.* Kalendis ædes Veſtæ frequentatæ. *ibid.* Marti, non autem Minervæ dicatus. 174. Kalendis, Martis ſacra. 185. & 186. Per totum menſem Martii Martis ſacra in Latio agitata. 187.
Mater Matuta Dea parturientium. 149. 154. & ſeqq. Eadem & Inon. 154. & 155. Ejus cultus in Latio ab Arcadibus manavit. *ibidem.* Ejus ædes Satrici. 156. Cur parturientium præſes. *ibid.*
Matralia quo die celebrata. 248. Inſtituta in honorem Matris Matutæ. *ibid.* Quæ ceremoniæ in iis ſervarentur. *ibid.*
Matris Deum Acus à quibus in Latium invectus. 390.
Matrimonia inter Cognatos in Latio an eſſent juſta. 106. & 107. Inter Latinos contracta uſu, farreatione, & coemptione. *ibid.* Uſu quomodo contraherentur 107. & 108. Quomodo farreatione. *ibid.* Vel confarreatione, qua ſoli flamines contrahebant. *ibid.* Aut coemptione. *ibidem.* Diffarreatione apud Latinos diſſolvebatur matrimonium. *ibid.*
Matrimonia in Latio quibus diebus contracta. 110. Tempore luctus an contraherentur. 111. Et quas pœnas incurrerent nubentes dicto tempore. *ibid.* Et Sacra promiſcua Romanis, Latiniſque. *ibid.* Inter Romanos, & Latinos vetita. 111. & 112.
Matuta Dea præerat matureſcentibus frumentis. 375.
Meditrinalia quo die, & menſe celebrarentur. 282. Unde dicta, & eorum ritus. 282. & 283. Cur inſtituta. *ibid.*
Meditrina Dea Latinorum. *ibid.*
Megalenses Ludi in honorem Cybelis. 204.
Memmia Gens à Mneſteo comite Æneæ. 45.
Mensæ Latinorum quæ. 142.
Mensarum locus honoratior in Latio qui. 142.
Menses Latinorum quot dierum eſſent. 166. Eorum nomina enumerantur. 167. Dicta ab Imperatoribus enumerantur. 179. & ſeqq.
Mephytis quid. 392.
Mercurii dies feſtus quo die in Latio agitatus. 227. ſeq. Ritus. 228. Ei Evander hoſpites immolabat. 230. & 231.
Merendam antiqui ſumebant pro prandio. 132. & 133.
Meridies, & Medidies apud Latinos qui. 180.

Metia

Digitized by Google

Metia Gens à Metio Æneæ comite. 46.
Metius Fufetius poſt mortem Cluilii Dictator Latinorum. 70. & 72. Ab exercitu Dictator creatus. 71.
Metilia Gens à Metilio Æneæ Comite. 46.
Minervæ feſta quæ. 192. A Trojanis culta. 193. Ejus cultus Latinis vetuſtiſſimus. 194. Cur Nerienes appellata. 195. Ejus Sacerdotum Collegium in Albano. *ibid.* Eorum comptus deſcribitur. 196. Ei Tubiluſtrium ſacrum, 197.
Myagirus Deus Latinorum quibus præeſſet. 402.
Minutius, ſeu Minucius Deus in Latio cultus. 405.
Myrthus Veneri ſacra, & cur. 198.
Molarum in Latio veteri nullus fuit uſus. 128.
Morgetes Rex Italiæ, à quo Itali Morgetes dicti, 3.
Mulier adultera in Latio qua pœna plecteretur. 103. In Latio, ac Romæ vinum bibere vetita. *ibid.* Abſens apud Latinos ritè nuptias contrahere nequibat. 107. Latina quanto tempore lugere deberet virum defunctum. 111. Arcas quanto tempore viros lugeret. *ibid.* Romanæ quanto tempore viros lugerent. *ibid.*
Mullei calceamenta Albanorũ Regum, & dein Patritiorum. 67. & 68. Unde dicti. *ibidem*. Eorum uſus Patriciis ademptus ab Aureliano Imperatore, *ibid.* Ab eodem Aureliano mulieribus relictus. 68. Illis Reges Albæ adnectebant Lunulas. *ibid.*
Mulsum quid. 123.
Mundus quo die patere diceretur. 254.
Murranus fuit primus Rex Latinorum à quo omnes Reges Murrani dicti. 20.
Mustacea donabantur poſt nuptialem cœnam. 126.
Muta Dea quæ, & quibus ſacris placaretur, 370. & 371. Eadem, & Lara, ac Larunda Larium mater. *ibid.*

N

Natio, ſeu Naſcio Dea Ardeatium. 143.
Nautia Gens Conſularis à Nautio comite Æneæ. 44. & 45.
Nautius comes Æneæ Palladii cuſtos. 193.
Neptunus Saturni, & Opis filius. 271. & 272. Dictus Hyppius, & Conſus, & cur. *ibid.* Et Equeſtris. *ibid.*
Neptunalia ejus ſacra quo menſe, & die agitata. 275. Ei Conſualia ſacrata. 270. *Vide* Consualia.
Nicostrata eadem, & Carmenta. 344.
Nodotus Deus præerat geniculis, nodiſque culmorum. 375.
Nomina Maribus imponebãtur nono die. 160. Fœminis verò octavo. *ibid.* Maſculis tria, fœminis verò duo nomina imponebantur. *ibid.* Quo ritu nomina Infantibus imponerentur. 161.
Nomentanum vinum celebre apud antiquos. 131.
Nominalis dies qui. 161.
Nonæ unde dictæ. 184. Caprotinæ quo die celebratæ. 253. A quo dictæ. *ibid.* Junoni dicatæ, earumque

·rumque ritus. *ibidem*.
Noveмвеr Dianæ dicatus. 174.
Nuces ſpargebant in nuptiis, & noćte nuptiarum. 122. Qui mos probatur ex lapidibus priſcis. 122. & 123.
Numa Veſtalibus edixit ut ſingulis diebus aqua ex Ægeriæ fonte purgarentur. 150. Immutavit ordinem Anni Latinorum. 178.
Numici fluminis aquæ ſacræ Latinis, Romaniſque. 44. Et nonniſi de hujus fluminis aquis Veſtæ libari licebat. *ibid.*
Numicius Circæjenſis Prætor Latinorum. 83.
Nundina Dea Latinorum. 160.
Nuptiæ apud Latinos quomodo contraherentur. 105. & 106. Cum uxore fratris, vel cum ſorore mortuæ uxoris vetitæ à Juliano, & Conſtantino. 106. & 107. Eas an mulier abſens poſſet contrahere. 107. An verò vir abſens per Procuratorem. *ibid.* Non contrahebantur niſi captatis auſpiciis. 120. Regiarum ritus apud Latinos qui. 170.
Nuptiales faces quæ apud Latinos. 121.
Nuptialibus cœnis muſtacea dabantur. 126. Earundem Miniſtri notantur. *ibid.* Et feſcennina carmina in illis decantata. 26. & 27.

O

Octavius Mamilius Tuſculanus genus ducebat à Telogono filio Ulyſſis, & Circes. 79. Dićtator à Latinis creatus cum Sex. Tarquinio adverſus Romanos. 81.
October Jovi, non autem Marti dicatus. 174.
Oenotrius Licaonis filius primus omnium duxit Arcades in Italiam. 3. Quæ ab ejus nomine Oenotria dićta eſt. *ibid.*
Olera à Latinis priſcis dićta, quod in olla ea elixarent. 128.
Oppida à Latinis Regibus condita recenſentur. 29.
Opis eadem & Cybeles. 201. Ei dicata Fordicidia ſacra. 205. Feriæ ſacratæ. 325.
Opalia quibus diebus, & quo ritu celebrata. 326. & 327.
Orbona Dea infantium præſes. 149.
Orchis fœmina quid eſſet. 159.
Orestes ſimulacrum Dianæ faſce lignorum involutum in nemus Aricinum invexit. 153. Invexit in Latium Bellonæ cultum. 238. Simulacrum Dianæ Tauricæ in nemore Aricino poſuit. 238. Ab Aricinis ſacris honoratus. 380. Ejus & Iphigeniæ fabula narratur. 385. & 386. Ejus ſceptrum, & oſſa Aricia Romam tranſlata, & condita ante Templum Saturni. 386. & 389.
Osci populi unde dićti. 170. Habebant menſem Majum. *ibid.*
Oscillorum ludus qui. 72. & 73.
Opilago Dea infantium præſes. 149.
Ostiæ ædes Tiberino, & Nymphis Tiberinis dicata. 378.

P

Paganalia, ſeu Paganica feſta quæ. 357. Quo die agitata, & à quo inſtituta. *ibidem.* Iis Ceres dićta Empanda. *ibid.*

PALANTES Evandri filia, vel Palanto mater Latini ex ſtupro Herculis, 35. 36. & 37.

PALANTIUS mons, nunc Palatinus dictus à Palante Herculis, & Dynæ filio. 34.

PALATIA uxor Latini. 36. Culta à Latinis, & Romanis. 37.

PALATINUS mons unde dictus, 34. & 35.

PALÆMON idem & Portumnus. 155. & 156.

PALILIA, ſeu Parilia in honorem Palis agitata. 206. 207. & 208. Eorum ritus. 207. 208. & ſeq. Dicta à partu pecoris, 209.

PALES Dea Paſtorum, *ibid.* Eadem ac Veſta, & mater Deorum. *ibid.* Eadem & Palatia, vel Pallantia, aut Palatua, *ibid.* Eadem & Palatea Latini Regis uxor, & filia Evandri, *ibid.*

PALEM Deum non Deam plures faciunt, *ibid.*

PALATUALIA feſta in honorem Palatuæ Latini Regis uxoris, 210. & 376.

PALLADIS ſacra in Aventino quo die agitata. 248.

PALLADIUM una cum Penatibus ab Ænea ex Ilio in Italiam tranſvectum. 90. In Templo Veſtæ Lavinii à Veſtalibus cuſtoditum. 90. 185. & 193. An idem Palladium Romæ, & illud Lavinii. 193. & 391. Duo Palladia Trojæ, 193.

PAN Arcadum Deus ab Evandro in Latium invectus. 30. Ei Templum in Palatino ab Evandro conſtructum. *ibid.* Idem ac Inuus. 30. Arcades crediderunt eundem, ac Solem. *ibid.* An idem, & Faunus. 317. & 318. *Vide* FAUNUS. Arcades in Latio ei ſacrarunt lucum, & aram. 359. Lycæus dictus, & cur, *ibid.* Lupercalibus quibus victimis ſacra fierent Pani. 363. Oraculum Panis an in Latio fuerit. 366. & 367. *Vide* LUPERCALIA.

PANIFICII difformes ſpecies apud Latinos. 128. & 129.

PAPIRIUS Pagus Latii antiqui, à quo Papiria Tribus, 36.

PARENTALIA eadem & Lemuria pro majorum larvis agitata, 222. & 223. Eorum ritus, *ibid.* & 225. Menſe Maii Latinis priſcis ſolemnia. 222. & 223. Quotannis ab Ænea Anchiſi patri celebrata. 223. & 224. Inſtituta ut umbræ avitæ placarentur. 226.

PARENTES natis liberis poſtes floribus ornabant, lares coronabant, iiſque ſacrificabant. 159. Eorum execrationes. *ibidem.* Filiis natis turpiculam rem collo ſuſpendebant. *ibidem.*

PARTURIENTIUM vota in Latio quæ. 144. & ſeqq.

PATRIÆ poteſtatis jura in Latio. 104.

PATRIMI, & matrimi. 121.

PATRIMUS præferebat ante ſponſam facem accenſam ex ſpina alba. *ibid.* Et cur. *ibidem.*

PATRONUS fuit ſocius Evandri, à quo Patronorum nomen, & mos. 34.

PAVENTINA Dea infantium præſes. 149.

PAUSUS Latinorum Deus, 237.

PELASGI primi Latii incolæ, 2. Ab Aboriginibus excepti. 3. Ante Arcades primi Latii Coloni. 5. & 6. Ii, & non Arcades litteras in Latium tranſvexerunt, *ibid.* Con-

Condiderunt Lanuvii Templum Junoni Argolicæ. 98.

Penates Dii Lavinium ſponte ſua repetierunt quum Aſcanius bis conatus eſſet eorum ſimulacra Albam transferre. 52. Una cum Palladio ab Æneα ex Ilio in Italiam tranſvecti. 90. & 352. Lavinii in qua æde eſſent. 90. Eorum ſimulacra Lavinii poſita cujus materiei eſſent. *ibid.* Qui eſſent, & eorum deſcriptio. *ibid.* 91. 92. 353. & 354. Veſta una ex iis. 90. & 91. Eos videre nonniſi Sacerdotes poterant. *ibid.* & 92. Eorum feriæ quo die in Latio celebratæ. 351. Bis Lavinio Romam tranſlati, bis in locum ſuum redierunt. *ibid.* Lavinii Imperatores in Provincias ituri iis immolabant. *ibid.* Lavinii ab Ænea in adyto Veſtæ locati. 353. In Latio dicti Dii Magni, & Dii Patrii Gentis Latinæ. 353. & 355. Ii & Lares diverſa Numina. *ibid.* Lavinii non habebant velatum caput. 356. In ſomniis eos admonere putabant duces Latinorum in periculis. 353.

Pici aves iidem & Grighi. 26. Eadem avis in æde Pici Laurenti ſupra columnam ligneam oracula edebat. 27.

Picus filius Saturni. 26. Ejus Oraculum in Laurentino. *ibid.* Ubi locus Oraculi aſſeritur. *ibid.* Mutatus in avem. *ibidem.* Utebatur ave ejuſdem nominis in auguriis, & per eam futura noſcebat. *ibid.* Ei & Fauno antrum à Numa in Aventino ſacratum. *ibid.* Ejus Regia ubi fuerit. 28. Ei in agro Laurenti Martis cognomento ædes ſacra, & feſta quotannis aſſignata. 377.

Picæ, ſeu Canentis Pici uxoris Pomonæ cognomento, feſta quotannis in Latio celebrata. *ibid.*

Picumnus idem, & Silvanus. 316. & 317. Ardeatium Deus. *ibid.*

Pilumni ædes in agro Ardeatino frequentata à virginibus nupturis. 119. Is cum Picumno præſes nuptiarum. *ibid.* Et infantium. 143. Idem & Sterquilinius. 144. Cultus à paſtoribus, quod uſum pinſendi frumentum reperiiſſet. *ibidem.* Dictus quod pellat mala infantium. 144. & 145. Antiquiſſimus Rutulorum Rex. 145. Pilumni populi qui. *ibid.* Ejus, & Picumni ædes, & lucus Ardeæ. 143. & 144. Iis ſacra facta Calendis Martiis. 188.

Pinsor, ac Coquus idem apud antiquos. 128.

Pistores incogniti in Latio, & Romæ. 128. Quo tempore Romam, & in Latium venerint. *ibid.* In Latio molis frumenta terebant, mulieres vero panem faciebant. *ibidem.*

Poculum ligneum Herculis quo utebatur in ſacris, in Latio ſervatum. 139.

Pomonæ libabant nova poma. 284. Latinorum Dea, Pici Latinorum Regis uxor, eadem & Canentes. 377. Ejus ædes inter Hoſtienſem, Ardeatinum, & Laurentem agrũ. *ibid.* Ejus Flamen Pomonalis dictus. *ibidem.*

Poplifugia quo die, & menſe agitata. 250. & 251. Quo ritu celebrata. *ibid.* Unde originem traxerint. 250. & 251.

Portumnus idem ac Palæmon. 155. & 156.

Portumnalia quo die, & menſe celebrata. 269. Cui Numini dicata. *ibid.*

Portumni cæremonias, & ſacra Arcades in Latium invexerunt. *ibid.* Ritus in iis ſacris ſervati. 260.

Potina Dea infantium præſes. 149.

Prandia priſcorum Latinorum referuntur. 131. & 132. Apud Latinos eadem ac cœnæ. 131. & 132.

Prægnantes mulieres in Latio quæ Diis offerrent. 143. & 149.

Prænestæ Jovis Imperatoris ædes. 256. & 257. Et Jovis Pueri ſimulacrum. *ibid.* Ibi ſacra facta Auguſto quotannis. 265. Fortunæ feſtum, & ludi quo die agitati. 232. *Vide* Fortunæ. A quo condita. 277. Ibi Templum Cæculi. 399. & 400.

Prænestini faſti qui. 166. Verrius Flaccus ordinavit faſtos Prænestinos, illoſque marmoreo parieti inciſos publicavit. *ibidem*.

Prætor à Latinis quomodo crearetur. 73. & 74.

Prætores Latinorum creati in Concilio Ferentini. 73. & 83.

Priapus comes expeditionum Bacchi. 192. Veneris & Bacchi filius. *ibidem*. Ejus ſacra à ruſticis agitata. *ibid.*

Primogeniti quod jus haberent in Latio. 102.

Primogenituræ in priſco Latio non cognitæ. 102.

Proserpina frumentis germinantibus præerat. 375.

Proserpinæ ſacra quo die, & menſe agitata. 285. Ea Pelaſgi in Latium invexerunt. *ibid.*

Q

Quadriga fictilis quæ, & quibus ſacris honorata. 389.

Querquetulani priſci Latii populi Laribus ædem ſacram condiderunt. 221. Feſta Nympharum, & Larium quotannis agitabant. 401.

Quinquatrus quintus dies poſt Idus. 183. & ſeq.

Quinquatria in honorem Minervæ agitata. 183. 184. & 192. In Latio agitata die 19. Martii, quo Minerva nata eſt. 194. In Albano à Domitiano. *ibidem*. Quot diebus celebrata. 194. & 195. Ludi, & ſolemnia. 195. 196. & 197. Domitianus exhibebat certamen Poëtarum. 196. Et certamen Gladiatorum. 195. & 197. Ubi de Patritiis Romanis qui in arenam deſcendebant iis corona aurea, vel oleagina donata. 196. Et Epulum in Albano exhibitum à Domitiano. *ibid.*

Quintilia gens Romana à Quintilio Æneæ comite. 46.

Quintilis menſis idem & menſis Julius. 174. & 254. Jovi ſacer erat. *ibidem*.

R

Redamptruare quid. 300. & 301.

Reges priſcorum Latinorum Murrani dicti. 19. & 20. Eorum ſeries ante Saturnum. 20. Albanorum Regum ſeries uſque ad Amulium,

lium, & eorum facta referuntur. 54.ad 60. Latinorum Reges Trabeati. 65.

Repotia quæ, & quo die fierent. 126.

Rhea eadem & Cybeles. 201.

Robigalia ſacra quæ. 214. & ſeq. Cur inſtituta, & unde eorum ritus. 214. & 215. Eorum inſtitutor Numa. 215. Iis canis immolatus, & qua de cauſa, 214. & 215.

Robigus, ſeu Rubigus Latinorum Deus. 214. Alii Robiginem Deam faciunt. 214.

Roma Latinorum Colonia. 8. Ejus natalis dies. 208.

Romani à Trojanis oriundi. 60. & 61. Eorum ritus ab Ænea inſtituti. 43. Indicunt bellum Latinis, quo Latium omne ſubactum eſt. 85. Devicto Latio rebellibus Urbibus pœnas impoſuerunt. 85. & 86. Connubia, commercia, & concilia inter ſe ademerunt. 86. Magiſtratus eo die quo dignitatem inibant in Templo Veneris Genitricis Lavinii ſacrificabant. 89. Eorum fœminæ quanto tempore viros lugerent. 111. An luctus tempore matrimonia licitè contraherentur. *ibid.* Epulantes an ſederent, vel potius diſcumberent. 135. Epulis Jovis exhibebant eum in lectulo, Minervam vero, & Junonem ſedentes. 137. Qui apud eos locus eſſet dignior in menſa. 142. Dicti Pilumni. 145.

Romulus, & ſucceſſores quotannis in Templo Veneris Genitricis Lavinii ſacrificabant. 89. Dicavit Veneri menſem Aprilem. 92. & 93. Primum menſem anni Marti dicavit. 92. Is, & Remus educati Gabiis. 141. Dictus Pilumnus à Pilo quo utebatur. 145. Annum, & menſes, & ordinem anni à Latinis accepit. 172. 173. & 174. Die quo Pomœrium Urbis ſignavit Epulum ſacrum inſtituit. 308.

Rostra in foro Romano unde dicta. 86.

Rumæ, ſeu Ruminæ Deæ feſta in Latio quotannis celebrata. 405. & 406. Ejus ſacrorum ritus refertur. *ibid.*

Rumina Dea infantium præſes. 149.

Ruminalis ficus unde dicta. 149.

Rusina Dea à Latinis culta. 375.

S

Sabini à Lacedæmoniis orti. 241. Suis Regibus conſecratis nomina immutarunt. 242.

Sabus Lacedæmonius pulſis Siculis tenuit loca Sabinorum. 241.

Sacea feſtum Babyloniæ agitatum. 324.

Sacrani unde dicti. 6. Qui populi. 187. & 201.

Sacrima quæ, & cui ſacra. 216.

Salacia uxor Neptuni eadem & Venilia in Latio. 377.

Salii Sacerdotes unde dicti. 44. Liberum ſicuti Martem patrem indigitabant. 191. Qui. 297. & 298. Quo ritu ſacra facerent. *ibid.* Collini, & Quirinales, Pavorii, & pallorii qui. *ibid.* Apud Tuſculanos, Tiburtinos, & Latinos omnes priuſquam Roma conderetur. *ibid.* Arcas Salius qui

Digitized by Google

cum Ænea in Latium venit. *ibid.* Collegium Saliorum vetuſtiſſimum in Templo Herculis Tiburtini. *ibid.* Quo habitu induti. 300. Eorum Collegium Romæ Numa primum inſtituit. *ibid.* Ei præerant præſul, vates, & magiſter. 300. & 301. Eorum Ancylia quæ. *ibidem*.

Saltatio in Latio cur, & à quibus inſtituta. 162.

Saluti, & ſpei menſe Sextili ſacra facta. 266. Sacrificatum Saluti in Latio priuſquam Roma conderetur. *ibid.* Ejus augurium quid. 267. A quo reſtitutum. *ibidem*. Ædes ejus à Junio Bibulco Dictatore dicata. *ibidem*.

Salutaris dicta una ex Romæ antiquæ Portis. *ibid.*

Sancus Deus, & ejus ædes Velitris. 241. *Vide* Fidius. Sabinorum auctor, & Princeps à Sabinis cultus. 258. & ſeq. Idem ac Divus Fidius. *ibid.* Sabus Sanci filius Sabinis nomen impoſuit. *ibidem*.

Sanguis Aſsyr dictus à Latinis. 139. & 140.

Satrici Templum ab Arcadibus dicatum matri Matutæ. 156.

Saturnus in Italiam venit. 20. Cęli, & Terræ filius. 21. Jani hoſpes. *ibid.* Non longe à Janiculo arcem, ſuo nomine Saturniam dictam, ædificavit. *ibid.* Latinos agriculturam docuit. *ibid.* Uſum ſignandi æris in Latium invexit. *ibid.* Ejus ærarium ubi nam fuerit. *ibid.* Dictus & Cameſes. 21. & 22. Pater Pici. 23. Latinorum Legiſlator. 101. Dictus & Stercutius. 144. Ei in Latio Puelli ſacrificati. 229. Et quibus ſolemnitatibus hæc ſacra agitarentur. 229. & ſeq. Id ſacrum Hercules immutavit. 230. Ei Faunij Sacerdotes dicati. 313.

Saturnalia quo menſe, & die agitata. 321. Ea ſolemnia ante Romam conditam. 322. & 326. Eorum origo. 321. & 322. Illi & Opi in eodem Templo ſacra facta. 325. Inſtitutor qui. 322. Iis diebus Domini ſervis miniſtrabant. 323. & ſeq. Et ſervi ingenuorum miniſteria occupabant. 324. Iis mos erat munera ad invicem miſſitare. *ibid.* Et cereos donare. *ibid.* Loco victimæ humanæ Saturno ex Herculis inſtituto lumina accenſa. 324. & 326. Iis quot dies addicti. 325. Iis unus dies additus à Caligula. 327.

Sceptrum Oreſtis in Aricino ſervatum. 389.

Sceptrum Ili, vel Priami ab Ænea Lavinium invectum. 390. & 391.

Segetia Dea quæ. 357. 358. & 375.

Seja Dea quæ. 357.

Sementinæ feriæ quotannis indictæ à Pontificibus. 356. Eorum ritus, & origo narratur. 357. & 358.

Semon Sabinorum Deus. 241. & 242. Idem ac Fidius. 241. *Vide* Sancus.

Seni crines qui. 125.

September Vulcano dicatus. 174.

Septimatrus ſeptimus dies poſt Idus. 183. & ſeqq.

Sergesta gens Conſularis ab Ægeſto, ſeu Sergeſto Æneæ comite. 45.

Sergia Familia à Sergeſto Æneæ comite. *ibid.*

Servilia gens Conſularis à Servilio Æneæ comite. 45. Et apud hanc

familiam ſervabatur Triens, ſeu Tridens ſacrum. *ibid.* A Tullo Hoſtilio Romam traducta. *ibid.*

Servius Tullius Romanorum Rex Laris filius dictus, & cur. 218.

Servorum conditio quæ in Latio. 102. & 116.

Setinum vinum celeberrimum. 131.

Sexatrus ſextus dies poſt Idus. 183. & ſeq.

Sextilis menſis idem & menſis Auguſtus. 174. Cereri à Latinis dicatus. 264. A Romanis dein Auguſto, & Auguſtus dictus. *ibid.*

Sextus Tarquinius cum Octavio Mamilio Dictator creatus à Latinis adverſus Romanos. 81.

Sibylla Tiburtina eadem, & Albunea. 391. & ſeq. Eadem & Inon, ac Leucothoe. 392. Ejus Templum quo loci Tiburi conſtructum eſſet. *ibidem.* Reſtauratum ab Auguſto. 393. Ejus Oraculum per ſortes redditum. *ibid.*

Sibyllini libri ab Ænea in Latium tranſlati. 391.

Sicani veteres Latii incolæ ab Aboriginibus pulſi. 5. Primi antiqui Latii coloni. 7.

Siculi primi Latii incolæ. 2.

Sigillariorum feſtum unde dictum. 326. Quo menſe agitatum. *ibid.* Eorum ritus. *ibidem.*

Signinum vinum celebre apud priſcos. 131.

Silatum genus cibi Latinorum. 133.

Silvanus, Pan, & Faunus, an diverſa Numina. 314. & ſeq. Deus pecorum, & agrorum. 315. Itidem tutor finium, & terminorum. *ibid.* Tres Silvani in qualibet poſſeſſione priſcorum Latinorum. 315. & 316. Idem & Marſpiter. 316. Idem & Picumnus. 317.

Silvius filius Æneæ, & Laviniæ poſt Aſcanium regnat. 53. A prædicto Silvio omnes Latinorum Reges Silvii dicti. *ibid.* Ita dictus, quod natus eſſet in Silvis. *ibid.*

Silvius Poſtumus Albanorum Rex, Britanniæ inſulam, Gigantibus pulſis, Latinis conceſſit. 62.

Simon Magus à Claudio, & Nerone ſtatua veluti Deus honoratus. 290.

Simplator hoc eſt cuſtos novi mariti, & ejus officium. 127.

Simplum quid. 142.

Sinum quid. 142.

Sol occaſus apud Latinos qualis. 180.

Soli Indigeti quo menſe, & die ſacra facta. 279.

Spei menſe Sextili ſacrificatum. 266.

Spei Numen Latinis antiquiſſimum. 268. Ædes extra portam Carmentalem vetuſtiſſima. *ibid.*

Sponsalia cum fugitivis contrahere lege vetitum in Latio. 104. Eorum origo à Latinis priſcis in Romanos propagata. 105. & 106. Unde dicta. 105.

Sponsus in Latio jungebatur Sponſæ in tenebris. 108. Sponſam lugere Sponſus non cogebatur, niſi per verba de præſenti ſponſalia contracta eſſent. 111. In æde Junonis Jugalis ſponſi ſubibant jugum. 120. & 121. Latinæ ſponſæ quo ritu, & ordine ducerentur ad domos virorum. 121. & ſeqq. Non tangebant limen domus ſponſi, ſed ſublatæ in Domum inferebantur, & cur. 124. Intranti ſponſæ domus ſponſi tradebantur

claves

Digitized by Google

claves, & cur. 124. Capita ſponſorum cur velarentur. 124. Comptus ſponſi in Latio qui. 124. & 125. Ornatus ſponſæ in Latio qui. 125. Cur in Latio geſtarent cingulum ex lana ovis. *ibid.*

Sp. Carbilius primus Romæ ludum aperuit mercede. 162.

Sp. Vecilius Lavinienſis Prætor, vel Imperator Latinorum creatus in Concilio Ferentini. 77. & 114.

Stercen pater Pici idem ac Saturnus. 22.

Stercen Stercutius idem ac Saturnus. 23.

Stercuti feſta quotannis in Latio agitata. 405.

Stercen, Picumnus, Saturnus, Sterculius, ac Sterquilinius, an idem eſſet & Stercutus. *ibid.*

Stips erat Nummus ſignatus Jani, & Navis effigie. 335.

Strenæ unde dictæ. 338. Earum commercium ultra Kalendas Januarias Tiberius inhibuit. 338.

Striges quæ. 146. 147. & 148.

Strophium quid, 118. Et quid Strophiolum. *ibid.*

Strupearia ſacra Tuſculi agitata, & eorum ritus referuntur. 231.

Struppi quid eſſent. *ibid.*

Sulla Urbes Latii Mario fœderatas jure Civitatis privavit. 115. Ædem Fortunæ Præneſtinæ condidit. 235.

Suprema Tempeſtas apud Latinos, quæ hora diceretur. 180.

T

Tanaquilis colus, fuſus, & ſandalia ubi ſervarentur. 164.

Tarquinius Priſcus Latinos prælio vicit. 77.

Tarquinius Superbus à Latinis in Ferentino Latinæ Gentis Princeps creatur. 79.

T. Tatius occiſus Lavinii opera Laurentum. 89.

Terentum locus in Campo Martio, ubi ara Ditis erat. 286.

Terminalia quo menſe, & die agitarentur. 371. Eorum ritus refertur. 371. 372. & 373.

Terminales lapides Jovi Terminali Numa ſacravit. *ibid.*

Terminus à Latinis Dei loco habitus. *ibid.* Ejus ædes habebant deſuper foramen patens. 374.

Terræmotus tempore quibus ſacris Gentiles Numina placarent. 275. & 276.

Testuatium quid eſſet. 248.

Thalami adminiſtratrix quæ. 125.

Thelegonus Circis, & Ulyſſis filius Tuſculi ſacris honoratus. 379.

Thus Latinis priſcis ignotum. 337.

Tiberinus Albanorum Rex dedit nomen Albulæ fluvio. 54. uſque ad 57. A Latinis conſecratus. 249. Sacris quotannis honoratus. 378. Ejus ædes oſtiæ. *ibid.*

Tiberis diverſa nomina. 62. Fuit ſic dictus à Siculis, cum prius diceretur Albula. 54. 55. 56. & 57.

Tiburtes quem ſemel hoſpitio exceperant accuſare nequibāt. 105.

Tiburtinorum leges. *ibid.*

Tiburi in æde Herculis erat Collegium Saliorum. 298. Conditor quis. 394. & ſeq. Celebrabatur ibi feſtum Sibyllæ Tiburtinæ. 391. & ſeq. *Vide* Sibylla Tiburtina.

Tiburnus Tiburtinæ Urbis condi-

tor à Tiburtibus ſacris honoratus. 394. Ejus Templum, & lucus ſacer Tiburi, quo loci fuerit. 395.
Toga Prætexta veſtimentum Albanorum Regum. 67.
Tonsores, quo tempore ex Sicilia in Latium venerint. 65.
Trabea veſtimenti genus Albanorum Regum. 66. Ea utebantur etiam Reges Romanorum. *ibid.* Et duces, Augures, & Equites Romani idibus Julii. 66.
Triatrus tertius dies poſt idus. 183.
Triens, ſeu Tridens ſacrum apud Serviliam Gentem. 45.
Troja dictus eſt locus, ubi Æneas in Lavinienſi caſtrametatus eſt. 61.
Trojæ ludi qui. 162. Albæ primum inſtituti. *ibid.* Et Aſcanius primus luſit Albæ Trojam. *ibid.*
Trojani Ilio everſo Ænea Duce Latinorum regionē tenuerunt. 7. Minervam colebant. 193.
Tubilustrium quid. 197. Agitatum die ultimo Quinquatruum, hoc eſt die 23. Martii. 197. Minervæ ſacratum. *ibid.*
Tullus Hoſtilius Romanorum Rex Albam diruit. 80. & 81.
Tunica picta quid. 125.
Turnus Erdonius Aricinus Tarquinio Superbo infenſus. 79. Ejus origo enunciatur. 144. & 145. Ejus ædes, & ſacra facta Ardeæ, & lacus illi dicatus referuntur. 398. & 399.
Turnus Rutulorum Rex bellum indixit Latino, & Trojanis. 39.
Tusculi Templum Dianæ ſacrum commune Latinis. 99.
Tusculanorum leges nuptiales. 106. Eorum annus qui. 166. Faſti qui. *ibid.* Jovem appellabant Majum à magnitudine. 170. & 171. Eorum Vinalia quæ. 213. & 214. Eorumdem lex Vinalibus præſcripta. *ibid.* Apud eos ædes Jovis Maii. 257. Itidem & ædes ſacra Caſtori, & Polluci. 403. & ſeq. Et ædes ſacra Thelegono. 379.
Tutulati Sacerdotes qui. 299. & 302.

V

Vagitanus, ſeu Vaticanus Deus infantium præſes. 149.
Vejentum cineres qui. 390.
Vallonia Dea vallibus præerat. 375.
Veliternorum mos in ſacrificiis Martis. 105. Eorum leges. *ibid.* Vinum celebre apud antiquos. 131. Ibi ædes Fidii, ſeu Sanci. 241.
Venus ut & ejus Stella comes facta Æneæ, donec Laurentum pervenit. 42. Templum ab Ænea Lavinii conditum. 43. 88. & 94. Ejus ædes Lavinii communis Latinæ Genti. 88. Ejus cura Ardeatibus commiſſa. *ibidem*.
Veneralia in eo Templo agitata, & ritus ſacrorum. 88. Mos Magiſtratuum Romanorum in ea æde ſacrificandi. 89. Feſtum ejus, & Numen, an Romanis antiquis notum. 92. & 93. Ejus mentio in indigitamentis. *ibid.* Julius Cæſar Veneri genitrici ædem ſacravit. *ibid.* Aphroditis

tis Veneris ædes inter Ardeam, & Laurentum ab Ænea condita. *94. 95.* & *96.* Quæ communis erat Latinis. *95.* Aprilis menſis Veneri dicatus à Romulo. *92.* & *93.* Cur dicta Aphroditis. *96.* & *97.* Plures Veneres, & earum genealogia. *ibidem.* Equeſtris Veneris ædes Albæ. 100. & 281. Ei dicatus Aprilis. 198. A Latinis Venus culta Kalendis Aprilis. *ibid.* Ei Myrtus ſacra, & cur. *ibid.* Ejus ſacris quæ agitarent mulieres. *ibid.* Ei ſacra facta Lavinii. *199.* Templa in omnibus Latii Urbibus. *ibidem.* Kalendis Aprilis Veneri per Magiſtratus Latinarum Urbium ſacra Lavinii facta. *ibid.* Aphroditis ædes in finibus agri Ardeatis, aut Laurentini. *ibid.* Ei multa nomina pro locis, vel cauſis impoſita. *199.* & 200. Cloacina Venus quæ. *ibidem.* Myrtea, Purpuriſſa, & Ericina quæ. *ibid.* Salacia, & ejus Templum. *ibid.* Lubentina quæ. *ibid.* Mimnernia, vel Meminia quæ. *ibid.* Poſtuotæ Veneris ædes in Latio. *ibid.* Militaris, Virilis, & Armatæ Templum Antii. 200. Ejus Templum in Leucate monte ab Ænea conditum. 201. Sacerdotes quæ. *ibid.* Ejus dies feſtus in Latio Vinalia dictus, & quare. 216. & ſeqq. Veneralia eadem & Vinalia. 212. & ſeq. Veneris Simulacrum ab Ænea in agro Laurenti dicatum. 243. Feriæ quo die fierent. 279. Ejus ædes à Julio Cæſare condita. 279. & 280. Ejus ſacra ab Ænea primùm in Latium illata, *ibid.* Ejus ſacrorum ritus qui. 281.

Venilia Turni mater ab Ardeatibus in Deorum faſtos relata. *376.* & 377. Eadem ac Salacia uxor Neptuni. *ibid.* Unde dicta. *ibid.*

Verrius Flaccus ordinavit faſtos Præneſtinos, illoſque marmoreo lapide inciſos publicavit. *166.*

Ver ſacrum quid. 187. A quibus inſtitutum. 188.

Vertumnalia quo die, & menſe celebrata. 287. & ſeqq.

Vertunnius Tuſcorū Numen vetuſtiſſimum. 288. & ſeq. Idem mercaturæ, vertendiſque rebus præerat. *ibid.*

Vesperna apud Latinos quæ. 180. Dicebantur prandia. 132.

Vesta an mater, an ſoror Jani. 25. Ei nonniſi de aquis fluminis Numici libari licebat. 44. Ejus ſacra ſemel intercepta, quod Numicius in fontem redactus ſiccatus repertus ſit. *ibidem.* Ædes Lavinii. *90.* Origo Veſtalium Lavinii. *ibid.* Fuit Veſta unà ex Penatibus ab Ænea ex Ilio in Latium transvecta. *90.* & *91.* Quæ Veſtalis corpus ſuum polluiſſet, qua pœna plectebatur. 104. Virgo ſacrificans dicebatur Armata. *ibid.* Apud Latinos Veſtales puræ à nuptiis non minus quinquennio manebant. 106. Limen domus Veſtæ ſacratum. 124. Purgabantur Veſtales aqua Ægeriæ fontis ex lege Numæ. 150. Ædes Veſtæ frequentatæ Kalendis Martii. 185. Erant ei ſacræ Kalendæ Martii. *ibid.* Ejus ſacra Æneas Lavinium transvexit. 185

Ser-

Servabant Veſtales focum publicum, & Palladium. *ibid.* Quot annis Veſtales Kalendis Martiis renovabant ignem ſacrum. *ibid.* In æde Lavinii Palladium Veſtæ erat. 193. Latinis vetuſtiſſimæ Veſtales. 225.

Vestæ, & Veſtalium feſta quo die in Latio agitata. 246. A quo inſtituta. *ibid.* Eorum ritus narratur. 246. & 247. Non libabant ei vinum, ſed aquam amnis Numici. 246. & 247. Cur dicta Stata mater. 247. In ejus æde an ullum Deæ ſimulacrum eſſet. *ibid.* Ædis ejus locus intimus Penus dicebatur. *ibid.* In ſacris Cullulis Latini utebantur. *ibid.* Nonniſi de aqua Numici, ſeu Juturnæ fōtis Veſtæ libabatur. 351.

Victoriæ feſtum quo die, & menſe à Latinis celebratum. 250. & 251. Cultum ejus Arcades in Latium invexerunt. *ibid.* Filia Palantis conſecrata. *ibid.* Templum in Palatino ab Arcadibus conſtructum. *ibid.* Ejus ſimulacrum quomodo effingeretur. 252. & 253. Ei Deæ ludos P. Cornelius Sulla inſtituit. 251. Ei Virgini Templum Porcius Cato dedicavit. 252.

Victus priſcorum Latinorum ante Saturnum rudis. 127.

Vinalia feſta unde dicta. 50. & 51. Menſe Aprilis Veneri, Ruſtica Vinalia menſe Auguſto Jovi dicata. *ibid.* Sacra Jovi. 210. & ſeq. Inſtituta ab Aſcanio in honorem Veneris, & cur. 210. 211. & 212. Et ſic ſacra etiam Veneri Vinalia Ruſtica. 210. & ſeq. Quot diebus celebrata in Latio. *ibid.* Eadem & Veneralia. 212. & ſeqq. Tuſculanorum quæ. 213. & 214. Ab Athenienſibus agitata. 213. Jovi ſacra quo die agitata. 270. Agitata in memoriam Voti ab Aſcanio Jovi facti. *ibid.*

Vindemia quo die cogeretur à Latinis. 283.

Vinum mulieribus in Latio, & Romæ vetitum. 103. Eo abſtinebant fœminæ Latinæ, & cur. 130. Latinorum vina, & eorum nomina. 131.

Virbius idem & Hippolytus Ariciæ cultus. 381. *Vide* Hippolytus.

Vitellia ſecunda uxor Fauni. 33. A Latinis ſacris honorata. 376.

Ulyssis Remus, & poculum Circeiis ſervatum. 98.

Ulyssi Antiates ſacra faciebant. 401.

Volcanalia quibus menſe, & die agitata. 276. & ſeqq. Eorum ritus refertur. 277.

Volsci an fuerint Populi antiqui Latii. 13. & 14.

Urnarium genus menſæ Latinorum. 142.

Vulcanus maritus Veneris. 278. Ei Titus Tatius Romæ ædem poſuit. *ibid.* Ejus ſacrum Protervia dictum. *ibid.* Ei ſacra facta menſe Septembris. 279. Et Auguſti. 276. & 277. Præneſtæ præſertim. *ibid.*

Uxores Uſuariæ quæ in Latio eſſent. 110.

FINIS.

[illegible] Google

Digitized by Google